CHRONICON ANTIQVVM

SACRI MONASTERII CASSINENSIS,


Olim à Leone Cardinali, & Episcopo Ostiensi conscriptum:

Nunc vero à Reuerendo Patre

D. MATTHAEO LAVRETO HISPANO,
Cassinensi Monacho, & Abbate S. Saluatoris de Castellis recognitum, & pristinæ integritati restitutum, ac pluribus Adnotationibus illustratum, & auctum.

Adiecta insuper, ab eodem Auctore, breui de Monachatu S. Gregorij Magni, sub Regula S. Benedicti, disputatione.

17,638



BIBLIOTECA

NEAPOLI, Ex Typographia Tarquinij Longhi. 1619.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

SANCTISSIMO
AC BEATISSIMO PATRI,
ET DOMINO NOSTRO
PAVLO QVINTO
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO,

Abbas, & Conuentus Sacri Monasterij Cassinensis, post humilima pedum oscula, æternam exoptant felicitatem.

IPSI *omnes Orbis Ecclesiæ, Pater Beatissime, veræ filiæ sint, ac discipulæ sanctæ sedis Apostolicæ, cui, Deo auctore, S. V. præest: ipsamq. tamquam vnicam, & veram matrem, ac magistram agnoscant, diligant, & honorent: inter eas tamen, Ecclesia Cassinensis in amore, deuotione, ac reuerentia erga eamdem sanctam sedem (absit verbo inuidia) videtur quodammodo excellere, & eminere: quippe, quæ in*

Digitized by Google

difficilimis calamitosissimisq. temporibus, quando Pontifices Summi, siue vt furorem impiorum Imperatorum sanctam Romanam Ecclesiam hostiliter impugnantium, fugerent: siue vt rabiem eamdem sanctam sedem nequiter inuadentium, & occupantium, declinarent, ab Vrbe migrare, & exulare cogebantur: tunc Cassinensis Ecclesia, tamquam filia dilectissima, eisdem occurrens, dulciter amplectebatur, in sinu suo fouebat, eorum necessitates subleuabat, & quantum poterat in omnibus sedulò ministrabat.

Testantur hæc pleriq. Summi Pontifices in priuilegijs, quæ benignitate Apostolica Cassinensi Ecclesiæ contulerunt. Vrbanus secundus sic ait. Præter generale charitatis debitum, præter singularem vestri cœnobij prærogatiuam, qua in Monasticæ legis latione, & latore sanctissimo Benedicto, vniuersorum per Occidentem Monasteriorum caput à Domino institutum est: Illa etiam magnificentia, qua semper (& nostris præcipuè temporibus) congregatio vestra sanctæ Romanæ subuenit Ecclesiæ, multum nos eidem loco fore compellit obnoxios. Is enim locus nostrorum pauperum releuatio, fugientium refugium, fessorum sedis Apostolicæ filiorum requies indefessa, permansit, & permanet; *& rursus.* In quo præcipuè Monasterio, quod sanctæ nostræ sedi Apostolicæ semper familiarius, ac deuotius adhæsit, & in omni opportunitate, promptius, ac benignius adfuit. *Innocentius item secundus.* Cùm iniunctũ, *inquit*, nobis Apostolicæ sedis officium, vniuersis per orbem Ecclesijs efficiat debitores, vestro Cassinensi cœnobio quammaxime obnoxios faciunt, & Beatissimi Patris nostri Benedicti Monasticæ legis latoris præsentia corporalis: & in vobis, per Dei gratiam, vsque ad nostra tempora, indefessa perdurans eius obseruantia mandatorum. Accedit ad hoc, quod idem venerabilis locus Romanę Ecclesiæ filiorum vnicum in aduersis solatium, & in prosperis infatigata requies, perseuerat.

Ex

Digitized by Google

Ex quibus planè constat, Cassinensem Ecclesiam singulari quodam dilectionis, ac pietatis affectu, sanctam Romanam, & Apostolicam Ecclesiam semper prosecutam fuisse, specialibusq. officijs, & obsequijs eam pro viribus honorasse, & coluisse. Vnde etiam effectum est, vt ipsi summi Patres, & Pastores Ecclesiæ catholicæ, eamdem Cassinensem Ecclesiam propensius dilexerint, atque innumeris gratijs, fauoribus, priuilegijs, immunitatibus, indultis, exemptionibus, prærogatiuis, ac præeminentijs, ornauerint, decorauerint, illustrauerint, ac sublimauerint: quibus recensendis supersedemus, ne S. V. tedio simus, modumq. Epistolæ excessisse videamur. Vnum vero nullo modo possumus præterire, quod valde Cassinensem Ecclesiam apud S. V. & sanctam Sedem Apostolicam commendabilem reddat: Illud autem est, Glorioſum Apostolorum Principem Petrum Cassinensem Ecclesiam, adeo, post Romanam, dilexisse, vt illam vniuersis alijs prætulisse videatur. Cum enim sancta Romana Ecclesia, factione impijssimi hæresiarchæ Guiberti Apostolicæ sedis inuasoris, magnis procellis agitaretur, atque in ipsa sanctorum Apostolorum præcipua solemnitate, Basilica Vaticana armatis militibus ab eo acriter oppugnaretur, factum est, vt eadem Basilica (heu, prò dolor) in eadem solemnitate, omni diuino officio tam diurno, quàm nocturno caruerit. Glorioſus igitur Apostolus Petrus, huiusmodi perturbationum fluctibus à primaria sua Ecclesia, quasi violenter expulsus, Cassinum se contulit, & in ea Ecclesia, passionis suæ festum eo die celebrauit. Qualiter autem ista contigerint, refert Leo Cardinalis, & Episcopus Ostiensis cap. 67. lib. 3. Chronici Cassinensis, quod modo S. V. supplices offerimus: vt sit index, ac testis filialis amoris, & affectus, quem nos omnes erga S. V. & sanctam Sedem Apostolicam, hereditaria successione, intimo corde retinemus. Parati enim sumus, quoties opus fuerit, non solum bona temporalia, verum etiam sanguinem proprium, & ipsam vitam in obsequium S. V. & sanctæ sedis

Digitized by Google

dis Apostolicæ profundere. Interim autem pauci continuas effundimus, ac iugę sacrificium offerimus, vt Deus, & Dominus noster Iesus Christus S. V. pro totius Ecclesiæ bono, diutissime seruet incolumem, ac demum cum sanctissimis Prædecessoribus suis, vitam largiatur æternam. Suscipiat ergo S. V. solita sua benignitate, & librum quem offertmus, & vna pariter vniuersam Cassinensis cœnobij Congregationem, quam ad instar suorum Prædecessorum, protegere, defendere, tueri, ac fouere Paterna charitate, & Apostolica auctoritate, dignetur.

MAT-

Digitized by Google

MATTHAEI LAVRETI
MONACHI CASSINENSIS,
Et Abbatis S. Saluatoris de Caſtellis ad Lectorem Præfatio.

PRODIIT in lucem ſuperioribus annis, optime Lector, Bibliotheca Floriacenſis, opera Ioannis à Boſco Cœleſtini, impreſſa Lugduni Anno 1605. Quam cum euoluere cœpiſſem, incidi in tractatum quemdam de Tranſlatione S. P. Benedicti, in quo præfatus Ioannes aeriter inſectatur Monachos Caſſinenſes, illoſq; mendacij, falſitatis, & impoſturæ inſimulat, quaſi omnia, quæ habentur in Chronico Caſſinenſi, commentitia ſint, ac ſuppoſititia. Et nequis me impoſtorem exiſtimet, legat obſecro, paginam 365. prædictæ Bibliothecæ, vbi poſt adductum quoddam teſtimonium ex martyrologio Adonis Archiepiſcopi Trenerenſis, in fauorem Tranſlationis S. Benedicti, hæc verba ſubnectit. *Hic præclarus Pontifex poſt Leonem Caſſinenſem ſcripſit: & licet aſſiduus eſſet Romanorum Pontificum aulæ, vt Alexius Lypomanus indicat, bullas tamen, quas Leo ipſe confingit, vtpote numquam datas in recenſenda Tranſlatione S. Benedicti haud pertimuit. Cæterum, ſi quod veriſimiles coniecturæ mihi ſuadet, expromere liceret, dicerem: neotericos Caſſinenſes Leoni Oſtienſi (vt ab eius antiquitate, & dignitate ſibi compararent fidem & auctoritatem) partum ſuppoſuiſſe, cuius, ſi rediuiuus eſſet, ſe minime patrem inſcriberet. Nam quod rem vrget vehementer illud eſt, quod S. R. E. Cardinalis multa de Pontificibus ſummis ſui ſæculi dicat quæ veritati nulla ratione quadrare conuineuntur.* Et pag. 381. ſic ait. *Verum cum in Leonis narrationibus, multa, ac pene omnia, me haud leuiter admonerent de earum veritatis atq; integritatis certa fide dubitandi, imo & penè compellerent.* Denique pag. 384. aſſerit. *Leonem gloriantem, ac mendaciter eſſe locutum.* His, & alijs ſimilibus verbis proſcindit Ioannes à Boſco, non ſolum neotericos Caſſinates, verum etiam ipſum Leonem Oſtienſem.

Digitized by Google

Ostiensem. Quæ cum legissem, obstupui, ac ferè excandui, quod vir alioqui religiosus, ac Regulam S. Benedicti professus, talia effutire sit ausus: nec erubuerit Fratres, imo Patres suos, adeo temere, ac procaciter insectari, contraq; omnem rationem, ac veritatem manifestam, eisdem falsitatis, & impostura notam inurere. Cui modo non respondeo, quia id abunde præstiti in libello de existentia corporis S. Benedicti apud Cassinum cap. 40. 41. & sequentibus.

Clamoribus igitur, & criminationibus, præfati Ioannis excitatus, atque commotus, cepi diligentius Chronicon Leonis Ostiensis, Venetijs impressum, Anno 1513. perlegere, atque cum antiquissimo eiusdem M. S. quod in archiuio sacri Cassinensis cœnobij asseruatur, conferre. Quo facto deprehendi Chronicon illud impressum, multis scatere erroribus, valde multumq; à M. S. dissidere, & discrepare. Cumq; animaduerterem facile posse Lectorem ex illius deprauata lectione ansam, & occasionem errandi, imo & veraci Leonis Ostiensis Chronico detrahendi, sumere: Patres Cassinenses, in præfato libello monui, vt prædictum M. S. Leonis Chronicon fideliter transcribere, ac properè in lucem edere curarent: vt sic fides, & sinceritas Leonis Ostiensis veridici, ac integerrimi sui temporis scriptoris, omnibus innotescceret: & ora loquentium iniqua obstruerentur. Valde namq; indignum iudicabam, propter ea, quæ in Chronico illo male impresso, perperam scripta reperiuntur, fidem, & auctoritatem Leonis Ostiensis in dubium reuocari, famamq; & integritatem Monachorum Cassinensium denigrari, & deturpari.

Hoc igitur Chronicon (optime Lector) tibi modo exhibent Patres Cassinenses: quod ego in gratiam tui, vita sanctissimi Patriarchæ nostri Benedicti, plurimisq; Additionibus, seu Adnotationibus locupletari, & illustrare curaui: adiecto insuper tractatu de Monachatu S. Gregorij Magni sub Regula S. Benedicti, quem in fine pro coronide apposui. Fruere igitur veris, ac sinceris Leonis Ostiensis narrationibus; & nostras qualescumque Adnotationes, æqui, bonique consule. Vale.

A D-

Digitized by Google

ADMONITIO AD LECTOREM,

Super vita sanctissimi Patris nostri BENEDICTI.

PARANTI mihi in lucem edere Cassinense Chronicon, congruum, immò necessarium visum est, vitam sancti Patris Benedicti Cassinensis Cœnobij conditoris ei præfigere, vt cunctis, qui librum istum legerint, quis, qualis, quantusq; fuerit vir beatus, cuius glorioſis meritis toti mundo celebre, ac venerandum redditum est præfatum Monasterium, innotescat. Cumq; diu mecum cogitarem, vtrum ex scriptis Diui Gregorij Magni eam in compendium redactam, an verò fusè, vt ab eo descripta est, euulgare deberem, gratius Lectori, ipsiq; Beato Patri Benedicto acceptius fore putaui, si eam, vt à magno Gregorio contexta fuit, legendam proponerem.

A

nerem. Ad honorem namq; sanctissimi Patris Benedicti arbitror pertinere, quòd vitam eius non quilibet scriptor, sed tam insignis Ecclesiæ Doctor, tamq; egregius Apostolicæ sedis Præsul, descripserit. Et multorum quidem Sanctorum duo, aut tria deflorauit miracula, nostri autem Patriarchæ qualis ab ineunte ætate fuerit vita, qualis in progressu, qualem denique, quàmq; mirandum habuerit exitum, dulcissima facundia promulgauit. Diuinitus certè dispositum esse videtur, vt cum isdem excellentissimus Legislator multis modis sit à Deo decoratus, etiam hinc maiori authoritate, tam ipse, quàm eius legislatio roboretur, quod eiusdem vitam summus Apostolicæ sedis Pontifex ordinauerit, regulamq; adeò laudauerit, vt ex occasione Dialogi eius, tanti Patris vita, & doctrina pluribus esset cognita: nec solum apud Latinos, sed etiam apud Græcos notissima foret, translatis in eorum linguam Dialogorum Gregorij libris à sancto Zacharia Papa primo. Vnde Græci in suo Menologio, die decimaquarta Martij, de sancto Benedicto sic aiunt. Sancti Patris nostri Benedicti, multorum Monasteriorum Patris celeberrimi, pietate, & miraculorum multitudine illustris. Accipe igitur, optime Lector, eius præclarissimas res gestas, quas beatus Gregorius toto secundo Dialogorum libro complexus est, in hunc qui sequitur modum.

PROOE-

Digitized by Google

PROOEMIVM B. GREGORII PAPAE in vitam S. Benedicti Abbatis.

FVIT vir vitæ venerabilis, gratia, Benedictus, & nomine, ab ipso pueritiæ suæ tempore cor gerens senile. Aetatem quippe moribus transiens, nulli voluptati animum dedit: sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter liberè vti potuisset, despexit iam quasi aridum mundum cum flore. Qui liberiori genere ex Prouincia Nursiæ ortus, Romæ liberalibus litterarum studijs traditus fuerat. Sed cùm in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum quem quasi in ingressu Mundi posuerat, retraxit pedem: ne si quid de scientia eius attingeret, ipse quoque in immane præcipitium totus iret. Despectis itaque litterarum studijs, relicta domo, rebusq; patris, soli Deo placere desiderans, sanctæ conuersationis habitum quæsiuit. Recessit igitur scienter nescius, & sapienter indoctus.

Huius ergo omnia gesta non didici, sed pauca quæ narro, quatuor discipulis illius referentibus agnoui: Constantino scilicet reuerentissimo valde viro, qui ei in Monasterij regimine successit: Valentiniano quoque, qui annis multis Lateranensi Monasterio præfuit: Simplicio, qui congregationem illius post eum tertius rexit: Honorato etiam qui nunc adhuc cellæ eius in qua prius conuersatus fuerat, præst.

Digitized by Google

ADNOTATIO.

PArentes B. Benedicti non prodidit Gregorius, plerique tamen scriptores, Patrem illius Proprium, siue Euproprium Matrem verò Abundantiam, vocatos fuisse referunt, natumq; asserunt Anno Domini quadringentesimo octogesimo, vno eodemq; partu cum sorore sua Scholastica.

De Capisterij fracti reparatione. Cap. I.

Nutricem hanc, quidam Cyrillā vocant.

HIC itaq; cùm iam relictis litterarum studijs, petere deserta decreuisset, Nutrix, quæ hunc arctius amabat, sola secuta est. Cumq; ad locum venisset, qui dicitur Effide, multisq; honestioribus viris pro charitate se illic retinentibus, in beati Petri Ecclesia demorarentur, prædicta Nutrix illius ad purgandum triticum à vicinis mulieribus præstari sibi capisterium petijt, quod super mensam incautè derelictum, casu accidente fractum est, sic vt in duas partes inueniretur diuisum. Quod mox rediens Nutrix illius, vt ita inuenit, vehementissimè flere cœpit, quia vas, quod præstitum acceperat, fractum videbat. Benedictus autem religiosus, ac pius puer, cum nutricem suam flere conspiceret, eius dolori compassus, ablatis secum vtrisque fracti Capisterij partibus, se se cum lacrymis in orationem dedit: qui ab oratione surgens, ita iuxta se vas sanum reperit, vt in eo inueniri fracturæ nulla vestigia potuissent: moxq; nutricem suam blandè consolatus, ei sanum Capisterium reddidit, quod fractum tulerat. Quæ res in eodem loco à cunctis est agnita, atque in tanta admiratione habita, vt hoc ipsum Capisterium eius loci incolæ in Ecclesiæ ingressu suspenderent: quatenus præsentes, & futuri omnes agnoscerent à quanta Benedictus puer conuersationis gratiam perfectione cepisset: quod annis multis illic ante omnium oculos fuit, & vsque ad hæc Longobardorum tempora, super fores Ecclesiæ pependit.

Sed Benedictus plus appetens mala mundi perpeti, quàm laudes, & pro Deo laboribus fatigari, quàm vitæ huius fauore extolli, nutricem suam occultè fugiens, deserti loci secessum

Digitized by Google

sum petijt, cui Sublacus vocabulum est, qui à Romana Vrbe quadraginta ferè millibus distans, frigidas, atque perspicuas emanat aquas: quæ illic videlicet aquarum abundantia in extenso prius lacu colligitur, ad extremum vero in amnem deriuatur. Quò dum fugiens pergeret, Monachus quidam Romanus nomine, hunc euntem reperit, quò tenderet requisiuit. Cuius cùm desiderium cognouisset, & secretum tenuit, & adiutorium impendit, eiq; sanctæ conuersationis habitum tradidit, & in quantum licuit ministrauit. Vir autem Dei ad eundem locum perueniens in arctissimum specum se tradidit, & tribus annis, excepto Romano Monacho, hominibus ibi incognitus mansit: qui videlicet Romanus, non longè in Monasterio sub Theodati Patris Regula degebat. Sed piè eiusdem Patris sui oculis furabatur horas, & quem sibi ad manducandum surripere poterat, diebus certis Benedicto, panem ferebat. Ad eundem verò specum à Romani cella iter non erat, quia excelsa desuper rupes eminebat, sed ex eadem rupe in longissimo fune ligatum Romanus deponere panem consueuerat, in qua etiam resti paruum tintinnabulum inseruit, vt ad eius sonum vir Dei cognosceret, quando sibi Romanus panem præberet, quem exiens acciperet. Sed antiquus hostis, vnius charitati inuidens, & alterius refectioni, cùm quadam die submitti panem conspiceret, iactauit lapidem, & tintinnabulum fregit. Romanus tamen modis congruentibus ministrare non desijt.

Cùm verò iam Deus omnipotens, & Romanum vellet à labore quiescere, & Benedicti vitam in exemplum hominibus demonstrare, vt posita super candelabrum lucerna clarescere, quatenus omnibus, qui in Domo Dei sunt luceret, cuidam Presbytero longius manenti, qui refectionem sibi in Paschali festiuitate parauerat, per visum Dominus apparere dignatus est, dicens: Tu tibi delicias paras, & seruus meus illo in loco fame cruciatur. Qui protinus surrexit, atque in ipsa sollemnitate Paschali cum alimentis, quæ sibi parauerat ad locum tetendit, & virum Dei per abrupta montium, per concaua vallium, per defossa terrarum quæsiuit, eumq; latere in specu reperit. Cumq; oratione facta benedicentes Dominum omnipotentem consedissent, post dulcia vitæ colloquia, is qui aduenerat Presbyter dixit: Surge sumamus cibum, quia hodie

Digitized by Google

hodie Paſcha eſt. Cui vir Dei reſpondit dicens: Scio quia Paſcha eſt, quia hodie videre te merui. Longe quippe ab hominibus poſitus, quia die eodem Paſchalis ſolemnitas eſſet ignorabat. Venerabilis autem Presbyter rurſus aſſeruit dicens: Veraciter hodie Reſurrectionis Dominicæ Paſchalis dies eſt, abſtinere tibi minimè congruit, quia & ego ad hoc miſſus ſum, vt omnipotentis dona Dei pariter ſumamus. Benedicentes igitur Dominum, ſumpſerunt cibum. Expleta itaque refectione, & colloquio, ad Eccleſiam ſuam Presbyter receſſit.

Eodem quoque tempore hunc in ſpecu latitantem etiam Paſtores inuenerunt: quem cum veſtitum pellibus inter fruteta cernerent, aliquam beſtiam eſſe crediderunt: ſed cognoſcentes Dei famulum, eorum multi ad pietatis gratiam à beſtiali mente mutati ſunt. Nomen itaque eius per vicina loca innotuit cunctis. Factumq́, eſt, vt ex illo iam tempore à multis frequentari cępiſſet: qui cum ei cibum afferrent corporis, ab eius ore in ſuo pectore alimenta referebant vitę.

ADNOTATIO.

CArdinalis Baronius tomo Annal. 6. Anno quadringenteſimo nonageſimo quarto, de receſſu ſancti Benedicti ab Vrbe, ſic ait: Hoc eodem anno magnus ille Monachorum Patriarcha Benedictus Occidentalis decus Eccleſiæ, Nurſinus patria, Romæ litteris dans operam, ab Vrbe recedens, proficiſcturus in ſolitudinem, ſublimioris vitæ Monaſticæ prima iecit fœliciter fundamenta.

Poſtquam verò longam de ſancti Benedicti ætate texuit diſputationem, eam tandem amplectitur opinionem, vt anno quadringenteſimo octogeſimo ſit natus, anno verò quadringenteſimo nonageſimo quarto, cùm annum ageret decimumquartum, ab Vrbe, vt Eremum peteret, receſſerit. Quibus ſic conſtitutis iſta ſubnectit: Sed falli, mea quidem ſententia, tuto qui Benedictum eius ætatis puerum, Eremum petiiſſe exiſtimant, haud aſſequuti Gregorij verborum ſententiam. Nec ſanè veriſimile eſt, vt tàm teneræ ætatis puer adeò arduum vitæ arripuerit inſtitutum, à quo totius per Romanum prudentem Monachum reuocandus fuiſſet, quàm famulatu pollicito impellendus. ſic ille.

Ad

Digitized by Google

Ad hæc breuiter dico. In scripturis sanctis, in Patribus, ac vniuersis denique scriptoribus, ea quæ dicuntur accipienda esse iuxta propriam verborum significationem, nisi aliquid obstet, quò minus ita intelligi possint: aliter enim vnicuique licebit scripturas quaslibet ad libitum interpretari, relicto verò, ac germano verborum sensu, qui maximè in historica narratione retinendus est. Cum ergo Beatus Gregorius, in præsenti narratione historiam texat, & sanctum Benedictum puerum fuisse asserat, nihilq; obstet si dicamus eum decimoquarto ætatis suæ anno ab Vrbe recessisse, Eremum petijsse, atque in Spelunca se se abdidisse ita profectò dicendum est. Nec enim aliter intelligendus est Gregorius dum de Beato Benedicto ait, quòd ab ipso pueritiæ suæ tempore cor gerens senile, ætatem moribus transiens, nulli voluptati animum dedit. Sancto Spiritu in ipso operante, cuius gratia ab infantia fuit perfusus, vt ait sancta Hildegardis in vita sancti Disibodi, quæ habetur apud Surium tom. 4. die 8. Iulij. Tenera verò ætas quam causatur Cardinalis Baronius, nihil obstat, cum opus hoc non humanis viribus, aut consilio metiendum, sed diuinæ gratiæ inspiranti, mouenti, ac impellenti ascribendum sit. Plures namque alios legimus, qui hoc idem vitæ genus in tenera ætate arripuerunt. Et vt omittam sacrum Baptistam, de quo canit Ecclesia Diuum Lucam sequuta. Antra deserti teneris sub annis, ciuium turmas fugiens petisti. Sanctus Hilarion decimoquarto ætatis suæ anno ad magnum Antonium insolitudinem perrexit, neque ab eo ob teneram ætatem reiectus est: cumq. apud ipsum per aliquot menses mansisset, eiusq. vitæ rationem didicisset, nec dum annum decimumquintum egressus, Eremum solus incolere cœpit. Quin & Patrum nostrorum memoria, sanctus Franciscus de Paula decimumtertium annum circiter agens, in Eremum solus habitaturus secessit. Sed quid? Nonne Maurus duodennis, & Placidus septennis ad vitam rigidiorem excolendam, eidem Beato Benedicto traditi sunt? quos tamen vir sanctus ob teneram ætatem minimè repulit. Cum ergo sanctus Gregorius asserat puerum fuisse Benedictum cum Eremum petijt, retinenda est omninò communis sententia, quæ anno ætatis suæ decimoquarto eum petijsse Eremum asserit: nec est cur aliter interpretemur verba Gregorij cùm simpliciter, vt iacent intelligi possint, atque ab vniuersis, qui de Beato Benedicto hactenus Lucer.

Digitized by Google

scripserunt, ita sint intellecta.

Pergit verò Cardinalis Baronius dicere in laudem Beati Benedicti. Quod admiratione dignum est, sanè quidem in sancti Benedicti vocatione, summa Dei in consulendo suæ Ecclesiæ innotuit prouidentia. Etenim tempore, quo vniuersa Italia, Gallia, Hispania atque Aphrica à Gothis, & Vandalis Hæreticis Arianis possidebatur, Oriensq. penè totus esset infectus hæresibus; in tam tetræ noctis obscuritate, densaq. caligine, eiusmodi claritudo lucis effulsit, qua vniuersus catholicus orbis illustraretur. Quantus autem splendor ex viro Dei Benedicto ad Ecclesiam illustrandam diuinitus emicuerit, inferius suis locis ordine temporis enarrabimus. Sed quibus ista sint aucta progressibus, breuiter audi. Egit vir Dei tres annos in specu, tantum conscio sancto Romano, vt sanctus Gregorius tradit: inde verò Dei reuelatione notior factus, & virtute miraculorum redditus vniuersæ Regioni illi conspicuus, iuuidiæ iaculis ab hominibus appetitus, postquam vires Satanæ confregit, victor in omnibus ad vitæ sanctæ æmulationem suo exemplo quamplurimos traxit: cum tamquam ex alueario excrescentia apum examina in alia vasa ipse inferens, duodecim à se erecta Monasteria, repleuit: sicq. perseuerasse vsque ad annum Domini quingentesimum vndetrigesimum, atque postea migrasse Cassinum ex Cassinensi Chronico compertum habetur. Hæc ibi Cardinalis Baronius: sed nos Gregorium Papam ista fusius prosequentem audiamus.

De tentatione carnis superata. Cap. II.

QVADAM verò die dum solus esset, tentator adfuit. Nam nigra paruaq; auis, quæ vulgo Merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit, eiusq; vultui importunè insistere, ita vt manu capi posset, si hanc vir sanctus tenere voluisset, sed signo crucis edito, recessit auis. Tanta autem carnis tentatio, aui eadem recedente, sequuta est, quantam vir sanctus nunquam fuerat expertus. Quandam namq; aliquando fœminam viderat, quam malignus spiritus ante eius mentis oculos reduxit. tantoq; igne serui Dei animum, in specie illius accendit, vt dum in eius pectore

dore amoris flamma vim caperet, etiam pœnè deserere Eremum, voluptate victus, deliberaret. Tunc subitò superna gratia respectus, ad semetipsum reuersus est, atque vrticarum, & veprium iuxta densa succrescere fruteta conspiciens, exutus indumento, nudum se in illis spinarum aculeis, & vrticarum incendijs proiecit: ibiq; diu volutatus, toto ex eis corpore vulneratus exijt, & per cutis vulnera, eduxit à corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem. Cumq; benè pœnaliter foris arderet, extinxit, quod intus illicitè ardebat. Vicit itaque peccatum, quia mutauit incendium. Ex quo videlicet tempore (sicut posit discipulis ipse perhibebat) ita in eo est tentatio voluptatis edomita, vt tale aliquid in se minimè sentiret. Cœperunt postmodum multi iam mundum relinquere, atque ad eius magisterium festinare. Liber quippe à tentationis vitio, vero iure iam factus est virtutum Magister. Vnde & per Moysen in Exodo præcipitur, vt Leuitæ à vigintiquinque annis, & supra ministrare debeant. Ab anno verò quinquagesimo custodes vasorum fiant. Leu. 8. vers. 24

PETRVS.

Iam quidem prolati testimonij mihi aliquantum intellectus interlucet, sed tamen hoc plenius exponi postulo.

GREGORIVS.

Liquet Petre, quod in iuuentute carnis tentatio feruеat. Ab anno autem quinquagesimo calor corporis frigescat: vasa autem sacra sunt fidelium mentes. Electi ergo cum adhuc in tentatione sunt, subesse eos, ac seruire necesse est, & obsequijs, laboribusq; fatigari. Cum verò iam mentis ætate tranquilla calor recesserit tentationis, custodes vasorum sunt, quia Doctores animarum fiunt.

PETRVS.

Fateor, placet quod dicis: sed quia prolati testimonij clausa reseraſti, quæso vt de vita iusti debeas ea, quæ sunt inchoata percurrere.

De

De vitro fracto per signum Crucis. Cap. III.

GREGORIVS.

RECEDENTE igitur tentatione, vir Dei, quasi spinis erutis exculta terra, de virtutum segete feracius fructus dedit. Præconio itaque eximiæ conuersationis celebre nomen eius habebatur. Non longè autem Monasterium fuit, cuius Congregationis Pater defunctus est, omnisq; ex illo Congregatio ad eundem venerabilem Benedictum venit, & magnis precibus, vt eis præesse deberet petijt. Qui diu negando distulit, suos, illorumq; Fratrum mores conuenire non posse prædixit, sed victus quandoq; precibus, assensum dedit. Cumq; in eodem Monasterio regularis vitæ custodiam teneret, nulliq; vt prius per actus illicitos in dexteram, leuamq; partem deflectere à conuersationis itinere liceret: susceptí fratres insanè sæuientes, semetipsos prius accusare cœperunt, quia hunc sibi præesse poposcerant, quorum scilicet tortitudo in norma eius rectitudinis offendebat. Cumq; sibi sub eo conspicerent illicita non licere, & se dolerent assueta relinquere, durumq; esset, quod in mente veteri cogebantur noua meditari, & quia grauis est semper prauis moribus vita bonorum, tractare de eius morte aliqui conati sunt: qui inito consilio venenum vino miscuerunt, & cum vas vitreum in quo ille pestifer potus habebatur, recumbenti Patri ex more Monasterij ad benedicendum fuisset oblatum, extensa manu Benedictus signum crucis edidit, & vas quod longius tenebatur, eodem signo rupit, sicq; confractum est, ac si in illo vase mortis, pro cruce lapidem dedisset. Intellexit protinus vir Dei, quia potum mortis habuerat, quod portare non potuit signum vitæ: atque illico surgens, vultu placido, mente tranquilla, conuocatos Fratres alloquutus est dicens: Misereatur vestri, Fratres, omnipotens Deus, quare in me facere ista voluistis? Nunquid non prius dixi vobis, quia vestris, ac meis moribus minimè conueniret? ite, & iuxta vestros mores Patrem vobis quærite, quia posthac me habere minimè potestis. Tuncq; ad locum dilectæ solitudinis redijt, & solus in superni spectatoris oculis habitauit secum.

PE-

Digitized by Google

PETRVS.

Minus patenter intelligo, quidnam sit, habitauit secum.

GREGORIVS.

Si sanctus vir contra se vnanimiter conspirantes, suęq; conuersationi longè dissimiles, coactos diu sub se tenere voluisset, fortassis sui vigoris vsum, & modum tranquillitatis abscinderet, atque à contemplationis lumine suæ mentis oculum declinasset. Dumq; quotidie illorum correptione fatigatus, minus curaret sua, & se forsitan relinqueret, & illos non inueniret: nam quoties per cogitationis motum nimium extra nos ducimur, & nos sumus, & nobiscum non sumus, quia nosmetipsos minimè videntes per alia vagamur. An illum secum fuisse dicimus, qui in longinquam regionem abijt, portionem quam acceperat consumpsit, vni in ea ciuium adhæsit, porcos pauit, quos cùm manducare videret siliquas, & has esuriret, tamen cum postmodum cœpit cogitare bona, quæ perdidit, scriptum de illo est: In se reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? Si igitur secum fuit, vnde ad se redijt? hunc ergo venerabilem virum secum habitasse dixerim, quia in sua semper custodia circumspectus, ante oculos conditoris se semper aspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non diuulgauit.

PETRVS.

Quid ergo, quod de Apostolo Petro scriptum est, dum de carcere ab Angelo eductus fuisset, qui ad se reuersus dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum? Act 12.

GREGORIVS.

Duobus modis, Petre, extra nos ducimur: quia aut per cogitationis lapsum sub nosmetipsos recidimus, aut per contemplationis gratiam super nosmetipsos leuamur. Ille itaque, qui porcos pauit, vagatione mentis, & immunditiæ sub semetipsum cecidit: iste verò quem Angelus soluit, eius mentem in estasim rapuit, extra se quidem, sed super semetipsum fuit.

Digitized by Google

fuit. Vterque ergo ad se redijt, quando & ille ab errore operis se collegit ad cor, & iste à contemplationis culmine ad hoc redijt, quod in intellectu communi, vt prius fuit. Venerabilis igitur Benedictus in illa solitudine habitauit secum, in quantum se intra cogitationis claustra custodiuit: nam quotiescumque hunc contemplationis ardor in altum rapuit, se procul dubio sub se reliquit.

PETRVS.

Placet, quod dicis: sed quæso respondeas, si deserere fratres debuit, quos semel suscepit.

GREGORIVS.

Vt ego, Petre existimo, ibi adunati æquanimiter portandi sunt mali, vbi inueniuntur aliqui, qui adiuuentur boni. Nam vbi omnimodè de bonis fructus deest, fit aliquando de malis labor vacuus, maximè si è vicino causæ suppetant, quæ fructum Deo ferre valeant meliorem. Vir itaque sanctus propter quem custodiendum staret, qui omnes vnanimiter se persequentes cerneret? Et sæpè agitur in animo perfectorum (quod silentio prætereundum non est) quia cum laborem suum sine fructu esse considerant, in locum alium ad laborem cum fructu migrant. Vnde ille quoque egregius prædicator, qui dissolui cupit, & esse cum Christo, cui viuere Christus est, & mori lucrum, qui passionum certamina non solum ipse appetijt, sed ad toleranda hæc, & alios accendit, Damasci persecutionem passus, vt posset euadere, murum, funem, sportamq; quæsiuit, seq; latenter deponi voluit. Numquid nam Paulum mortem dicimus timuisse, quam se ipse pro amore Iesu testatur appetere? Sed cum in eodem loco minorem fructum adesse conspiceret, graui labore ad laborem se alibi cum fructu seruauit. Fortis enim præliator Dei teneri intra claustra noluit, certaminis campum quæsiuit. vnde idem quoque venerabilis Benedictus, si libenter audis, citius agnoscis, quia non tantos ipse indociles deseruit, quantos in locis alijs à morte animæ suscitauit.

PETRVS.

Ita esse, vt doces, & manifesta ratio, & prolatum congruum testimo-

Digitized by Google

testimonium declarat. Sed quæso, vt de vita tanti Patris ad narrationis ordinem redeas.

GREGORIVS.

Cùm sanctus vir diu in eadem solitudine virtutibus, fignisq; succresceret, multi ab eo in eodem loco ad omnipotentis Dei sunt seruitium congregati: ita vt illic duodecim Monasteria cum omnipotentis Iesu Christi Domini opitulatione construeret: in quibus statutis Patribus, duodenos Monachos deputauit, paucos verò secum retinuit, quos adhuc in sua præsentia aptius erudiri iudicauit. Cœpere etiam tunc ad eum Romanæ Vrbis nobiles, & Religiosi concurrere, suosq; ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonæ spei suas soboles Eutichius (*alias Aequitius*) Maurum. Tertullus verò patricius Placidum tradidit: è quibus Maurus iunior, cum bonis polleret moribus, Magistri adiutor cœpit existere. Placidus verò puerilis adhuc indolis gerebat annos.

ADNOTATIO.

OBlati fuere hi duo pueri Beato Patri Benedicto Anno Domini quingentesimo vigesimo tertio: cum Maurus duodecim: Placidus verò septem esset annorum, Beatus verò Pater tertium supra quadragesimum ageret annum, atque ab eius conuersione viginti nouem fluxissent anni.

De castigatione Monachi vāgi. Cap. IV.

IN vno autem ex eis Monasterijs, quæ circumquaque construxerat, quidā Monachus erat, qui ad orationem stare non poterat: sed mox, vt se Fratres ad studium orationis inclinabant, ipse egredi batur foras, & mente vaga, terrena aliqua, & transitoria agebat. Cumq; ab Abbate suo sæpius fuisset admonitus, ad virum Dei deductus est: qui ipse quoque stulticiam eius vehementer increpauit, & ad Monasterium reuersus vix duobus diebus viri Dei admonitionem tenuit. Nam die tertia ad vsum proprium reuer-

Digitized by Google

reuersus, vagari tempore orationis cœpit. Quod cum seruo Dei ab eodem Monasterij Patre, quem cõstituerat, nunciatum fuisset, dixit: Ego venio, & hunc per me meripsum emendo. Cumq; vir Dei venisset ad idem Monasterium, & constituta hora, expleta Psalmodia, se se Fratres in orationem dedissent, aspexit quod eundem Monachum, qui in oratione manere non potuit, quidam niger puerulus per vestimenti fimbriam foras traheret. Tunc eidem Patri Monasterij Pompeiano nomine, & Mauro Dei famulo secretè dixit. Numquid non aspicitis quis est, qui istum Monachum foras trahit? qui respondentes dixerunt: Non, quibus ait: oremus, vt vos etiam videatis, quem iste Monachus sequitur. Cumq; per biduum esset oratum Maurus Monachus vidit, Pompeianus verò eiusdem Monasterij Pater videre non potuit. Die igitur altera expleta oratione vir Dei oratorium egressus, stantem foris Monachum reperit, quem pro cæcitate cordis sui, virga percussit: qui ex illo die nihil persuasionis vlterius à nigro iam puerulo pertulit, sed ad orationis studium immobilis permãsit: sicq; antiquus hostis dominari non ausus est in eius cogitatione, ac si ipse percussus fuisset ex verbere.

De fonte in vertice montis viri Dei oratione producto. Cap. V.

EX his autem Monasterijs, quæ in eodem loco construxerat, tria sursum in rupibus montis erant, & valde erat fratribus laboriosum, quod semper ad lacum oportebat descendere, vt aquam haurire debuissent: maximè quia è deuexo montis latere erat graue descendentibus in timore periculum. Tunc collecti Fratres ex eisdem Monasterijs, ad Dei famulum Benedictum venerunt, dicentes. Laboriosum nobis est propter aquam quotidie vsque ad lacum descendere, & iccirco necesse est ex eodem loco Monasteria mutari. Quos blandè consolans dimisit, & nocte eadem cum paruo puerulo nomine Placido, cuius superius memoriam feci, eiusdem montis rupem ascendit, ibiq; diutius orauit, & oratione completa, tres petras in loco eodem pro signo posuit, atque ad suum, cunctis illis nescientibus Monasterium

Digitized by Google

nasterium redijt. Cumq. die alia ad eum pro necessitate aquę prædicti Fratres redijssent, dixit. Ite & rupem illam in qua tres super inuicem posítas petras inueneritis, in modicum cauate, valet enim omnipotens Deus etiam in illo montis cacumine aquam producere, vt vobis laborem tanti itineris dignetur auferre. Qui euntes, rupem montis, quam Benedictus prædixerat, iam sudantem inuenerunt. Cumq; in ea cõcauum locum feciſſent, ſtatim aqua repletus eſt, quæ tàm ſufficienter emanauit, vt nunc vſque vbertim defluat, atque ab illo montis cacumine, vſque ad inferiora deriuetur.

De reiunctione ferri cum manubrio. Cap. VI.

ALIO quoque tempore Gothus quidam pauper ſpiritu ad conuerſionem venit, quem Dei vir Benedictus libentiſſimè ſuſcepit. Quadam verò die ei dari ferramentum iuſſit, quod ad falcis ſimilitudinem falcaſtrum vocatur, vt de loco quodam vepres abſcinderet, quatenus illic hortus fieri deberet. Locus autem ipſe, quem mundandum Gothus ſuſceperat, ſuper ipſam laci ripam iacebat. Cumq, Gothus idem denſitatem veprium totius virtutis anniſu ſuccideret, ferrum de manubrio proſiliens, in lacum cecidit, vbi ſcilicet tanta erat aquarum profunditas, vt ſpes requirendi ferramenti, nulla iam eſſet. Itaque ferro perdito, tremebundus ad Maurum Monachum cucurrit Gothus, damnum quod fecerat nunciauit, & reatus ſui egit pœnitentiam. Quod Maurus quoque Monachus mox Benedicto famulo Dei curauit indicare. Vir igitur Domini Benedictus hæc audiens, acceſſit ad lacum, tulit de manu Gothi manubrium, & miſit in lacum: & mox ferrum de profundo redijt, atque in manubrium intrauit. Qui ſtatim ferramentum Gotho reddidit, dicens: Ecce labora, & noli contriſtari.

De

Digitized by Google

De ambulatione Mauri ſuper aquas. Cap. VII.

QVADAM verò die, dum idem venerabilis Benedictus in Cella conſiſteret, prædictus Placidus puer ſancti viri Monachus, ad hauriendam de lacu aquam egreſſus eſt: qui vas, quod tenuerat in aquam incautè ſubmittens; ipſe quoque cadendo ſequutus eſt. Quem mox vnda rapuit, & penè ad vnius ſagittæ curſum, eum à terra introrſus traxit. Vir autem Dei intra Cellam poſitus, hoc protinus agnouit, & Maurum feſtinè vocauit dicens. Frater Maure curre, quia puer ille, qui ad hauriendum aquam perrexerat, in lacum ceeidit, iamq; eum vnda longius trahit. Res mira, & poſt Petrum Apoſtolum inuſitata. Benedictione etenim poſtulata, atque percepta, ad Patris ſui imperium concitus perrexit Maurus. Itaque vſque ad eum locum, quò ab vnda deducebatur puer, per terram ſe ire exiſtimans, ſuper aquam cucurrit, eumq; per capillos tenens, curſu rapido redijt. Qui mox, vt terram tetigit, ad ſe reuerſus poſt tergum reſpexit, & quia ſuper aquas cucurriſſet agnouit, & quod præſumere non potuiſſet, vt fieret, miratus extremuit factum. Reuerſus itaque ad Patrem, rem geſtam retulit. Vir autem venerabilis Benedictus, hoc non ſuis meritis, ſed illius obedientiæ deputare cœpit. At contra Maurus pro ſolo eius imperio factum dicebat: ſeq; conſcium in illa virtute non eſſe, quam neſcius feciſſet. In hac itaque mutua humilitatis, & amica contentione, acceſſit arbiter puer, qui ereptus eſt, nam dicebat: Ego cum ex aqua traherer, ſuper caput meum, Melotem Abbatis videbam, atque ipſum me ex aquis educere conſiderabam.

PETRVS.

Magna ſunt valde, quæ narras, & multorum ædificationi pro futura: Ego autem boni viri miracula, quo plus bibo, eo plus ſitio.

De

Digitized by Google

De infecto per venenum pane per coruum longius proiecto. Cap. VIII.

CVM iam loca eadem in amorem Domini nostri Iesu Christi, longè lateq; feruescerent, & sæcularem vitam multi relinquerent, & sub leni Redemptoris iugo ceruicem cordis edomarent: sicut mos prauorum est inuidere alijs virtutis bonum, quod ipsi habere non appetunt: vicinæ Ecclesiæ Presbyter Florentius nomine, huius nostri Subdiaconi Florentij Auus, antiqui hostis malitia percussus, sancti viri studijs cœpit æmulari, eiusq; conuersationi derogare: quosq; etiam posset, ab illius visitatione compescere. Cumq; se iam conspiceret eius profectibus obuiare non posse, & conuersationis illius opinionem crescere, atque multos ad statum vitæ melioris, ipso quoque eius opinionis præconio indesinenter vocari, inuidiæ facibus magis magisq; succensus, deterior fiebat: quia conuersationis illius appetebat habere laudem, sed habere laudabilem vitam nolebat. Qui eiusdem inuidiæ tenebris cœcatus ad hoc vsque perductus est, vt seruo omnipotentis Dei infectum veneno panem, quasi pro benedictione transmitteret. Quem vir Dei cum gratiarum actione suscepit: sed eum, quæ pestis lateret in pane, non latuit. Ad horam verò refectionis illius ex vicina silua Coruus venire consueuerat, & panem de manu eius accipere. Qui cum more solito venisset, panem quem Presbyter transmiserat, vir Dei ante Coruum proiecit, eiq; præcepit, dicens. In nomine Iesu Christi Domini nostri tolle hunc panem, & tali eum in loco proijce, vbi à nullo hominum possit inueniri. Tunc Coruus aperto ore, expansis alis circa eumdem panem cœpit discurrere, & crocitare: ac si apertè diceret, & obedire se velle, & tamen iussa implere non posse. Cui vir Domini præcipiebat iterum, atq. iterum dicens. Leua leua securus, atque ibi proijce, vbi inueniri non possit. Quem diù demoratus, quandoq. Coruus momordit, leuauit, & recessit. Post trium verò horarum spatiũ abiecto pane redijt, & de manu hominis Dei annonam, quam consueuerat accepit. Venerabilis autem Pater contra vitam suam exardescere Sacerdotis animum videns, illi magis, quam sibi doluit.

Digitized by Google

Sed prædictus Florentius, quia Magistri corpus necare non potuit, se ad extinguendas discipulorum animas accendit: ita vt in horto cellæ, cui Benedictus inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret, quæ coram eis sibi inuicem manus tendentes, & diutius ludentes, illorum mentes ad peruersitatem libidinis inflammarent. Quod vir Sanctus de cella conspiciens, lapsumq. adhuc tenerioribus discipulis pertimescens, idq. pro sui solius persequutione fieri pertractans, inuidiæ locum dedit, atque oratoria, & cuncta, quæ construxerat, substitutis præpositis, adiunctis Fratribus ordinauit, & paucis secum Monachis ablatis habitationem mutauit loci. Sicq. vir Dei eius odia humiliter declinauit, quem omnipotens Deus terribiliter percussit. Nam cum prædictus Presbyter stans in solario Benedictum discessisse cognosceret, & exultaret, perdurante immobiliter tota domus fabrica, hoc ipsum tantum, in quo stabat solarium, cecidit, & Benedicti hostem conterens, extinxit. Quod viri Dei discipulus Maurus nomine statim venerabili Patri Benedicto, qui adhuc à loco eodem, vix decem millibus aberat, æstimauit esse nunciandum, dicens. Reuertere, quia Presbyter, qui te persequebatur, extinctus est. Quod vir Dei Benedictus audiens, se se in grauibus lamentationibus dedit, vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus exultauit. Qua de re factum est, vt eidem quoque discipulo pœnitentiam indiceret, quod mandans talia, gaudere de inimici interitu præsumpsisset.

PETRVS.

Mira sunt, & multum stupenda, quæ dicis. Nam in aqua ex petra producta Moysen, in ferro verò quod ex profundo aquę redijt Heliseum: in aquæ itinere Petrum, in corui obedientia, Heliam, in luctu autem mortis inimici, Dauid video, & vt perpendo vir iste spiritu iustorum omnium plenus fuit.

GREGORIVS.

Vir Dei Benedictus, Petre, vnius Dei spiritum habuit, qui per cõcessæ redemptionis gratiam, electorum corda omnium
Ioan. 1 impleuit, de quo Ioannes dicit. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. De quo rursus scriptum est: de plenitudine eius nos omnes accepimus.

Nam

Digitized by Google

Nam sancti Dei homines potuerunt à Domino virtutes habere, non etiam alijs tradere. Ille autem signa virtutis dedit subditis, qui se daturum signum Ionæ promisit inimicis, vt coram superbis mori dignaretur, coram humilibus resurgeret: quatenus & illi viderent, quod contemnerent, & isti, quod venerantes amare debuissent. Ex quo mysterio actum est, vt dum superbi aspiciunt despectum mortis, humiles contra mortem acciperent gloriam potestatis. Matth. 12.

ADNOTATIO.

Apertè docet hic sanctus Gregorius beatum Patrem Benedictum, locum quem apud Sublacum elegerat, diuq. incoluerat, reliquisse, aliòq. migrasse, vt inuidiam Florentij Presbyteri declinaret, salutiq. spiritali discipulorum suorum, quorum animas Florentius perdere conabatur, consuleret. Ex quibus planè constat mendum esse, & manifestum errorem, quod in Annalibus Ecclesiasticis Illustrissimi Cardinalis Baronij tom. 7. ad annum Christi quingentesimum vigesimum tertium habetur, videlicet migrasse Cassinum sanctum Benedictum vitantem Fratrum inuidiam: nam vt vidisti, Gregorius (quem Cardinalis Baronius ibidem consulendum censet) non Fratrum, sed Florentij Presbyteri inuidiam, expresse ipsum asserit declinasse, propterea q. recessisse. Errorem hunc volui adnotare, vt honori, & famæ discipulorum, & Monachorum sancti Benedicti consulerem. Crediderim tamen errorem hunc adeò crassum non esse imputandum sapientissimo Cardinali, sed vel oscitantia exceptoris, vel incogitantia correctoris impressionis irrepsisse.

PETRVS.

Quæso te posthæc, ad quæ loca vir sanctus migrauerit, vel si aliquas in eis virtutes postmodum ostenderit, innotesce.

GREGORIVS.

Sanctus vir ad alia demigrans, loca non hostem mutauit: nam tanto post grauiora prælia pertulit, quantum contra se apertè pugnantem ipsum malitiæ Magistrum inuenit. Casinum namq; quod Cassinum dicitur in excelsi montis latere

Digitized by Google

ſitum eſt, qui videlicet Mons diſtenſo ſinu hoc idem Caſtrum recipit, ſed per tria millia in altum ſe ſubrigens, velut ad aera cacumen tendit: vbi vetuſtiſſimum fanum fuit, in quo ex antiquorum more gentilium, à ſtulto ruſticorum populo Apollo colebatur. Circumquaque etiam in cultu demonum luci ſuccreuerant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium inſana multitudo ſacrificijs ſacrilegis inſudabat. Illuc itaq. vir Dei perueniens, contriuit Idolum, ſubuertit aram, ſuccendit lucos, atque in ipſo templo Apollinis oraculum Beati Martini, vbi verò Ara eiuſdem Apollinis fuit, oraculum ſancti Ioannis conſtruxit, & commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat.

Sed hæc antiquus hoſtis tacitè non ferens, non occultè, vel per ſomnium, ſed aperta viſione eiuſdem Patris oculis ſe ſe ingerebat, & magnis clamoribus vim ſe perpeti conquerebatur, ita vt voces illius etiam Fratres audirent, quamuis imaginem minimè cernerent. Vt enim diſcipulis ſuis venerabilis Pater dicebat, corporalibus eius oculis idem antiquus hoſtis teterrimus, & ſuccenſus apparebat, qui in eum ore, oculisq. flammantibus ſæuire videbatur. Iam verò, quæ diceret, audiebant omnes: prius enim hunc vocabat ex nomine: cui cùm vir Dei minimè reſponderet, ad eius mox contumelias erumpebat. Nam cum clamaret dicens: Benedicte, Benedicte, & eum ſibi nullo modo reſpondere conſpiceret, protinus adiungebat, Maledicte non Benedicte, quid mecum habes? quid me perſequeris? Sed iam nunc ſpectanda ſunt contra Dei famulum, antiqui hoſtis noua certamina. Cui pugnam quidem volens intulit, ſed occaſiones victoriæ miniſtrauit inuitus.

ADNOTATIO.

DE hoc receſſu à Monaſterio Sublacenſi, & acceſſu ad Caſſinum Caſtrum, iſta refert Gordiauus ſancti Benedicti diſcipulus in vita ſancti Placidi martyris cap. 5. Sanctus Benedictus lapſum tenerioribus diſcipulis (ex facto Florentij) pertimeſcens, eos cuſtodiri præcepit, dareq. inuidiæ locum diſpoſuit. Hæc dum ſollicita ſecum mente tractaret, reuelatio cœleſtis, tali illum adhortari eſt dignata oraculo. Vt quid dulciſſime, ac dilectiſſime Benedicte triſtaris? numquid nam non reminiſce-

Digitized by Google

miniſteris illud, quod ego diſcipulis meis loquutus ſum, dicens. Si me perſequuti ſunt, & vos perſequentur? Tibi alia eſt eligenda via, aliud iter quærendum. Te namq. elegi ex omnibus incolentibus orbem Tu Euangelij mei tuba cœleſtis exiſtes Spiritu meo repletus. Surge iam, & vade ad Caſtrum Caſſinum, & populum eiuſdem Prouinciæ, qui adhuc Idolorum nefandis cultibus ſeruit, & in quorum præcordijs Satanæ verſutia regnat, qui nihil ſciunt, aut dicunt, niſi quod in cordibus eorum veternoſi ſerpentis aſſutia ſcripſit, ſermone verifico præaicans, meum ad cultum conuertere ſtude, quia tecum ego ero, & non te deſeram, & confundam omnes aduerſarios tuos. Proficiſcere Idolorum ad pugnam, confortare, & eſto robuſtus, quia caſtrum tibi tradam, & illic ſedes nominis tui in perpetuum erit. Talia dum ſanctus Pater Benedictus audiſſet, ſuos ad ſe diſcipulos euocans, ſic eis orſus eſt fari. Audite me fratres, & filij, cohæredes, & ſocij in promiſſo Regis æterni. nam mihi Dominus meus Ieſus Chriſtus præcepit, vt ad culturam Idolorum exterminandam, æternaq. obliuioni tradendam, Caſtrum petam Caſſinum: ideoq. voluntas Dei noſtris voluntatibus modis omnibus anteponenda eſt. Noſtis præterea, & benè noſtis quantos dolos, quantasq. inſidias Florentius Presbyter intulit, qui me veneno interficere, & diſcipulorum meorum Placidi, & Mauri animas extinguere voluit. Quapropter cedendum loco eſt, iuxta illud æterni Regis eloquium: Si vos perſequuti fuerint in vna Ciuitate, fugite in aliam. Et quia ita eſt, iuſſioq. eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti imminet parere debemus, eundum eſt. Super hoc autem, & illa nobis lex eſt, vt viſcera pietatis omnibus aperiamus, & fraterno charitatis amore omnibus mortalibus iuuamen conferamus, ſicut & nos accepimus à Domino Ieſu Chriſto. Vos autem ſtate, & permanete in gratia, & conuerſatione ſanctæ Religionis, procul dubio ſcientes, quia quanto ſtudioſius in Spiritualibus diſciplinis permanſeritis, tanto maiora præmia in futuro examinis die percipietis. Hæc cum dixiſſet, anno Dominicæ incarnationis quingenteſimo vigeſimo nono, temporibus Iuſtini Monocratoris, oratoria cuncta, quæ conſtruxerat adiunctis in vnoquoque duodenis Fratribus ſub ſtatutis Præpoſitis ordinauit, & duobus Angelis, tribusq. coruis ſe comitantibus, ad Caſſinum Caſtrum pergere cœpit. Hactenus Gordianus.

Digitized by Google

Veniſſe beatum Benedictum ad Caſſinum Caſtrum diuina reuelatione monitum, aſſerit etiam ſanctus Zacharias Papa primus in priuilegio conceſſo Monaſterio Caſſinenſi, tempore Petronacis eiuſdem Monaſterij Abbatis, vbi ſic habet. Qui Pater ſanctiſſimus, dum vitam eremiticam duceret, diuina reuelatione monitus, ad eundem locum (Caſſinum ſcilicet) peruenit, duobus ſe Angelis comitantibus, cum beatiſſimo Mauro, & Placido Tertulli patricij filio, alijsq nonnullis: vbi templa Idolorum deſtruens, Monaſteriumq conſtruens, apoſtolicis illud decorauit virtutibus. Alexander quoque ſecundus in quodam diplomate, agens de fundatione Monaſterij Caſſinenſis, ait: illud non ſtudio hominum, ſed diuino imperio à ſanctiſſimo Patre Benedicto conſtructum fuiſſe. Agunt etiam de acceſſu beati Benedicti ad montem Caſinum, Petrus Damiani Cardinalis, ſermone in vigilia ſancti Benedicti, & eius æqualis Leo æque Cardinalis, & Epiſcopus Oſtienſis lib. 1. & cap 1. Hiſtoria Caſſinenſis cœnobij, & ambobus antiquior Paulus Diaconus lib. 1. Hiſtoriæ Longobardorum cap. 26. ad finem, qui omnes aſſerunt beatum Benedictum diuino oraculo monitum, Caſinum veniſſe, duobus Angelis, & tribus coruis comitatum, quæ omnia ſe aſſerunt accepiſſe à Marco Poeta beati Patris Benedicti diſcipulo, qui ad eundem Patrem Benedictum huc veniens, aliquot verſus in eius laudem compoſuit, in quibus inter cætera, ſic ait.

Ad quam tu ex alio monitus cum Monte venires:
Per deſerta tibi, dux fuit ipſe Deus.
Namq duos iuuenes, biuium perduxit ad omne:
Qui te firmarent, quod ſequereris iter.
Hic quoque viuenti iuſtorum dixerat vni,
His tu parce locis, alter amicus adeſt.
Credeq ficta loqui, niſi ternis ſolus abiret,
Tres ſubito corui promeruere ſequi.

Cardinalis item Baronius tom. 7. anno quingenteſimo vigeſimonono affirmat beatum Benedictum ex angustijs Sublacentium Montium, diuino monitu egreſſum, Caſinum petijſſe. Poſtquam verò Caſinum peruenit antequam Idola deſtrueret, & eorum aras ſubuerteret, per dies quadraginta in oratione permanſit; vt refert Gordianus, vbi ſupra in vita ſancti Placidi.

Ex

Digitized by Google

Ex quibus omnibus constat beatum Patrem Benedictum, vt ait Diuus Thomas opusc. 19 cap. 4. diuino iudicio reputatum fuisse idoneum, vt ei immediatè à Deo prædicationis committeretur officium. Fuit igitur sanctus Benedictus Prædicator Apostolicus, immò fuit verè Apostolus, cum fuerit homo missus à Deo ad disseminandam fidem catholicam in ijs regionibus Idolorum cultui deditis, munusq; sibi diuinitus traditum, virtutibus, ac signis mirabilibus confirmauerit. Quod si verè dixit Beda in Historia de gestis Anglorum lib. 2. cap. 13. beatum Gregorium Magnum Apostolum esse Anglorum, quia per discipulos suos Augustinum, Mellitum, aliosq. Monachos, gentem illam ab infidelitate ad fidem catholicam reduxit: non minori iure, & ratione dicimus nos beatum Benedictum Apostolum esse harum Regionum, cum non solum per discipulos, sed præcipuè per seipsum Idola contriuerit, aras subuerterit, lucos succenderit, Ecclesias fundauerit, & commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocauerit, vt beatus Gregorius in hoc cap. affirmat.

Cardinalis Baronius tom. 7. Anno quingentesimo vigesimo nono, postquam egit de aduentu sanctissimi Patris Benedicti ad Montem Cassinum, ista subnectit. Vt autem ad Cassini Montem Christi athleta diuinitus vocaretur, certamen, quod aduersus dæmones, mox ibi esset initurus, causa fuisse videtur. Nescio enim qua incuria dormitantium Episcoporum, quæ longè, lateq. in christiano orbe extincta erat, idololatria, in monte illo altioribus fixa radicibus, adhuc vigebat. Ibi namq. fortis armatus, tamquam impietatis arce munitus, cultum à sibi subditis, infeliciter exigebat. Sed cum fortior ipso venit penitus cedere cogitur. At quomodo id acciderit, à sancto Gregorio paucis accipe. Prosequitur deinde Cardinalis Baronius totam huius facti Historiam, sicut à nobis hoc capite, ex Gregorio, narrata est. Pagin. 148.

Circa ea, quæ Illustrissimus Cardinalis Baronius hoc loco dicit, quædam mihi animaduertenda occurrunt. Primum, Beatissimum Patrem Benedictum, diuinitus electum atque ad Cassini Montem destinatum, vt incuriam, & negligentiam dormitantium Episcoporum Cassinensiũ suppleret, atq; idolorum cultum, adhuc hoc in Monte vigentẽ, sua sollicitudine, & vigilantia, radicitus extirparet, aboleretq. quod Deo præstante, & adiuuan-

Digitized by Google

iuuante feliciter adimpleuit, perfecitq. Destruxit enim idolum, subuertit aram, succendit lucum, & sua suorumq. alumnorum continua prædicatione, commorantem circumquaque multitudinem, ad Christi fidem vocauit, conuertit, atque perduxit.

Secundò notandũ. Hanc diuinam missionem, & directionem, qua almus Pater Benedictus, ad hoc munus Apostolicum in his partibus obeundum, directus, ac destinatus est, fuisse veluti quandam Dei electionem, qua idem Pater sanctissimus, ad regimen, & gubernationem animarum Casinensis Diœcesis, (quæ proprio Pastore, & Episcopo destitutæ, siue neglectæ, infernalis leonis vnguibus laniabantur) assumptus est. Quarum salutem per se, suosq. discipulos, omni studio, & sollicitudine, curare non destitit: sicq. dormitantiam, & incuriam Casinensium Episcoporum suppleuit.

Pagin. 420.

Habuisse verò priscis illis temporibus Ecclesiam Casinensem, suum proprium, & peculiarem Episcopum, nullo modo est ambigendum: cùm legamus in 2. tom. conciliorum, Seuerum Casinatem Episcopum, subscripsisse cuidam concilio, Romæ in Basilica Constantiniana, sub Felice Tertio, circa annum Domini quadringentesimum octogesimumtertium celebrato. cuius quidem Seueri vitam, Petrus Casinensis Diaconus descripsit: atque in eodem Monasterio Seueri festum, die vigesima Iulij celebratur. Doctissimus etiam Pater Thomas Bozius, in egregio illo, de notis veræ Ecclesiæ opere signo duodecimo, meminit Fortunati Episcopi Casinensis, qui ex tempore, quo floruisse dicitur, videtur fuisse præfati Seueri in Episcopatu successor. Postquam verò sanctus Pater Benedictus ad Casini montem venit, ibiq sedem fixit, non amplius legimus Episcopos Casinenses, vt vel hinc appareat, ex illo tempore Episcopatum Casinensem, in Abbatiam sancti Benedicti transmigrasse: quod nutu, & dispositione diuina contigisse ex prænarratis, possumus rationabiliter affirmare.

Ex quibus euidenter apparet Abbatiam Casinensem, nunquam extitisse intra fines alicuius Diœcesis, sed ab initio suæ fundationis habuisse proprium, & distinctum territorium, illud videlicet, quod prius ad Casinensem Diœcesim pertinebat. Vnde cum sacrum concilium Tridentinum sess 23. cap. 10. de reformat. constituit, atque decernit, ne Abbates quantumuis exempti, possint tonsuram, vel minores ordines conferre cuiquam,

Digitized by Google

quam, qui regularis subditus sibi non sit: non comprehendit, nec includit in isto decreto Abbatem Monasterij Cassinensis, cum non consistat, nec aliquando constiterit intra fines alicuius Diœcesis, sed semper habuerit proprium, & separatum territorium, vt dictum est. Nec etiam comprehenditur, aut aliquatenus includi debet, in ijs sacri concilij decretis, in quibus aliquid interdicitur Abbatibus nullius, seu intra fines alicuius Diœcesis, consistentibus. Successit enim, & suffectus est in locum Episcopi Cassinensis, & sic exercet omnimodam iurisdictionem Episcopalem in propria Diœcesi, in quam prius illam exercebant Episcopi Cassinenses: vnde non habet Episcopum viciniorem, cui committantur, ea quæ concilium decreuit committenda Episcopo viciniori. Quare Summus Pontifex Sixtus V. statuit, vt omnia committantur Abbati Cassinensi in sua Diocœsi tam iustitiam, quàm gratiam concernentia: & in hac possessione hodie existit, & ipsi Abbati committitur cognitio causarum matrimonialium, beneficialium, & aliarum huiusmodi, quæ ad solos Episcopos pertinere noscuntur. Ipse propriam Synodum celebrat, Seminarium proprium instituit, & habet: examinatores Synodales in sua Diœcesi eligit, confessores approbat, promouendorum ad sacros ordines examen habet: tonsuram, & minores ordines suis subditis tam regularibus, quàm sæcularibus tribuit: litteras dimissoriales ad maiores ordines clericis suæ Diœcesis, confert: concursus pro beneficijs facit: Sacramentum confirmationis administrat; & alia plura, quæ concilium sustulit inferioribus Prælatis, exercet. Immò & cognitio causarum pro immunitate Ecclesiastica tuenda, quæ iuxta bullam fel. record. Gregorij XIV. ad solos Episcopos spectat, ipsi attributa est, & in eius possessione existit. Denique vniuersa, quæ de iure communi, vel priuilegio poterat in suos subditos tam regulares, quàm sæculares ante sacrum concilium exercere, potest & modo post concilium, quia non est illi sublata in his aut limitata potestas, ob prædictam rationem: vnde vtitur pleno iure Episcopali, nec vllus ex vicinis siue cõtermi-nis Episcopis, quidquam iurisdictionis in Cassinẽsi Diœcesi sibi arrogat: sed omnia Abbati regenda, & moderãda pacifice relinquuntur. Quin & mensium alternatiua illi concessa fuit.

Antequam hinc digrediamur, visum est adnotare quædam circa rationem, seu modum, quem sanctus Pater Benedictus in victu,

Digitized by Google

victu, & vestitu seruauit toto tempore vitæ suæ, desumpta ex Fausto eiusdem sancti Patris discipulo in vita sancti Mauri. Ibi enim agens de rigore, & austeritate, qua beatus Maurus corpus suum macerabat, sic ait. Quis enim vnquam austerius corpus proprium ieiunijs, abstinentia, vigilijs, squaloribus quoque, & nimijs domuit frigoribus? Frequenter enim eum vidimus in diebus sanctæ quadragesimæ, nec tunica, nec cuculla, nisi solummodo facco vti cilicino, & duabus tantummodo vicibus in hebdomada paruissimum potius praguſtare, quam sumere cibum. Hæc de sancto Mauro Faustus: quibus statim subnectit. Iste quippe mos in omni vita sanctissimo fuit Benedicto: cuius ille exemplo prouocatus affectione perualida corpus suum macerabat, in quantum illi eiusdem Patris sui permittebat licentia. Sic Faustus. Imitatus est Maurus Patrem suum Benedictum, imitemur & nos quantum possumus, vt inter veros, ac legitimos ipsius filios, & discipulos computari mereamur: & quod ille toto vitæ suæ tempore actitauit, nos statutis saltem, ac certis quibusdam diebus, peragere studeamus.

Chronologia sancti Patris Benedicti

Quod vero ad rationem temporis spectat, recessit sanctus Pater Benedictus à Sublaco, Cassinumq. profectus est, anno Domini quingentesimo vigesimonono, ibiq. vsque ad annum quingentesimum quadragesimumtertium (quo ex hac vita migrauit) permansit. Ex quibus facilè colligitur totius beati Patris vitæ chronologia. Ortus est anno quadringentesimo octogesimo, anno vero Domini quadringentesimo nonagesimoquarto, annum agens ætatis suæ decimumquartum, Eremum petijt: perseuerauit autem in illis montibus, & solitudine annis triginta quinque, ab anno videlicet quadringentesimo nonagesimoquarto, vsque ad annum quingentesimum vigesimumnonum. Tandem apud Cassinum annos peregit tredecim, & aliquot insuper menses, scilicet ab anno quingentesimo vigesimonono, vsque ad annum quingentesimum quadragesimumtertium, in quo sanctissimæ vitæ cursum glorioso fine concluſit, cum ageret ætatis suæ annum sexagesimumtertium. Hæc sunt, quæ de tempore, & ætate sancti Patris Benedicti ab vniuersis ferè, qui de his scribunt, traduntur.

Digitized by Google

De ingenti saxo per viri Dei orationem leuato. Cap. IX.

GREGORIVS.

QVADAM die dum Fratres habitacula eiusdem cellæ construerent, lapis in medio iacebat, quem in ædificium leuare decreuerunt. Cumq. eum duo, vel tres mouere non possent, plures adiuncti sunt, sed ita immobilis mansit, ac si radicitus in terra teneretur, vt palàm daretur intelligi, quod super eum ipse per se antiquus hostis sederet, quem tantorum virorum manus mouere non possent. Difficultate igitur facta, ad virum Dei missum est, vt veniret, & orando hostem repelleret, vt lapidem leuare possent. Qui mox venit, & orationem faciens, benedictionem dedit, & tanta lapis celeritate leuatus est, ac si nullum prius pondus habuisset.

De phantastico coquinæ incendio. Cap. X.

VNC in conspectu viri Dei placuit, vt in eodem loco terram foderent, quam dum fodiendo altius penetrarent, æreum illic Idolum Fratres inuenerunt: quo ad horam casu in coquinam proiecto exire ignis repente visus est, atque in cunctorum Monachorum oculis, quia omne eiusdem coquinæ ædificium consumeretur, ostendit. Cumq. iaciendo Fratres aquam ad ignem quasi extinguendum perstreperent, pulsatus eodem tumultu vir Dei, aduenit. Qui eundem ignem in oculis Fratrum esse, in suis vero non esse considerans, caput protinus in orationem flexit, & eos quos phantastico reperit igne deludi, vocauit, Fratres monuit, vt oculos suos signarent, vt & sanum illud coquinæ ædificium assistere cernerent, & flammas, quas antiquus hostis finxerat, non viderent.

Digitized by Google

De puero confracto à pariete sanato. Cap. XI.

RVRSVM, dum Fratres parietem, quia res ita exigebat, paulò altius erigerent, vir Dei in orationis studio intra cellæ suæ claustra morabatur. Cui antiquus hostis insultans apparuit, & ei, quod ad laborantes fratres pergeret, indicauit. Quod vir Dei per nuncium celerrimè Fratribus indicauit, dicens. Fratres cautè vos agite, quia ad vos hac hora malignus spiritus venit. Is qui mandatum detulit, vix verba compleuerat, & malignus spiritus eundem parietem, qui ædificabatur euertit, atque vnum puerulum Monachum cuiusdam curialis filium opprimens, ruina contriuit. Contristati omnes, ac vehementer afflicti, non damno parietis, sed contritione Fratris, venerabili Patri Benedicto celeriter cum graui luctu nunciarunt. Tunc idem Pater Benedictus dilaceratum puerum ad se deferri iubet: quem portare nonnisi in sacco potuerunt, quia collapsi saxa parietis, non solum eius membra, sed etiam ossa contriuerant. Precepitq; vir Dei statim eum in cella sua in pſyacio quo orare consueuerat, proijci, missisq; foras Fratribus cellam clausit, qui orationi instantius, quàm solebat incubuit. Mira res, eadem hora hunc incolumem, atque vt prius valentem, ad eundem iterum laborem misit: vt ipse quoque parietem cum Fratribus perficeret, de cuius se interitu antiquus hostis Benedicto insultare credidisset.

De Monachis, qui extra cellam comederant. Cap. XII.

COEPIT vero inter ista vir Dei prophetiæ etiam spiritu pollere, ventura prædicere, præsentibus etiam absentia nunciare. Mos etenim cellæ fuit, vt quoties ad responsum aliquod egrederentur Fratres, cibum, potumq; extra cellam minimè sumerent. Cumq; hoc de vsu Regulæ sollicitè seruaretur, quadam die ad responsum Fratres egressi sunt, & in eo tardiori compulsi sunt hora demorari. Qui manere iuxta religiosam fœminam nouerant, cuius ingressi habitaculum, sumpse-

In Regula c. 51.

Digitized by Google

ſumpſerunt cibum, Cumq; iam tardius ad cellam redijſſent, benedictionem Patris ex more petierunt. Quos ille protinus percontatus eſt dicens. Vbi comediſtis? qui reſponderunt, nuſquam. Quibus ille ait. Quare ita mentimini? Numquid illius talis fœminæ habitaculum non intraſtis? Numquid hos atque illos cibos non accepiſtis? Numquid tot calices non bibiſtis? Cumq; eis venerabilis Pater, & hoſpitium mulieris, & genera ciborum, & numerum potionum diceret, recognoſcentes cuncta, quæ egerant, ad eius pedes tremefacti ceciderunt, & ſe deliquiſſe confeſſi ſunt. Ipſe autem protinus culpæ pœnitentiam pepercit, perpendens, quod in eius abſentia vltra non facerent, quem præſentem ſibi eſſe in ſpiritu ſcirent.

De Fratre Valentiniani Monachi, quem vir Dei in via comediſſe carpſit. Cap. XIII.

FRATER quoque Valentiniani eius Monachi, cuius ſuperius memoriam feci, vir erat laicus, ſed religioſus. Qui vt ſerui Dei orationem perciperet, & germanum fratrem videret, annis ſingulis de loco ſuo ad cellam eius ieiunus venire conſueuerat. Quadam igitur die, dum iter ad Monaſterium faceret, ſe ſe illi alter viator adiunxit, qui ſumendos cibos in itinere portabat. Cumq; iam hora tardior excreuiſſet, dixit. Veni Frater, ſumamus cibum ne laſſemur in via. Cui ille reſpondit. Abſit, Frater, hoc non faciam: quia ad venerabilem Patrem Benedictum, ieiunus ſemper peruenire conſueui. Quo reſponſo percepto ad horam conuiator tacuit: ſed cum poſt aliquantulum itineris ſpatium egiſſent, rurſus admonuit, vt manducarent. noluit conſentire, qui ieiunus peruenire decreuerat. tacuit quidem, qui ad manducandum inuitauerat, & cum eo ieiunus adhuc pergere modicum conſenſit. Cumq; iter longius agerent, & eos tardior hora fatigaret ambulantes, inuenerunt in itinere pratum, & fontem, & quæcumque poterant ad reficiendum corpus delectabilia videri. Tunc conuiator ait. Ecce aqua, ecce pratum, ecce amœnus locus in quo poſſumus refici, & parum quieſcere, vt valeamus iter noſtrum poſtmodum

Digitized by Google

postmodum incolumes explere. Cum igitur, & verba auribus, & loca oculis blandirentur, tertia admonitione persuasus consensit, & comedit: vespertina vero hora peruenit ad cellam. Præsentatus autem venerabili Benedicto patri, sibi orationem petijt: sed mox ei vir sanctus hoc, quod in via egerat improperauit, dicens. Quid est, Frater, quod malignus hostis, qui tibi per conuiatorem tuum loquutus est, semel tibi persuadere non potuit, secundo non potuit, tertio vero persuasit, & te ad hoc, quod voluit, superauit? Tunc ille reatum infirmæ suæ mentis agnoscens, eius pedibus prouolutus, tanto magis cœpit culpam deflere, & erubescere, quanto se cognouit etiam absentem in Benedicti Patris oculis deliquisse.

PETRVS.

Ego sancti viri præcordijs Helisæi spiritum video inesse, quia absenti discipulo præsens extitit.

De simulatione Regis Totilæ deprehensa. Cap. XIV.

GREGORIVS.

OPORTET, Petre, vt interim fileas, quatenus adhuc maiora cognoscas Gothorum, namq. temporibus, cum Rex eorum Totila, sanctum virum prophetiæ habere spiritum audisset, ad eius Monasterium pergens, paulò longius substitit, eiq; se venturum esse nunciauit: cui dum protinus mandatum fuisset, vt veniret, ipse sicut perfidæ mentis fuit, an vir Dei prophetiæ spiritum haberet, explorare conatus est. Quidam vero eius spatarius Riggo dicebatur, cui calciamenta sua præbuit, eumq. indui vestibus regalibus fecit, quem quasi in persona sua pergere ad Dei hominem præcepit. In cuius obsequio tres, qui sibi præ cæteris adhærere consueuerant, comites misit, scilicet Vultericum, Rudericum, & Blindinum, vt ante serui Dei oculos ipsum Regem Totilam esse simulantes eius lateri ob ambularent, cui alia quoque obsequia quasi spatarij præberent, vt tam ex eisdem obsequijs, quam ex purpureis vestibus, Rex esse putaretur. Cumq. idem Riggo decoratus vestibus obsequentium

Digitized by Google

quentium frequentia comitatus, Monasterium fuisset ingressus, vir Dei eminus sedebat. Quem venientem conspiciens, cum iam ab eo audiri potuisset, clamauit dicens. Pone fili pone hoc, quod portas, non est tuum. Qui Riggo protinus in terram cecidit, & quia tanto viro illudere præsumpsisset, expauit. omnesq; qui cum eo ad hominem Dei veniebant, terræ consternati sunt. Surgentes autem, ad eum propinquare minimè præsumpserunt, sed ad suum Regem reuersi, nunciauerunt trepidi, in quanta velocitate fuerant deprehensi.

De Prophetia Regi Totilæ, & Canusinæ Ecclesiæ Antistiti facta. Cap. XV.



VNC per se idem Totila ad Dei hominem accessit, quem cum longè sedentem cerneret, non ausus accedere, se se in terram dedit. Cui cum vir Dei bis, teruè diceret, surge, sed ipse ante eum de terra erigere se non auderet: Benedictus Christi Iesu famulus per semetipsum dignatus est accedere ad Regem, prostratumq; de terra leuauit, & de suis actibus increpauit, atque in paucis sermonibus cuncta, quæ illi erant uentura prænunciauit, dicens. Multa mala facis, multa mala fecisti, iam aliquando ab iniquitate conquiesce. Equidem Romam ingressurus es, Mare transiturus, nouem annis regnabis, decimo morieris. Quibus auditis Rex vehementer territus oratione petita recessit: atque ex illo iam tempore minus crudelis fuit, & non multo post Romam adijt, & Siciliam perrexit. Anno autem Regni sui decimo omnipotentis Dei iudicio, Regnum cum vita perdidit.

Præterea Canusinæ Antistes Ecclesiæ ad eundem Dei famulum venire consueuerat, quem vir Dei pro vitæ suæ merito valde diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu Regis Totilæ, & Romanæ Vrbis perditione colloquium haberet, dixit: Per hunc Regem Ciuitas ista destruetur, vt iam amplius non inhabitetur. Cui vir Domini respondit. Roma à gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscis turbinibus, ac terremotu fatigata, in semetipsa marcescet. Cuius prophetiæ mysteria nobis iam facta sunt luce clariora, qui in hac Vrbe dissoluta mœnia, euersas domus, destructas Ecclesias

turbine

turbine cernimus: eiusq; ædificia longo senio laxata, quia ruinis crebrescentibus prosternantur, videmus. Quamuis hoc Honoratus eius discipulus, cuius mihi relatione compertum est, nequaquam ex ore illius audisse se perhibet, sed quia hoc dixerit, dictum sibi à fratribus fuisse testatur.

De Clerico à dæmone liberato vsque ad tempus. Cap. XVI.

EODEM quoque tempore quidam Aquinensis Ecclesiæ clericus à dæmonio vexabatur, qui à venerabili viro Constantio eiusdem Ecclesiæ Antistite per multa fuerat martyrum loca transmissus, vt sanari potuisset. Sed sancti Dei martyres noluerunt ei sanitatis donum tribuere, vt quanta esset in Benedicto gratia demonstrarent. Ductus itaque est ad omnipotentis Dei famulum Benedictum, qui Iesu Christo Domino preces fundens, antiquum hostem de obsesso homine protinus expulit. Cui sanato præcepit dicens. Vade, & posthac carnem non comedas, & ad sacrum ordinem nunquam accedere præsumas. Quacunque autem die ad sacrum ordinem accedere præsumpseris, statim iuri diaboli iterum mancipaberis. Discessit igitur Clericus sanus, & sicut terrere solet animum pœna recens, ea quæ vir Dei præceperat, interim custodiuit. Cum verò post annos multos omnes priores illius de hac luce migrassent, & minores suos sibimet superponi in sacris ordinibus cerneret, verba viri Dei, quasi ex longo tempore oblitus, postposuit, atque ad sacrum ordinem accessit: quem mox is, qui reliquerat diabolus tenuit, eumq; vexare quousque animam eius excuteret, non cessauit.

PETRVS.

Iste vir Dei, diuinitatis vt video, etiam secreta penetrauit: quia perspexit hunc Clericum iccirco diabolo traditum, ne ad sacrum ordinem auderet accedere.

GREGORIVS.

Quare diuinitatis secreta non nosset, qui diuinitatis præcepta

Digitized by Google

cepta seruaret? Cum scriptum sit. qui adhæret Domino vnus spiritus est cum illo. 1.Cor. 6.

PETRVS.

Si vnus sit cũ Domino spiritus, qui Domino adhæret, quid est, quod idem ipse egregius prædicator dicit: quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Valde enim esse inconueniens videtur, eius sensum, cum quo vnum factum fuerit ignorare. Rom. 11.

GREGORIVS.

Sancti viri in quantum cum Deo vnum sunt, sensum Domini non ignorant. Nam idem quoque Apostolus dicit: Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso? ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei. Qui vt se ostenderet nosse, quæ Dei sunt, adiunxit. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est. Hinc iterum dicit: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, nobis autem reuelauit per spiritum suum. 1. Cor. 2.

PETRVS.

Si ergo eidem Apostolo ea, quæ Dei sunt per Dei spiritum fuerant reuelata: quomodo super hoc, quod proposui præmisit, dicens. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Sed rursum mihi hæc dicenti alia suboritur quæstio: nam Dauid Propheta Domino loquitur dicens. In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. Et cum minus sit nosse, quam etiam pronunciare, quid est, quod Paulus incomprehensibilia esse Dei iudicia asserit, Dauid autem, & se omnia non solum nosse, sed etiam in labijs pronunciasse testatur? Rom. 11. Psalm. 118.

GREGORIVS.

Ad vtraque hæc tibi superius sub breuitate respondi dicens, quod Sancti viri in quantum cum Domino vnum sunt, sensum Domini non ignorant. Omnes enim, qui deuotè Dominum sequuntur, & iam deuotione cum Deo sunt, & adhuc

Digitized by Google

carnis corruptibilis grauati pondere, cum Deo non sunt: occulta itaque Dei iudicia in quantum coniuncti sunt, sciunt, in quantum disiuncti sunt, nesciunt quia enim secreta eius adhuc perfectè non penetrant, incomprehensibilia eius iudicia esse testantur. Quia vero mente ei inhærent, atque inhærendo, vel sacris scripturæ eloquijs, vel occultis reuelationibus in quantum accipiunt, agnoscunt: & non erunt hæc, & pronunciant. Iudicia igitur, quæ Deus tacet, nesciunt: quæ Deus loquitur, sciunt. Vnde & Dauid Propheta cum dixisset: In labijs meis pronunciaui omnia iudicia, protinus addidit, oris tui: ac si apertè dicat. Illa ego iudicia, & nosse, & pronunciasse potui, quæ te dixisse cognoui. Nam ea, quæ ipse non loqueris, à nostra proculdubio cognitione abscondis. Concordat ergo prophetica, apostolicaq; sententia, quia, & incomprehensibilia sunt Dei iudicia, & tamen quæ de ore eius prolata fuerint, humanis labijs pronunciantur: quoniam sciri ab hominibus, & prolata per Deum possunt, & occulta non possunt.

PETRVS.

In obiectione meæ quæstiunculæ patuit causa rationis, sed quæso te si qua sunt adhuc de viri huius virtute, subiunge.

De destructione Monasterij viri Dei ab ipso prædicta. Cap. XVII.

GREGORIVS.

VIR quidam nobilis Theoprobus nomine eiusdem Benedicti Patris fuerat admonitione conuersus, qui pro vitæ suæ merito magnam apud eum familiaritatis fiduciam habebat. Hic cum quadam die eius cellam fuisset ingressus, hunc amarissimè flentem reperit. Cumq; diù subsisteret, eiusq; non finiri lacrymas videret, nec tamen vt vir Dei consueuerat orando plangeret, sed mœrendo, quænam causa tanti luctus existeret, inquisiuit. Cui vir Dei illicò respondit. Omne hoc Monasterium, quod construxi, & cuncta, quæ fratribus præparaui; omnipotentis Dei iudicio gentibus tradita sunt. Vix autem obtinere potui, vt mihi

Digitized by Google

mihi ex hoc loco animæ concederentur. Cuius vocem tunc Theoprobus audiuit: Nos autem cernimus, qui destructum modo à Longobardorum gente eius Monasterium scimus. Nocturno enim tempore, & quiescentibus Fratribus, nuper illic Longobardi ingressi sunt: qui diripientes omnia, ne vnum quidem hominem illic tenere potuerunt: sed impleuit omnipotens Deus, quod fideli famulo suo Benedicto promiserat, vt si res gentibus traderet, animas custodiret. Qua in re Pauli vicem video tenuisse Benedictum, cuius dum nauis rerum omnium pertulit iacturam, ipse in consolatione vitam omnium, qui eum comitabantur, accepit.

ADNOTATIO.

Fastus beati Benedicti discipulus in prologo vitæ sancti Mauri de hac reuelatione scribens: addit qualiter omnipotens Deus cœlesti consolatione illum releuare, ac confortare dignatus est. Noli, inquit, probatissime, ac dilectissime Leo Benedicte, pro his quæ huic euentura didicisti loco, maestum vllo modo gerere animum, quoniam quod semel præfixum, atque decretum est inscrutabili summæ Deitatis consilio, intransibile, atque irreuocabile, sine dubio patrabitur, solis tibi tuo merito cunctorum concessis habitantium animabus. Sed aderit omnipotentis quam nuperrimè diuina propitiatio, & consolatio, qua & locum hunc in pristinum, immò in ampliorem quam nunc videtur, tuis meritis restituet gradum, & alijs perinde nationibus huius lumen religiositatis, de hoc eodem irradiabit loco. Et Zacharias in quodam diplomate Casinensis Monasterij eadem ferè verba habet, hæc tantum adiungens, Monasterium Casinense à Longobardis peruasum, & igne crematum fuisse. Qualiter vero postea refectum, ac restauratum fuerit, habetur in Chronico Casinensi Leonis Ostiensis libro primo cap. quarto.

Digitized by Google

De abſconſione flaſconis à beato Benedicto cognita. Cap. XVIII.

GREGORIVS.

QVODAM quoque tempore Exhilaratus noſter, quem ipſe conuerſum noſti, tranſmiſſus à Domino ſuo fuerat, vt Dei viro in Monaſterium, vino plena duo lignea vaſcula, quæ vulgo flaſcones vocantur, deferret: qui vnum detulit, alterum verò pergens in itinere abſcondit. Vir autem Domini, quem facta abſentia latere non poterant, vnum cum gratiarum actione ſuſcepit, & diſcedentem puerum monuit, dicens. Vide fili ne de illo flaſcone quem abſcondiſti bibas, ſed inclina illum cautè, & inuenies, quid intus habet. Qui confuſus valde à Dei homine exiuit: & reuerſus, volens adhuc probare, quod audierat, cum flaſconem inclinaſſet, de eo protinus ſerpens egreſſus eſt. Tunc prædictus Exhilaratus puer, per hoc quod in vino reperit, expauit malum, quod fecit.

ADDITIO.

Aſcendentibus ad Monaſterium Caſinenſe per viam ſancti Germani, in medio ferè itineris, occurrit quoddam ſacellum, titulo ſanctæ Crucis inſignitum, ſuper cuius altare viſitur quædam vetuſta ſcriptura, in lapidea tabula ſculpta, tenoris ſequentis. Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimoquarto, ſanctiſſimus Pontifex Cœleſtinus Quintus, cum limina beati Benedicti deuotè viſitaret, & ad cappellam ſanctæ Crucis, quæ in via publica eſt conſtructa, euntibus ad Caſinenſe Monaſterium peruenisſet: & miracula, quæ beatus Benedictus operatus eſt, ibidem certa relatione reperiſſet: ob reuerentiam almifici Patris, indulgentiam eidem cappellæ conceſſit: vt quicumque in prædictam cappellam ſanctæ Crucis ingrederetur, & Dominicam Orationem cum Aue Maria diceret, centum annos, & centum quadragenas, toties quoties inde tranſiret, miſericorditer obtineret, & haberet. Sic ibi. Quæ autem fuerint miracula, ob quæ ſummus Pontifex motus fuerit ad præfatam indulgentiam concedendam, videtur colligi

Digitized by Google

gi posse, ex subiectis litteris Roffredi Abbatis Casinẽsis, & Cardinalis, ad Ioannem de Salerno æquè Cardinalem datæ: quarum tenor talis est.

Domino Ioanni de Salerno Presbytero Cardinali Roffredus tituli sanctorum Marcellini, & Petri, & Casinensis Abbas.

CVm omnium, quæ circa nos geruntur non modica vos cura sollicitet, & vt verè diligens participem vos nostri & ex animo compassibilem in singulis offeratis: præter iuris ordinẽ incederemus vobiscum, & in lege amicitiæ, quam maxime peccaremus, si celaremus illud à vobis, quod compertum conferat gaudium, & de nostra calamitate deficientem quodammodo vestrum spiritum relaxaret. Ecce enim, quia magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes: sepultis enim omnium gaudiorum organis, solam qua præmebamur, miseriam pensabamus. Absorbuerat nos siquidem iam mœstitia vltra modum, & hinc rerum inopia, inde nos hostili metu præmentibus, eramus iam, & de vita dubij, & de morte securi. Concluserat namq; Dominus in gladio populum suum, depascebantur filij Belial vineam Domini, faciesq pauperum demolieban-tur, & in tantum sæuitia processerat malignorum, cuncta ferro flammisq. vastantium, vt iam non tantum corde, sed etiam ore insipiens diceret: Non est Deus, miseriq. pusillanimes, qui in miserijs non subsistunt, ignorantes quia de humo non egreditur dolor: clamauerunt, & Dominus non exaudiuit eos, quia cum occideret eos tunc inquirebant eum. Non sic generatio quærentium faciem Dei Iacob, qui in die tribulationis suæ requirunt Dominum manibus suis, idest operibus suis Exquirunt & inueniunt: petunt & accipiunt: pulsant, & aperitur eis Expertus est hoc sic esse, vt dicimus, claudus ille Ioannes de Vairano, vobis & cunctis, qui domum nostram frequentant, notissimus. Hic etsi homo dictus sit ratione vtens, quod est homini, in eo tamen minus homine putabatur, quia non pedibus gradiebatur vt homo, sed vt reptile manibus, natibusq. serpebat.

Dedit se hic talis Patri nostro confessori permagnifico Benedicto, ab eo tempore, quo castrum Vairani nobis est munificentia imperiali collatum: & cæteris illius terræ incolis à nostra

Digitized by Google

ditione recedentibus, non receſsit. Expectans expectauit ſi fortè veniret tempus miſerendi eius, ſi fortè ab illius impetu fluminis, qui totam lætificat ciuitatem Dei, aliqua miſericordiæ ſtilla profluueret, qua membris emortuis, neruisq. ariditate nimia tenuatis, aliquis infuſus vigor ſtupentes articulos viuacibus officijs ordinaret. Adfuit eius votis miſericordia Creatoris, nec meritum defuit Benedicti, cuius in hac cauſa patrocinio vtebatur. Nam ſexta feria proxima præterita, quæ Kalendas ſubſequuta eſt Iulij, excubans ante fores atrij, quod dicitur paradiſus, ſuper triticum, quod ibi congeſtum erat ad deſiccandum, reuerendi vultus ſenex, ſemel, & ſecundo aſtitit, & vt reſurgeret, ac abiret, ſatis imperioſe mandauit. Excitatus eſt homo, & quaſi in eeſtaſi poſitus quid ageret ignorabat; neſciebat enim ſenem, qui mandatum dederat, neſciebat ad quid ſurgeret, vel quò abire ſe vellet. Obdormiuit iterum, verum viſio priori ſimilis, immò longè expreſsior, & efficacior eſt ſequuta. Idem namq. ſenex in eodem habitu, ſcapulare videlicet indutus, & tunica, aſtitit homini, mandauit vt ſurgeret, fratrem Benedictum ſe eſſe nominans, locum etiam in quem eum ire vellet, deſignauit ex nomine. Vade, inquit, ad locum, qui dicitur ſanctæ Crucis, vbi in memoriam mei nominis Oratorium eſt conſtructum, illuc cum ieueris ſanitatem, quam ſuſpiraſti diutius, conſequeris. Eſt enim locus ille in memoriam ſignorum, quæ fecit ibi Dominus per merita confeſſoris ſui, ab antiquis in multa habitus deuotione, & à modernis de cætero plus habendus: vbi inter alia, quæ referuntur geſta miracula, duo præcipua memorantur, quorum alterum ex ſcriptura, alterum relatione didicimus ſenio rum. De vaſis, quæ vulgo dicuntur flaſcones, in quibus viro Dei vinum fidelis cuiuſdam deuotio deſtinauit, in dialogo ſuo beatus Gregorius refert, quòd vinigerulus alterum ſancto viro portauit, alterum quod ſibi nequiter retinere poſſe ſperabat, illo in loco dicitur occultaſſe. Mox autem, vt altero allato, alterum ſibi ſumere vellet, ſerpens de vaſe, iuxta verbum viri Dei, prodijt, & pro vino vinique ſublato, ipſum iniquitatis emiſit auctorem.

Ab antiquis etiam vſque ad nos proceſſit opinio, quod cum vellet vir Dei, mulæ inſidens, montem ſcandere, in ſcabroſum latus montis ingens, mula corruit: ſed ne vir ſanctus, vel animal, quo vehebatur læſionem aliquam pateretur, in ceræ mollitiem

Digitized by Google

litiem resolutus lapis, carnis teneritudini cessit duritia eius: & signi huius memoriam omnibus locum visentibus dereliquit. Est quoque non modicum medicinalis febribus lapis ille, prout testantur multi, qui de illo in remotissimas deferunt regiones. Ad hunc locum, (prout sibi sanctus mandauerat) præfatus Ioannes mane surgens accessit, non absque multo desiderio, factæ sibi promissionis præstolans euentum. Adest vir sanctus, & quod dictu mirabile est, sicut eum imaginariè per visum nocte perspexerat, intuitu corporeo deprehendit. Stupet homo, colores vultus varios induit: nunc ex gaudio rubicundus color exoritur, nunc ex timore pallescit: in sudorem totus resoluitur, atque inter spem metumq. medius, quid ageret nesciebat: Vocat eum iterum sanctus ex nomine. Ioannes, inquiens, surge, ad domum concitus reuertere meam: porrectaq. manu, viam qua ad Ecclesiam rediret suam, tam verbo, quàm ipsa manus extensione monstrabat. Exiliens continuo claudus ambulauit, illudq, modicum itineris, quod vix toto reptando corpore in montis descensu confecerat, tanta rediens agilitate peregit; vt plures, qui eum habuerunt obuiam, non claudum, sed cursorem aliquem æstimarent. Vidimus, & audiuimus hæc omnia nos omnes, vidit etiam populus claudum ambulantem, & laudantem Dominum: cuius laudibus, & nos nostras subiecimus, & vt vos vestras adiciatis, oramus.

Fuit Rossredus iste Abbas Cassinensis quinquagesimus secundus, electus Anno Domini millesimo centesimo octogesimo septimo. Postmodum verò à Cælestino Tertio Cardinalis creatus Anno 1189.

De mappularum receptione à viro Dei cognita. Cap. XIX.

NON longè autem à Monasterio vicus erat, in quo non minima multitudo hominum, ad fidem Dei ab Idolorum cultu Benedicti fuerat exhortatione conuersa. Ibi quoque quædam sanctimoniales fœmine erant, & crebrò illuc pro exhortandis animabus fratres suos mittere Benedictus Dei famulus curabat. Quadam vero die misit ex more: sed is, qui missus fuerat Monachus post admoni-

Digitized by Google

tionem factam, à sanctimonialibus fœminis rogatus, mappulas accepit, sibiq; eas abscondit in sinu, qui mox, vt reuersus est, eum vir Dei vehementissima amaritudine cœpit increpare, dicens: Quomodo ingressa est iniquitas in sinum tuum? at ille obstupuit, & quid egisset oblitus, vnde corripiebatur, ignorabat. Cui ait: nunquid ego illic præsens non eram, quando ab ancillis Dei mappulas accepisti, tibiq; eas in sinu misisti? qui mox eius vestigijs prouolutus, stulte se egisse pœnituit, & eas quas in sinu absconderat mappulas abiecit.

De cogitatione Monachi superba à Dei viro cognita. Cap. XX.

QVADAM quoque die dum venerabilis Pater vespertina iam hora, corporis alimenta perciperet, eius Monachus cuiusdam defensoris filius fuerat, qui ei ante mensam lucernam tenebat. Cumq; vir Dei ederet, ipse autem cum lucernæ ministerio adstaret, cœpit per superbiæ spiritum in mente sua tacitus voluere, & per cogitationem dicere. Quis est hic, cui ego manducanti assisto, lucernam teneo, seruitium impendo? quis sum ego, vt isti seruiam? ad quem vir Dei statim conuersus, vehementer cœpit eum increpare, dicens. Signa cor tuum frater, quid est, quod loqueris? signa cor tuum. vocatisq; statim Fratribus, præcepit ei lucernam de manibus tolli, ipsum vero iussit à ministerio recedere, & sibi hora eadem quietum sedere. Qui requisitus à Fratribus, quid habuerit in corde, per ordinem narrauit quanto superbiæ spiritu intumuerat, & quæ contra virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat. Tunc liquidò omnibus patuit, quod venerabilem Benedictum latere nihil poterat, in cuius aure tacitæ etiam cogitationis verba sonuissent.

De

Digitized by Google

De ducentis modijs farinæ ante viri Dei cellam inuentis. Cap. XXI.

ALIO quoque tempore in eadem Campaniæ Regione fames incubuerat, magnaq; omnes alimentorum indigentia coanguſtabat: iamq; in Benedicti Monaſterio triticum deerat: panes verò pœnè omnes conſumpti fuerant, vt non plus quam quinque ad refectionis horam, Fratribus inueniri potuiſſent. Cumq; eos venerabilis Pater contriſtatos cerneret, eorum puſillanimitatem ſtuduit modeſta increpatione corrigere, & rurſum promiſſione ſublenare dicens. Quare de panis inopia veſter animus contriſtatur? hodie quidem minus eſt, ſed die craſtina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinæ modij ante fores cellæ in ſaccis inuenti ſunt, quos omnipotens Deus, quibus deferentibus tranſmiſiſſet, nunc vſque manet incognitum. Quod cum Fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt iam de abundantia, nec in egeſtate dubitare.

PETRVS.

Die quæſo te, numquid nam credendum eſt huic Dei famulo ſemper prophetię ſpiritum adeſſe potuiſſe, an per interualla temporum eius mentem prophetiæ ſpiritus implebat?

GREGORIVS.

Prophetiæ ſpiritus (Petre) prophetarum mentes non ſemper irradiat: quia ſicut de ſancto ſpiritu ſcriptum eſt: vbi vult ſpirat: ita ſciendum eſt, quia, & quando vult ſpirat. Hinc eſt enim, quod Nathan à Rege requiſitus, ſi conſtruere templum poſſet, prius conſenſit, & poſtmodum prohibuit. Hinc eſt, quod Heliſæus cum flentem mulierem cerneret, cauſamq; neſciſſet, ad prohibentem hanc puerum dixit: dimitte eam, quia anima eius in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. Quod omnipotens Deus ex magnæ pietatis diſpenſatione diſponit: quia dum prophetiæ ſpiritum aliquando dat, & aliquando ſubtrahit, prophetantium mentes, & elevat in celſitudine, & cuſtodit in humilitate, vt & accipientes ſpiri-

Ioan. 3

2 Reg. 7.

4. Reg. 4.

Digitized by Google

ſpiritum inueniant, quid de Deo ſint, & rurſum prophetę ſpiritum non habentes cognoſcant, quid ſint de ſemetipſis.

PETRVS.

Ita hoc eſſe, vt aſſeris, magna ratio clamat. Sed quæſo de venerabili Patre Benedicto, quicquid adhuc animo occurrit, exequere.

De diſpoſitione Monaſterij per viſionem habita. Cap. XXII.

GREGORIVS.



LIO quoque tempore à quodam fideli viro fuerat rogatus, vt in eius prædio iuxta Tarracinenſem Vrbem miſſis diſcipulis ſuis conſtruere Monaſterium debuiſſet: qui roganti conſentiens deputatis Fratribus Patrem conſtituit, & quis eis ſecundus eſſet, ordinauit. Quibus euntibus ſpopondit, dicens. Ite & die illo ego venio, & oſtendo vobis in quo loco Oratorium, in quo refectorium Fratrum, in quo ſuſceptionem hoſpitum, vel quæq; ſunt neceſſaria ædificare debeatis. Qui benedictione percepta illico perrexerunt, & conſtitutum diem magnopere præſtolantes, parauerunt omnia, quæ his, qui cum tanto Patre venire potuiſſent, videbantur eſſe neceſſaria. Nocte vero eadem qua promiſſus illuceſcebat dies, eidem ſeruo Dei, quem illic Patrem conſtituerat, atque eius Præpoſito vir Domini in ſomnis apparuit, & loca ſingula, vbi quid ædificare potuiſſent, ſubtiliter deſignauit. Cumq; vtrique à ſomno ſurgerent, ſibi inuicem, quod viderant retulerunt. Non tamen viſioni illi fidem omninò dantes, virum Dei ſicut ſe venire promiſerat, expectabant. Cumq; vir Dei conſtituto die minimè veniſſet, ad eum cum mœrore reuerſi ſunt dicentes. Expectauimus Pater, vt veni res ſicut promiſeras, & nobis oſtenderes, vbi quid ædificare deberemus, & non veniſti. Quibus ipſe ait: Quare Fratres, quare iſta dicitis? Nunquid ſicut promiſi non veni? cui cum ipſi dicerent, quando veniſti? reſpondit. Numquid vtriſque vobis dormientibus non apparui, & loca ſingula deſignaui? Ite & ſicut per viſionem

Digitized by Google

nem vidistis omne habitaculum Monasterij, ita constructum. Qui hæc audientes vehementer admirati ad prædictum prædium sunt reuersi, & cuncta habitacula sicut ex reuelatione didicerant, constituerunt.

PETRVS.

Doceri velim, quo fieri ordine potuit, vt longè iret responsum dormientibus dicere, quod ipsi per visionem audirent, & recognoscerent.

GREGORIVS.

Quid est, quod perscrutans rei gestæ ordinem ambigis, Petre? liquet profecto, quia nobilioris naturæ est spiritus, quam corpus. Et certè scriptum teste nouimus, quod Propheta ex Iudæa subleuatus, repente est cum prandio in Caldæa depositus, quo videlicet prandio prophetam refecit, seq; repente in Iudæa iterum inuenit. Si igitur tam longe Habacuc potuit sub momento corporaliter ire, & prandium deferre, quid mirum si Benedictus Pater obtinuit, quatenus iret per spiritum, & Fratrum quiescentium spiritibus necessaria narraret? vt sicut ille ad cibum corporis corporaliter perrexit, ita iste ad institutionem spiritalis vitæ spiritaliter pergeret.

PETRVS.

Manus tuæ loquutionis terfit meæ fateor dubietatem mentis: sed velim nosse in communi loquutione, qualis iste vir fuerit.

De sanctimonialibus fœminis post mortem absolutis. Cap. XXIII.

GREGORIVS.

VIX ipsa (Petre) communis eius loquutio à virtutis erat pondere vacua: quia cuius cor se se in alta suspenderet, nequaquam verba de ore illius in casum cadebant. Si quid verò vnquam non iam decernendo, sed minando diceret, tantas vires sermo illius habebat, ac si hoc non dubiè, atque suspen-

sè-

Digitized by Google

sè, sed iam per sententiam protulisset. Nam non longè ab eius Monasterio duæ quædam sanctimoniales fœminæ nobiliori genere exortæ in loco proprio conuersabantur, quibus quidam religiosus vir ad exterioris vitæ vsum præbebat obsequium. Sed sicut nonnullis solet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, vt minus se in hoc mundo despiciant, qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerunt: nec dum prædictæ sanctimoniales fœminæ perfectè linguam suam sub habitus sui fræno restrinxerant, & eundem religiosum virum, qui ad exteriora necessaria eis obsequium præbebat, incautis sæpè sermonibus ad iracundiam prouocabant. Qui dum diu ista toleraret, perrexit ad Dei hominem, quantasq; pateretur verborum contumelias enarrauit. Vir autem Dei hæc de illis audiens, eis protinus mandauit dicens. Corrigite linguam vestram, quia si non emendaueritis, excommunico vos, quam videlicet excommunicationis sententiam non proferendo intulit, sed minando. Illæ autem à pristinis moribus nihil mutatæ, intra paucos dies defunctæ sunt, atque in Ecclesia sepultæ. Cumq; in eadem Ecclesia Missarum solemnia celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret: siquis non communicat det locum. Nutrix earum, quæ pro eis oblationem Domino offerre consueuerat, eas de sepulchris suis progredi, & exire videbat. Quod dum sæpius cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis, exibant foras, atque intra Ecclesiam permanere non poterant, ad memoriam reduxit, quæ vir Dei illis adhuc viuentibus mandauit. Eas quippe se communione priuare dixerat, nisi mores suos, & verba corrigerent. Tunc seruo Dei cum graui mœrore indicatum est. Qui manu sua protinus oblationem dedit dicens. Ite, & hanc oblationem pro eis offerre Domino facite, & vlterius excommunicatæ non erunt. Quæ oblatio dum pro eis fuisset immolata, & à Diacono iuxta morem clamatum est, vt non communicantes ab Ecclesia exirent, illæ exire ab Ecclesia vlterius visæ non sunt. Qua ex re indubitanter patuit, quia dum inter eos, qui communione priuati sunt, minimè recederent, communionem à Domino per seruum Domini recepissent.

PETRVS.

Mirum valde, quod dicis, quamuis venerabilem, & sanctissima

Digitized by Google

ctissimum virum, adhuc tamen in hac carne corruptibili degentem, potuisse animas soluere in illo iam inuisibili iudicio constitutas.

GREGORIVS.

Numquid nam (Petre) in hac adhuc carne non erat, qui audiebat: Quodcunque ligaueris super terram erit ligatum. & in cœlis, & quæ solueris super terram soluta erunt & in cœlis? Cuius nunc vicem ligando, & soluendo obtinent, qui locum sancti Regiminis fide, & moribus tenent. Sed vt tanta valeat homo de terra, Cœli, & terræ conditor in terram venit è cœlo, atque vt iudicare caro etiam de spiritalibus possit, hoc ei largiri dignatus est, factus pro hominibus Deus caro: quia inde surrexit vltra se infirmitas nostra, vnde sub se infirmata est firmitas Dei. Matth. 16.

PETRVS.

Cùm virtute signorum concorditer loquitur ratio verborum.

ADNOTATIO.

EX his, quæ beatus Gregorius in hoc cap. narrat, probabiliter valdè colligitur, beatum Patrem Benedictum sacerdotali ordine insignitum fuisse. Cùm enim Petrus dubitauerit, qualiter vir Dei Benedictus adhuc in carne degens potuerit soluere animas in Dei iudicio iam constitutas: respondet Gregorius, hoc potuisse authoritate Christi dicentis Petro. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & hanc potestatem tribuit Benedicto. Præterea capite sequenti docet, qualiter beatus Benedictus manu sua communionem dominici corporis dederit quibusdam: tractare autem hæc sacrosancta mysteria manibus proprijs Sacerdotum est. Deinde ipse beatus Benedictus cap. 7. suæ Regulæ, gradu quinto humilitatis docet, tunc Monachum ad hunc gradum peruenisse, cum omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, vel mala a se abscondè commissa, per humilem confessionem Abbati non celauerit suo. Quod de confessione sacramentali intelligit, & exponit Cardinalis Turrecremata in commentario eius loci. Sic etiam cap. 46.

agens

agens beatus Pater de his, qui in aliquo opere delinquunt, quomodo debeant satisfacere, in fine capitis hæc habet. Si animæ vero peccati causa fuerit latens, tantum Abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat: Qui sciant curare sua, & aliena vulnera, non detegere, & publicare. Quod similiter de confessione sacramentali intelligendum est. Adde his ea, quæ idem sanctus Pater ordinat cap. 9. & 11. Regulæ suæ, videlicet, vt Abbas benedicat in choro eos, qui dicturi sunt Lectiones, & legat Lectionem de Euangelio cum honore, & tremore, &c. & data benedictione incipiunt Matutinos, idest Laudes. Vlterius cap. 69. præcipit, vt Sacerdotes Monachi stent post Abbatem, & benedicant, &c. Sciebat igitur beatus Pater potestatem benedicendi esse Sacerdotalis officij. Cumq; ipse fuerit Abbas, & suæ Regulæ obseruantissimus, dicendum est fuisse Sacerdotem. Denique ipse beatus Gregorius lib. 1. Dialogorum cap. 4. agens de sancto Equitio, narrat quendam ipsius familiarem Felicem nomine, familiaritatis ausu ei dixisse. Qui sacrum ordinem non habes, atque à Romano Pontifice sub quo degis, prædicationis licentiam non recepisti, prædicare quomodo præsumis? & subiungit Gregorius quarelam datam summo Pontifici aduersus eundem sanctum virum, quod prædicationis officium sibimet vsurpare præsumpsisset, & cætera, quæ sequuntur. Cùm autem beatus Pater Benedictus missus fuerit à Deo ad prædicandum, sicut & beatus Equitius, nec sciamus eum facultatem prædicandi à summo Pontifice obtinuisse, quod Gregorius non tacuisset. Videamus præterea non solum ipsum prædicasse, verum etiam Monachos suos ad prædicandum misisse, vt dicet Gregorius supra cap. 19. nec inde fuerit orta murmuratio, aut quærela aliqua contra eum, sicut contra sanctum Equitium, videtur dicendum illum Sacerdotem fuisse, & sic liberè, & licitè prædicare potuisse. Quibus adde beatum Benedictum diuinitus fuisse electum in Pastorem, & Rectorem animarum Diœcesis Cassinensis, vt docuimus supra in Adnotatione ad cap. 8. ad quod munus ritè, & rectè adimplendum, oportebat eum esse Sacerdotem. Quæ quidem omnia in vnum collecta, euidenter ferè concludunt, beatum Patrem Benedictum sacerdotali dignitate fuisse præditum.

De

De puero post sepulturam à terra proiecto. Cap. XXIV.

GREGORIVS.

QVADAM quoque die dum quidam eius puerulus Monachus parentes suos vltra, quam deberet diligens, atque ad eorum habitaculum tendens, sine benedictione de Monasterio exijsset, eodem die mox, vt ad eos peruenit, defunctus est. Cumq; esset sepultus, die altero proiectum foras corpus eius inuentum est, quod rursus tradere sepulturæ curauerunt: sed sequenti die iterum proiectum exterius, atque inhumatum sicut prius inuenerunt. Tunc concitè ad Benedicti Patris vestigia currentes, cum magno fletu petierunt, vt ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinus communionem dominici corporis dedit, dicens. Ite atque hoc dominicum corpus super pectus eius cum magna reuerentia ponite, & sic sepulturæ eum tradite. Quod dum factum fuisset, susceptum corpus eius terra tenuit, nec vltra proiecit. Perpendis Petre apud Iesum Christum Dominum, cuius meriti iste vir fuerit, vt eius corpus etiam terra proiecerit, qui Benedicti gratiam non haberet.

PETRVS.

Perpendo planè, & vehementer stupeo.

De Monacho, qui de Monasterio discedens draconem in itinere inuenit. Cap. XXV.

GREGORIVS.

QVIDAM autem eius Monachus mobilitati mentis deditus erat, & permanere in Monasterio nolebat, cumq; eum vir Dei assiduè corriperet, & frequenter admoneret, ipse vero nullo modo consentiret in Congregatione persistere, atque importunis precibus, vt relaxaretur, insisteret, quadam die idem venerabilis Pater nimietatis eius tædio affectus, iratus iussit, vt discederet. Qui mox,

Digitized by Google

mox, vt Monasterium exijt, contra se adsistere aperto ore draconem in itinere inuenit. Cumq; eum idem draco, qui apparuerat, deuorare vellet, cœpit ipse tremens, & palpitans magnis vocibus clamare, dicens. Succurrite, succurrite, quia draco iste me deuorare vult. Currentes autem Fratres, draconem minimè viderunt, sed trementem, atque palpitantem Monachum ad Monasterium reduxerunt, qui statim promisit nunquam se iam à Monasterio recessurum, atque ex hora eadem in sua promissione permansit. Quippe qui sancti viri orationibus contra se assistere draconem viderat, quem prius non videndo sequebatur.

De puero ab elephantino morbo curato. *Cap. XXVI.*

SED neque hoc silendum puto, quod illustri viro Antonio narrante cognoui, qui aiebat, patris sui puerum morbo elephantino fuisse correptum, ita vt iam pilis cadentibus, cutis intumesceret, atque increscentem saniem occultare non posset. Qui ad virum Dei ab eodem patre eius missus est, & saluti pristinæ sub omni celeritate restitutus.

De solidis per miraculum pauperi redditis.
Caput XXVII.

NEQVE illud taceam, quod eius discipulus, Peregrinus nomine, narrare consueuerat: quia die quadam fidelis vir quidam necessitate debiti compulsus, vnum sibi fore remedium credidit, si ad Dei virum pergeret, & quæ eum vrgeret debiti necessitas, indicaret. Venit itaque ad Monasterium, omnipotentis Dei famulum reperit, quod à creditore suo pro duodecim solidis grauiter affligeretur, intimauit. Cui venerabilis Pater, nequaquam se habere duodecim solidos respondit, sed tamen eius inopiam blanda loquutione consolatus, ait. Vade & post biduum reuertere, quia deest hodie, quod tibi debeam dare. In ipso autem biduo more suo in oratione fuit occupatus.

Digitized by Google

occupatus. Cumq; die tertio is, qui necessitate debiti affligebatur rediret, super aream Monasterij, quæ erat frumento plena, subito tredecim solidi sunt inuenti: quos vir Dei deferri iussit, & afflicto petitori tribuit, dicens: vt duodecim redderet, & vnum in expensis proprijs haberet. Sed ad ea nunc redeam, quæ eius discipulis in libri huius exordio prædictis referentibus agnoui.

Quidam vir grauissima aduersarij sui æmulatione laborabat, cuius adhoc vsque odium prorupit, vt ei nescienti in potu venenum daret, qui quamuis vitam auferre non valuit, cutis tamen colorem mutauit, ita vt diffusa in corpore eius varietas, lepræ morem imitari videretur. Sed ad Dei hominem deductus, salutem pristinam citius recepit: nam mox, vt eum tetigit, omnem cutis illius varietatem fugauit.

De ampulla vitrea in saxis proiecta, & non fracta. Cap. XXVIII.

EO quoque tempore, quo alimentorum inopia campaniam grauiter affligebat, vir Dei diuersis indigentibus Monasterij sui cuncta tribuerat, vt pœnè nihil in Cellario nisi parum quid olei in vase vitreo remaneret. Tunc quidam, Subdiaconus, Agapitus nomine, aduenit, magnoperè postulans, vt sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autem Domini, qui cuncta decreuerat in terra tribuere, vt in Cœlo omnia reseruaret, hoc ipsum parum, quod remanserat olei, iussit petenti dari: Monachus vero, qui Cellarium tenebat, audiuit quidem iubentis verba, sed implere distulit. Cumq; post paululum si id, quod iusserat, datum esset inquireret, respondit Monachus, se minimè dedisse: quia si illud ei tribueret, omninò nihil Fratribus remaneret. Tunc iratus, alijs præcepit, vt hoc ipsum vas vitreum, in quo parum olei remansisse videbatur, per fenestram proijcerent, ne in cella aliquid per inobedientiam remaneret. Factumq; est ita. Sub fenestra autem eadem ingens præcipitium patebat saxorum molibus asperum. Proiectum itaque vas vitreum, venit in saxis, sed sic mansit incolume, ac si proiectum minimè fuisset: ita vt neque frangi, neque oleum effundi potuis-

Digitized by Google

set. Quod vir Domini præcepit leuari, atque vt erat integrum petenti tribui. Tunc collectis Fratribus, inobedientem Monachum de infidelitate sua, & superbia coram omnibus increpauit.

De dolio vacuo oleo impleto. Cap. XXIX.



VA increpatione completa, se se cum eisdem Fratribus in orationem dedit. In eo autem loco, vbi cum Fratribus orabat, vacuum erat ab oleo dolium, & coopertum. Cumq; sanctus vir in oratione persisteret, cœpit operimentum eiusdem dolij oleo exuresceute subleuari. Quo commoto, atque subleuato, oleum quod excreuerat, ora dolij transiens, pauimentum loci, in quo incubuerat, inundabat. Quod Benedictus Dei famulus, vt aspexit, protinus orationem compleuit, atque in pauimentum oleum defluere cessauit. Tunc diffidentem, inobedientemq; Fratrem latius admonuit, vt fidem habere disceret, & humilitatem. Idem vero frater salubriter correptus erubuit; quia venerabilis Pater virtutem omnipotentis Dei, quam admonitione intimauerat, miraculis ostendebat, nec erat iam, vt quisquam de eius promissionibus dubitare posset, qui in vno, eodemq; momento pro vitreo vase, penè vacuo, plenum oleo dolium reddidisset.

De Monacho à dæmonio liberato. Cap. XXX.



VADAM die, dum ad beati Ioannis oratorium, quod in ipsa montis celsitudine situm est, pergeret, ei antiquus hostis in mulo, medici specie, obuiam factus est, cornu, & trepedicam ferens, quem cum requisisset dicens: quo vadis? ille respondit. Ecce ad Fratres vado potionem eis dare, itaque perrexit venerabilis Pater Benedictus ad orationem, qua completa concitus redijt. Malignus vero spiritus vnum seniorem Monachum inuenit aquam haurientem, in quem statim ingressus est, eumq; in terram proiecit, & vehementissimè vexauit. Quem cum vir Dei ab oratione

Digitized by Google

tione rediens, tam crudeliter vexari conspiceret, ei solummodo alapam dedit, & malignum ab eo spiritum protinus excussit, ita vt ad eum redire vlterius non auderet.

PETRVS.

Velim nosse, si hæc tanta miracula, virtute semper orationis impetrabat, an aliquando etiam solo voluntatis exhibebat nutu.

GREGORIVS.

Qui deuota mente Deo adhærent, cum rerum necessitas exposcit, exhibere signa, modo vtroque solent, vt mira quæque aliquando ex prece faciant, aliquando ex potestate. Cum enim Ioannes dicat: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Qui filij Dei ex potestate sunt, Ioan. 1
quid mirum si signa facere ex potestate valeant? Quia enim
vtroque modo miracula exhibeant, testatur Petrus, qui Tha- Act. 5.
bitam mortuam orando suscitauit, Ananiam vero, & Saphyram mentientes morti increpando tradidit. Neque enim oraſſe in eorum extinctione legitur, sed solummodo culpam, quam perpetrauerant, increpasse. Constat ergo, quod aliquando hæc ex potestate, aliquando verò exhibentur ex postulatione, dum & istis vitam increpando abstulit, & illi reddidit orando. Nam duo quoque fidelis famuli Dei Benedicti facta nunc replico, in quibus apertè clareat, aliud hunc accepta diuinitus ex potestate, aliud ex oratione potuisse.

De ligato rustico solo aspectu viri Dei soluto.
Cap. XXXI.

GOTHORVM quidam, Galla nomine, perfidiæ fuit Arianæ, qui Totilæ Regis eorum temporibus contra Catholicæ Ecclesiæ religiosos viros ardore immanissimæ crudelitatis exarsit, ita vt quisquis ei Clericus, Monachusue ante faciem venisset, ab eius manibus viuus nullo modo exiret. Quadam vero die auaritiæ suæ æstu succensus, in rapinam rerum inhians, dum quendam rusticum tormentis crudelibus affligeret, eumq; per supplicia diuersa

Digitized by Google

laniaret, victus pœnis rusticus se se, res suas Benedicto Dei famulo commendasse professus est, vt dum hoc à torquente creditur, suspensa interim crudelitate, ad vitam hora reparetur. Tunc idem Galla cessauit rusticum tormentis affligere, sed eius brachia loris fortibus astringens, ante Equum suum cœpit impellere, vt quis esset Benedictus, qui eius res susceperat, demonstraret. Quem ligatis bracchijs rusticus antecedens, duxit ad sancti viri Monasterium, eumq; ante ingressum cellæ solum sedentem reperit, & legentem Eidem autem subsequenti Gallæ rusticus dixit: Ecce iste est, de quo dixeram tibi, Benedictus Pater. Quem dum feruido spiritu cum peruersæ mentis insania fuisset intuitus, eo terrore, quo consueuerat, acturum se existimans, magnis cœpit vocibus clamare dicens: Surge, surge, & res istius rustici redde, quas accepisti. Ad cuius vocem vir Dei protinus oculos leuauit à lectione, eumq; intuitus, mox etiam rusticum, qui ligatus tenebatur, attendit. Ad cuius brachia dum oculos deflexisset, miro modo tanta se celeritate cœperunt illigata brachijs lora deuoluere, vt dissolui tàm concitè nulla hominum festinatione potuissent. Cumq; is, qui ligatus venerat, cœpisset subitò adstare solutus, ad tantæ potestatis vim tremefactus Galla ad terram corruit, & ceruicem crudelitatis rigidæ ad eius vestigia inclinans, se orationibus illius commendauit. Vir autem sanctus à lectione minimè surrexit, sed vocatis Fratribus, eum introrsus tolli, vt benedictionem acciperet, præcepit. Quem ad se reductum, vt à tantæ crudelitatis insania quiescere deberet, admonuit. Qui fractus recedens nihil vlterius petere à rustico præsumpsit, quem vir Domini non tangendo, sed respiciendo soluerat. Ecce ita est Petre, quod dixi, quia hi, qui omnipotenti Deo familiarius seruiunt, aliquando mira facere etiam ex potestate possunt. Qui enim ferocitatem Gothi terribilis, sedens repressit, lora verò, nodosq; ligaturæ, quæ innocentis brachia astrinxerant, oculis dissoluit, ipsa miraculi celeritate indicat, quia ex potestate acceperat habere, quod fecit. Rursum quoque quale quantumque miraculum orando valuit obtinere subiungam.

De

De mortuo ſuſcitato. Cap. XXXII.

QVODAM die cum Fratribus ad agri opera fuerat egreſſus. Quidam vero ruſticus defuncti filij corpus in vlnis ferens, orbitatis luctu æſtuans, ad Monaſterium venit, Benedictum Patrem quæſiuit. Cui cum dictum eſſet, quia idem Pater cum Fratribus in agro moraretur, protinus ante Monaſterij ianuam corpus extincti filij proiecit, & dolore turbatus, ad inueniendum venerabilem Patrem, ſe ſe in curſum concitus dedit. Eadem vero hora vir Dei ab agri opere iam cum Fratribus reuertebatur. Quem mox, vt orbatus ruſticus aſpexit, clamare cœpit. Redde filium meum, redde filium meum. Vir autem Dei in hac voce ſubſtitit dicens. Numquid ego filium tuum tibi abſtuli? Cui ille reſpondit. Mortuus eſt, veni reſuſcita eum. Quod vt mox Dei famulus audiuit, valdè contriſtatus eſt, dicens. Recedite Fratres, recedite, hæc noſtra non ſunt, ſed ſanctorum Apoſtolorum. Quid nobis onera vultis imponere, quæ non poſſumus portare? at ille, quem nimius cogebat dolor, in ſua petitione perſtitit, iurans quod non recederet, niſi eius filium reſuſcitaret. Quem mox Dei famulus inquiſiuit dicens. Vbi eſt? cui ille reſpondit. Ecce corpus eius ad ianuam Monaſterij iacet. Vbi cum vir Dei cum Fratribus peruenisſet, flexit genu, & ſuper corpuſculum infantis incubuit, ſe ſeq; erigens ad cœlum palmas tetendit, dicens. Domine non aſpicias peccata mea, ſed fidem huius hominis, qui reſuſcitari filium ſuum rogat, & redde in hoc corpuſculum, animam quam abſtuliſti. Vix in oratione verba compleuerat, & regrediente anima, ita corpuſculum pueri omne contremuit, vt ſub oculis omnium, qui aderant, apparuerit concuſſione mirifica tremendo palpitaſſe. Cuius mox manum tenuit, & eum Patri viuentem, atque incolumem dedit. Liquet Petre, quia hoc miraculum in poteſtate non habuit, quod proſtratus petijt, vt exhibere potuiſſet.

PETRVS.

Sic cuncta eſſe, vt aſſeris, conſtat patenter: quia verba, quæ propoſueras, rebus probas. Sed quæſo te, vt indices ſi

Digitized by Google

ſancti viri omnia, quæ volunt poſſunt, & cuncta impetrant, quæ deſiderant obtinere.

De miraculo ſcholaſticæ ſororis eius. Cap. XXXIII.

GREGORIVS.

VISNAM erit Petre, in hac vita Paulo ſublimior, qui de carnis ſuæ ſtimulo, ter Dominum rogauit, & tamen, quod voluit, obtinere non valuit? Ex qua re neceſſe eſt, vt tibi de venerabili Patre Benedicto narrem, quia fuit quiddam, quod voluit, ſed non valuit implere. Soror namq; eius, Scholaſtica nomine, omnipotenti Domino ab ipſo infantiæ tempore dedicata, ad eum ſemel per annum venire cõſueuerat: ad quam vir Dei non longè extra ianuam in poſſeſſione Monaſterij deſcendebat. Quadam vero die venit ex more, atque ad eam cum diſcipulis venerabilis eius deſcendit Frater: qui totum diem in Dei laudibus, ſacrisq; colloquijs ducentes, incumbentibus iam noctis tenebris, ſimul acceperunt cibos. Cumque adhuc ad menſam ſederent, & inter ſacra colloquia tardior ſe hora protraheret, eadem ſanctimonialis fœmina ſoror eius eum rogauit dicens. Quæſo te, vt iſta nocte me non deſeras, vt vſque mane de cœleſtis vitæ gaudijs loquamur. Cui ille reſpondit. Quid eſt, quod loqueris ſoror? Manere extra cellam nullatenus poſſum. Tanta vero erat cœli ſerenitas, vt nulla in aere nubes appareret. Sanctimonialis autem fœmina, cum verba Fratris negantis audiſſet, infertas digitis manus ſuper menſam poſuit, & caput in manibus omnipotentem Dominum rogatura declinauit. Cumq; de menſa leuaret caput, tanta coruſcationis, & tonitrui virtus, tantaq; inundatio pluuiæ erupit, vt neque venerabilis Benedictus, neque Fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo conſederant, pedem mouere potuiſſent. Sanctimonialis quippe fœmina caput in manibus declinans, lacrymarum fluuium in menſam fuderat, per quas ſerenitatem aeris ad pluuiam traxit. Nec paulò tardius poſt orationem inundatio illa ſequuta eſt; ſed tanta fuit conuenientia orationis, & inundationis, vt de menſa caput iam cum tonitruo leuaret: quatenus vnum, idemq.

Digitized by Google

idemq; esset momentum, & leuare caput, & pluuiam deponere. Tunc vir Dei inter coruscationes, & tonitrua, atque ingentis pluuiæ inundationem, videns se ad Monasterium non posse remeare cœpit conqueri contristatus dicens. Parcat tibi omnipotens Deus soror, quid est, quod fecisti? cui illa respondit. Ecce rogaui te, & audire me noluisti, rogaui Dominum meum, & audiuit me: modò ergo si potes egredere, & me dimissa ad Monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, quia remanere sponte noluit, in loco mansit inuitus: sicq; factum est, vt totam noctem peruigilem ducerent, atque per sacra spiritalis vitæ colloquia se se vicaria relatione satiarent. Qua de re dixi, eum voluisse aliquid, sed minimè potuisse: quia si venerabilis viri mentem aspicimus, dubium non est, quin eandem serenitatem, voluerit, in qua descenderat, permanere: sed contra hoc, quod voluit, in virtute omnipotentis Dei ex fœmine pectore miraculum inuenit. Nec mirum, quod plus illo fœmina, quæ Fratrem videre cupiebat, in eodem tempore valuit: quia enim iuxta Ioannis vocem, Deus charitas est, iusto valde iudicio illa plus potuit, quæ amplius amauit. 1. Ioa. 4.

PETRVS.

Fateor, multum placet, quod dicis.

De anima sororis eius visa. Cap. XXXIV.

GREGORIVS.

QVMQ. die altero eadem venerabilis fœmina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad Monasterium redijt. Cum ecce post triduum in cella consistens, eleuatis in aera oculis, vidit eiusdem sororis suæ animam de eius corpore egressam, in columbæ specie cœli secreta penetrare. Qui tantæ eius gloriæ congaudens, omnipotenti Deo in Hymnis, & Laudibus gratias reddidit, eiusq; obitũ Fratribus denunciauit. Quos etiam protinus misit, vt eius corpus ad Monasterium deferrent, atque in sepulchro, quod sibi ipse parauerat, ponerent. Quo facto contigit, vt quorum mens vna semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora, nec sepultura separaret.

Digitized by Google

De mundo ante oculos eius collecto, & de anima Germani Capuanæ Ciuitatis Episcopi. Cap. XXXV.

ALIO quoque tempore Seruandus Diaconus, atque Abbas eius Monasterij, quod in Campaniæ partibus à Liberio quondam Patricio fuerat constructum, ad eum visitationis gratia ex more venire consueuerat. eius quippe Monasterium frequentabat, vt quia idem quoque vir doctrina grasiæ cœlestis affluebat, dulcia sibi inuicem vitæ verba transfunderent, & suauem cibum cœlestis Patriæ, quem adhuc perfectè gaudendo non poterant, saltem suspirando gustarent. Cumq; hora iam quietis exigeret, vt membra sopori dari debuissent, in cuiusdam turris superioribus se venerabilis Benedictus, in eius quoque inferioribus se Seruandus Diaconus collocauit: quo videlicet in loco inferiora superioribus, peruius continuabat ascensus. Ante eandem vero turrim largius erat habitaculum, in quo vtriusque discipuli quiescebant. Cumq; vir Dei Benedictus, quiescentibus adhuc Fratribus instans vigilijs, nocturnæ orationis tempora præueniſſet, ad fenestram stans, & omnipotentem Deum deprecans, subito intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desuper, cunctas noctis tenebras effugasse, tantoq; splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset. Mira autem res valdè in hac speculatione sequuta est: quia sicut post ipse narrauit, omnis etiam mundus velut sub vno solis radio collectus, ante oculos eius adductus est. Qui venerabilis Pater, dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphæra ignea ab Angelis in cælum deferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere miraculi, Seruandum Diaconum, iterato bis terq; eius nomine, cum clamoris magnitudine vocauit. Cumq; ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus, ascendit, respexit, partemq; iam lucis exiguam vidit. Cui tantum hoc obstupescenti miraculum, vir Dei per ordinem, quæ fuerant gesta narrauit: statimq; in Casinum Castrum Religioso viro Theoprobo mandauit, vt ad Capuanam Vrbem sub eadem nocte transmitteret, & quid de Germano Episcopo ageretur agnosceret, & indicaret. Factumq;

Digitized by Google

cumq; est, & Reuerentissimum virum Germanum Episcopum: is qui missus fuerat iam defunctum reperit, & requirens subtiliter, agnouit eodem momento fuisse illius obitum, quo vir Domini eius agnouit ascensum.

PETRVS.

Mira res valde, & vehementer stupenda. Sed hoc, quod dictum est, quia ante oculos ipsius, quasi sub vno solis radio collectus omnis mundus adductus est, sicut nunquam expertus sum, ita nec conijcere scio, quonã ordine fieri potest, vt mundus omnis ab homine vno videatur.

GREGORIVS.

Fixum tene (Petre) quod loquor, quia animæ videnti creatorem angusta est omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce Creatoris aspexerit, breue ei fit omne, quod creatum est: quia ipsa luce visionis intimæ mentis, laxatur sinus, tantumq; expanditur in Deo, vt superior existat mundo: fit vero ipsa videntis anima etiam super semetipsum. Cumq; in Dei lumine rapitur, super se in interioribus ampliatur, & dum sub se conspicit exaltata, comprehendit quam breue sit, quod comprehendere humiliata non poterat. Vir ergo Dei, qui in turri globum igneum, Angelos quoque ad cœlos redeuntes videbat, hæc proculdubio cernere nonnisi in Dei lumine poterat. Quid itaque mirum, si mundum ante se collectum vidit, qui subleuatus in mentis lumine extra mundum fuit? Quod autem collectus mundus ante eius oculos dicitur, non cœlum, & terra contracta est, sed videntis animus est dilatatus, qui in Deo raptus, videre sine difficultate potuit omne, quod infra Deum est. In illa ergo luce, quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum cum ad superiora rapuit, ei quàm angusta essent omnia inferiora, monstrauit.

PETRVS.

Videor mihi vtiliter non intellexisse, quæ dixeras, quando ex tarditate mea tantum creuit expositio tua. Sed quia hæc liquidè meis sensibus infudisti, quæso vt ad narrationis ordinem redeas.

AD-

Digitized by Google

ADNOTATIO.

Circa ea, quæ à beato Gregorio in hoc capite tradita sunt, solet à plerisque dubitari, an beatus Pater Benedictus in hoc raptu, viderit diuinam essentiam. Non est in animo quæstionem hanc scholastico more disputare, aut definire, sed tantum Lectori proponam, quid de hac re senserint viri sanctissimi, Doctoresq; grauissimi.

Ps. 84. *In primis sanctus Bernardus in quodam Sermone super illud Psalmi. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, qui incipit. Inuisibilia Dei, &c. sic habet. Interim vero opus habet humana anima, velut quodam vehiculo, creatura, vt ad cognitionem Creatoris assurgat: cum è contra longe beatius, perfectiusq. Angelica natura in Creatore notitiam habeat creaturæ: ad quam nimirum excellentiam, licet ad modicum rapta fuisse videtur Anima illa, quæ collectum sub vno solis radio mundum vniuersum conspexit: de quo miraculo beatus Papa Gregorius in lib. Dialogorum scribens: Videnti (inquit) Creatorem, angusta est omnis creatura; & Rupertus Abbas lib. 3. de gloria, & honore filij hominis, de ista visione beati Benedicti, sic ait. Beatus Papa Gregorius de vno vitæ venerabilis viro, nomine & gratia Benedicto, refert, quia dum quiescentibus Fratribus instans vigilijs, nocturnæ orationis tempora præueniret, ad fenestram stans, & omnipotentem Dominum deprecans, subitò vidit fusam lucem desuper, & cætera, quæ hic narrat Gregorius. Postea subdit. Verum illa res admirationem habet aliam, quia sicut iam dictum est, animæ videnti Creatorem, angusta est omnis creatura: & quod ante illius sancti oculos collectus fuisse mundus dicitur, hoc egit cum homine omnipotens Deus, & non cœlum, & terra contracta, sed videntis animus dilatatus est, qui in Deo raptus, videre sine difficultate potuit omne, quod infra Deum est. Cum hæc dicit, addens etiam hæc, in illa ergo luce, quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum, quia ad superiora rapuit, ei quam angusta essent omnia inferiora monstrauit. Cum, inquam, hæc dicit, palam astruit, quia prospectus ille mentis magis, quam oculorum fuit. His dictis concludit Rupertus dicens: Illud mirantes veneramur quod egit cum homine omnipotens Deus. Similiter sanctus Bonauentura lib. de lumine.*

Digitized by Google

minaribus sermone vigesimo, qui habetur inter eius opuscula, exponens hæc eadem verba Gregorij, sic ait. Mundus non fuit coangustatus in uno radio solis, sed eius animus dilatatus, quia vidit omnia in illo, cuius magnitudine, omnis creatura angustia est, & parua, & modica. Dionysius etiam Carthusianus vir sapientissimus, atque in materia raptuum exercitatissimus, in quodam sermone habito in festo sancti Patris Benedicti, postquam retulit prafata verba sancti Gregorij, hæc addit. Sed & in diuitijs gloriæ Dei fuit uberrimè raptus, & in lumine Creatoris ita expansus. quod faciliter in eius luce conspicere quiuit, quicquid sub illo fuit. Propter ista sanctorum dicta, probabiliter valde asserere possumus, beatissimum Patrem Benedictum in hoc raptu diuinam vidisse essentiam.

Quod Regulam Monachorum scripserit. Cap. XXXVI.

GREGORIVS.

LIBET (Petre) adhuc de hoc venerabili Patre multa narrare, sed quædam eius studiosè prætereo, quia ad aliorum gesta voluenda festino. Hoc autem nolo te lateat, quod vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulfit: nam scripsit Monachorum Regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam. Cuius si quis vult subtilius mores, vitamq; cognoscere, potest in eadem institutione Regulæ omnes Magisterij illius actus inuenire: quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quam vixit.

ADNOTATIO.

MEllifluus Bernardus in declamatione super Euangelium Ecce nos reliquimus omnia, Regulam sancti Patris Benedicti commendare volens, sic ait. Cæterum habent proficientes editum olim de duodecim gradibus humilitatis, ex sermonis occasione, libellum: quos videlicet gradus, ille iustorum omnium spiritu plenus in Regula sua tradidit, verè per omnia Benedictus. Ille enim nobis spiritualem erexit scalam, cuius vtique summi-

Digitized by Google

ſummitas cœlos tangit : quod in eius glorioſo tranſitu euidenti legimus miraculo commendatum, beato Papa Gregorio ſic ſcribente. Inter diſcipulorum manus imbecillia membra ſuſtentans, erectis in cœlum manibus ſtetit, & vltimum ſpiritum inter verba orationis efflauit. Quaſcilicet die duobus Fratribus, vni longius poſito, alteri autem in cella commoranti, reuelatio vnius, atque indiſſimilis viſionis apparuit. Viderunt namque, quia ſtrata pallÿs, & innumeris coruſca lampadibus via recta Orientis tramite ab eius cella in cœlum vſque tendebatur. Cui venerando habitu vir deſuper clarus aſſiſtens, cuius eſſet via, quam cernerent, inquiſiuit : illi vero ſe neſcire profeſſi ſunt. Quibus ille ait. Hæc eſt via, qua dilectus Domini Benedictus cœlum aſcendit. Quæ eſt enim via ab eius cella progrediens, niſi ordo, quem idem vir beatus inſtituit, & forma vitæ, qua ab eo ſumpſit exordium? qua nimirum via, Domini dilectus aſcendit, quia non potuit vir ſanctus aliter docere, quam vixit. Et hæc quidem eorum, vel maxima fiducia eſt, qui ipſius vtcunque ſtudent inhærere veſtigÿs, ipſum præceptorem, præuiumq. ſequuntur. Neque enim venire aliquatenus in dubium poteſt, quin omninò ſacer ſit modus, & diuina magis inſpiratione, atque conſilio, quàm humana prudentia, vel adinuentione formatus, quo nimirum tantam in vita gratiam ſanctitatis, tantam poſt obitum gloriam fœlicitatis idem verè Benedictus obtinuit. Hactenus Bernardus. *Quibus conſonat ſanctus Bartholomæus diſcipulus ſancti Nili, & Abbas Monaſterÿ Cryptæ ferratæ: is enim vitam ſancti Nili deſcribens, atque de aduentu ipſius ad Monaſterium Caſſinenſe agens, qualiterque ab Aligerno Abbate, & Monachis, vir ille ſanctus fuerit ſuſceptus, narrans ſic ait. Nec aliud quippiam videbantur audire, aut videre, quam ſi magnus Antonius Alexandria aduenisſet, vel è mortuis magnus Benedictus ſurrexisſet, diuinus ille ipſorum Legiſlator, & Magiſter. Diuinum Legiſlatorem, & Magiſtrum vocat Benedictum, eo quod non humano ſtudio, aut magiſterio, ſed diuina magis inſpiratione, atque conſilio, (vt dixit ſupra Bernardus) Regulam ſuam, & modum viuendi Monaſticum inſtituit, & ordinauit. Sancta quoque Hildegardis in vita ſancti Diſibodi Epiſcopi, quę habetur apud Surium tom. 4. die octaua Iulÿ, narrans qualiter ſanctus iſte Monaſterium ſub beati Benedicti Regula conſtruxerit, hæc habet.*

Digitized by Google

bet. Agente autem Spiritu sancto omne animi sui studium, & voluntatem ad vitam, & doctrinam sancti Benedicti (qui iam ad Deum transierat, & quosdam beatos viros sanctæ institutionis suæ fideles administros ijs temporibus adhuc superstites reliquerat) appulit: & ad longinqua loca, vbi ea institutio religiosè, & sanctè colebatur, nuncios misit, supplices preces offerens, vt quidam ad ipsum venirent, vineam Domini Sabbaoth, ad præscriptum doctrinæ beati Benedicti plantaturi. Is enim sanctus Pater Benedictus Regulam, quæ spiritalibus hominibus esset accommodata, è sanctorum vitis, sancto Spiritu docente, & ostendente condiderat. hæc ibi. Denique idem beatus Gregorius lib. 4. commentariorum in lib Regum cap. 4. pag. 253. iuxta Romanam editionem, hæc ait: Qui arctissimam conuersationis viam imperant, nouiter accedentibus facilè aditum non impendant: quare, & eiusdem arctissimæ vitæ Magister optimus, summæ veritatis discipulus eruditus, præcipit dicens. Probate spiritus si ex Deo sint, & iterum: nuncientur ei dura, & aspera, per quæ itur ad Deum. Quæ verba desumpta sunt ex Regula sancti Benedicti cap. 58. vbi agit de disciplina suscipiendorum Fratrum. Notandum ergo, qualiter beatus Gregorius vocat sanctum Benedictum arctissimæ vitæ Magistrum optimum, quo titulo neminem alium inuenio honorasse: vocat præterea eundem sanctum, summæ veritatis discipulum eruditum, vt planè doceat Regulam sancti Benedicti non in schola hominum, sed in schola Spiritus sancti fuisse compositam, eruditionemq. ac doctrinam beati Benedicti diuinam potius, quàm humanam esse censendam. Laudatur præterea sancti Patris Benedicti Regula á beato Antonino, & alijs: immò & à diuersis summis Pontificibus, & Conciliis, quibus allegandis supersedeo, ne nimia prolixitate Lectorem tædio afficiam.

Regula sancti Patris Benedicti fuit promulgata ipso adhuc viuente apud Montem Casinum, vt asserit scilicet Zacharias Papa in quodam priuilegio Monasterio Casinensi concesso, de quo nos pluribus egimus in libello de existentia corporis sancti Benedicti in Monasterio Casinensi cap. 3. & 4. Ex Historijs etiam authenticis, & omni fide dignissimis constat, beatum Patrem Benedictum, Regulam suam, dum adhuc viueret, promulgasse. Misit namque beatum Placidum cum socijs in Siciliam,

qui

qui ibi cœnobium iuxta sancti Benedicti institutionem condiderunt. Misit praterea sanctum Maurum cum alijs in Gallias, cui proficiscenti (vt testatur Faustus in eius vita) Regulam sua manu descriptam Pater sanctus tradidit. Immò ante hos omnes misit beatus pater alios discipulos in Hispaniam, qui celebre Monasterium sancti Petri de Cardegna Anno Domini quingentesimo trigesimoseptimo construxerunt sumptibus, & impensis Sanctiæ, siue Sanctiuæ Hispaniarum Reginæ. Ita docent antiquissima illius Monasterij monumenta. Quinimmò sanctus Maximus Cæsaraugustanus Episcopus, qui floruit circa annum Domini sexcentesimum, in Historia Gothorum, agens de obitu pradictæ Reginæ, sic habet. Aera quingentesima septuagesima octaua (est is Annus Domini quingentesimus quadragesimus) Sanctiua Seueriani mater, adificato Monasterio, Monachis, quos sanctus Benedictus primum misit ad Hispaniam, ad sanctum Petrum Cardignensem: Toleti moritur, & in eodem Monasterio conditur.

Propagauit praterea sanctus pater Benedictus ordinem suum per vniuersam Italiam condendo noua cœnobia per diuersa loca, Romæ præsertim, vbi duo condidit Monasteria: vnum iuxta Lateranense patriarchium, cui præfecit Valentinianum discipulum suum, de quo Gregorius in prologo secundi libri Dialogorum. Alterum in Monte Cœlio titulo sancti Erasmi, vt scribit Gordianus sancti Benedicti discipulus in vita sancti Placidi: plurimaq. ex Monasterijs antea constitutis ad suam Regulam, & institutum suscipiendo, & admittendo: vnde factum est, vt ante ipsius obitum vniuersa ferè totius Italiæ Monasteria Regulam ipsius susceperint, atque seruauerint. Hæc autem omnia confirmantur grauissimo sancti Mauri testimonio, relato à Fausto eius condiscipulo in ipsius vita. Refert enim qualiter cum beatus Maurus in Gallias missus à beato patre Benedicto, vt monasticam disciplinam illic institueret, cum peruenisset Aurelianis, nuncium accepit de morte Bertigranni Episcopi Cœnomannensis, ad cuius preces Maurus a beato Benedicto cum eodem Fausto & alijs fuerat missus: huiusmodi Nuntio perculsi, ac tadio affecti comitibus beatus Maurus modesta oratione, eorum deiectos animos studuit releuare, & consolari, quam is verbis terminauit, atque concluſit. Itaque & nos nostra congaudentes peregrinationi, expectamus, vt deuotis-

Digitized by Google

deuotissimi serui consolationem Domini, & per omnia vestigia Patris nostri sanctissimi Benedicti imitari satagamus, qui relicta domo, & rebus patrijs, & ad vltimum Nutricem suam occultè fugiens, ac soli Deo placere desiderans, tantam à Domino promeruit gratiam, vt nemini post beatos, & primos Apostolos vnquam fuerit secundus: sed potius Deo se iuuante, tot sanctorum extiterit fundator cœnobiorum, tantaq. Domino acquisierit millia perfectorum Monachorum. Hæc verba beatus Maurus dixit socijs, & condiscipulis suis, decem aut duodecim diebus post transitum beati Benedicti in cœlum. Dixit autem ea hominibus, qui non poterant ignorare veritatem eorum, quæ ipse referebat, quippe qui & discipuli beati Patris Benedicti erant, vt ipse, vnaq. cum ipso è monte Cassino proeesserant, & quæ ipse asserebat, poterant facilè (si vera non fuissent) falsitatis arguere: nec potuisset falsa relatione eorum contristatos animos mulcere, & in spem, & confidentiam bonam erigere, vt volebat. Dicimus ergo cum beato Mauro, cui consentiunt, & alij condiscipuli, beatum patrem Benedictum, dum adhuc in humanis ageret, fundatorem extitisse plurium sanctorum cœnobiorum, multaq. Domino acquisiuisse millia perfectorum Monachorum. His accedit sensus Ecclesiæ Catholicæ, quæ in sanctorum Martyrologio à sancta sede Apostolica reformato, ad duodecimum Kalendas Aprilis agens de sancto Benedicto, sic ait. In Monte Cassino, Natalis sancti Benedicti Abbatis, qui monachorum disciplinam in Occidente penè collapsam restituit, ac mirificè propagauit. Quæ verba intelligenda sunt sicut ea, quæ supra retulimus, dicta à beato Mauro, vt scilicet mirifica propagatio disciplinæ monasticæ referatur ad plurima Monasteria, quæ beatus Pater per diuersa loca construxit: restitutio vero eiusdem monasticæ disciplinæ collapsæ referatur ad alia Monasteria, non quidem ab ipso erecta, seu fundata, sed ad ea, quæ ipsius Regulis, & institutis imbuta, ad normam optimæ disciplinæ monasticæ restituta sunt, atque reducta.

Regulam sancti patris Benedicti fuisse primum ab Ecclesia Dei confirmatam, & approbatam, communis opinio est. Primus, qui eam approbauit fuit Ioannes Tertius, qui circa annum Domini quingentesimum sexagesimum secundum in priuilegio concesso Monasterio sancti Medardi in suburbio Suessionensi,

Digitized by Google

sionensi, tunc nouiter erecto, ordinat, ac præcipit, vt Monachi illius Monasterij Regulam sancti patris Benedicti seruent. Tradendo namq. Monachis illis sancti Benedicti Regulam, vt iuxta illius leges, & instituta, vitam ac mores suos dirigerent, & ordinarent; proculdubio approbauit eam, quamuis literas peculiares, seu formales, vt dicunt, huius approbationis non expedierit, meminit huius diplomatis sanctus Gregorius in quodam suo priuilegio eidem Monasterio concesso. Habetur in registro sancti Gregorij lib. 2. post epistol. 38. Post annos vero triginta sanctus Gregorius in Concilio Romæ habito eandem Regulam plenius, ac solennius confirmauit, & approbauit. Cuius approbationis extat rescriptum ipsius sancti Gregorij ad Honoratum Abbatem Sublacensis Monasterij in hæc verba.

Ego Gregorius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsul scripsi vitam sancti Benedicti, & legi Regulam, quam ipse sanctus manu propria scripsit; laudaui eam, & confirmaui in sancta Synodo, & per diuersas partes Italiæ, & vbicunque latina litteræ legerentur, præcepi vt diligentissimè obseruarent, quicunque ad conuersionis gratiam accessuri essent, vsque in finem mundi.

De prophetica sui exitus denunciatione. Cap. XXXVII.

GREGORIVS.

EODEM vero anno, quo de hac vita erat exiturus, quibusdam discipulis secum conuersantibus, quibusdam longè manentibus, sanctissimi sui obitus denunciauit diem: præsentibus indicens, vt audita per silentium tegerent, absentibus indicans, quod vel quale eis signum fieret; quando eius anima de corpore exiret. Ante sextum vero sui exitus diem aperiri sibi sepulturam iubet. Qui mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Cumq; per dies singulos languor ingraueſceret, sexta die portari se in oratorium à discipulis fecit, ibiq; exitum suum Dominici corporis, & sanguinis perceptione muniuit, atque inter discipulorum manus imbecil-

lia

Digitized by Google

lia membra sustentans, erectis in cœlum manibus stetit, & vltimum spiritum inter verba orationis efflauit. Qua scilicet die duobus de eo Fratribus vni in cella commoranti: alteri autem longius posito, reuelatio vnius, atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namq; quia strata pallijs, atque innumeris coruscа lampadibus via, recto Orientis tramite ab eius cella in cœlum vsque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via, quam cernerent, inquisiuit: illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait. Hæc est via, qua dilectus Domino cœlum Benedictus ascendit. Tunc itaque sancti viri obitum, sicut præsentes discipuli viderunt, ita absentes ex signo, quod eis prædictum fuerat agnouerunt. Sepultus vero est in Oratorio beati Ioannis Baptistæ, quod, destructa Ara Apollinis, ipse construxit. Qui & in eo specu, in quo prius habitauit, nunc vsque si petentium fides exigat, miraculis coruscat.

ADNOTATIO.

De tempore obitus sancti patris Benedicti variæ sunt scriptorum sententiæ, quibus diligenter excussis, ea videtur esse amplectenda, quæ asserit, beatum Benedictum diem clausisse extremum Anno Domini quingentesimo quadragesimo tertio, duodecimo Kalendas Aprilis. Die qua sacrosancti Paschæ sabbathum illucescebat. Cuius opinionis assertor est Leo Ostiensis lib. 1. Chronici Cassinensis cap. 1. quem secuti sunt postea alij. Et quidem obijsse illum Sabbatho sancto Paschæ illucescente, certissimum est, id ita asserente Fausto in vita beati Mauri. Cum enim sanctum pascha appropinquasset, sanctus Maurus cum socijs ex itinere diuertens ad Monasterium beati Romani, qui beatissimum Benedictum in specu aluerat, diuerterunt, & die paraseuæ hora sexta illuc peruenientes, deuotissimè à beato Romano susceptі sunt. Et cum iam vespertina hora appropinquaret, vir Dei Maurus beato Romano dixit. Crastina die beatissimus pater noster Benedictus, terreno deposito corporis onere, cœlestem gaudens, & hilaris scandet ad patriam. Noctem vero illam, quæ duodecimo Kalendarum Aprilis habebatur, & qua sacratissimum vigiliarum paschæ illucescebat sabbathum, tam beatissimus Maurus, ac nos, qui cum eo ibamus,

mus, quam sanctus Romanus cum aliquibus discipulis suis, ieiuni peruigilem duximus, vnusquisque nostrum secretò apud se, vt in illis diebus in Ecclesia Romana mos erat, psalmos, & orationum preces deuotè pro exitu eiusdem Patris nostri Deo dilectissimi Benedicti consummantes.

Cum verò transacta iam hora quasi tertia ipsius sacratissimę diei, beatissimus Maurus in Ecclesia consisteret, vt transitum eius, qualicunque eueniret hora orando, & psallendo præmunire (longè licet positus) satageret: seq; pauimento in orationem dedisset; raptus spiritu, subitò se transpositum in loco, de quo egressi fueramus, vidit: conspexitq. viam pallijs stratam, ac innumeris coruscam lampadibus, recto Orientis tramite ab eius cella in cœlum vsque tendentem. In qua etiam visione duos Congregationis nostræ Fratres, socios habuit, cum quibus simul eandem visionem conspexit. Mox vero, vt beatus ad se reuersus est Maurus, ocyus sanctum Romanum ad nos euocans, cuncta quæ viderat, lucidè nobis per ordinem retulit. Diem illam, & sequentem dominicam, qua specialiter Resurrectionis Dominicæ celebratur dies, sollennem, & celebrem cum omni gaudio, & lætitia peregimus. Hactenus ex Eausto, cuius testimonio standum omninò est, cùm ipse fuerit oculatus testis eorum, quæ scripsit, & potuit verè dicere, quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur. De die igitur obitus sanctissimi Patris Benedicti, nullus restat ambigendi locus. Superest tantum respondere difficultati, quæ mentes quorundam scriptorum torsit, atque eos circa tempus transitus beati Benedicti grauiter errare fecit. Difficultas ea est, nam anno Domini quingentesimo quadragesimotertio, iuxta calculum, & rationem temporum, tàm Dionysij Abbatis, quàm Victoris Episcopi Capuani, non potuit sacrosanctum festum Paschæ incidere in diem vigesimamsecundam Martij, sed incidisse volunt in diem decimamnonam Aprilis. Quibus breuiter respondemus, tunc temporis non fuisse adhuc receptum cyclum, seu computum à Dionysio Abbate de ordine summi Pontificis correctum, & emendatum, & præcipuè in Gallijs, vt constat ex Concilio quarto Aurelianensi, quod fuit celebratum anno Domini quingentesimo quadragesimoquinto, duobus videlicet annis ab obitu sancti Benedicti, in cuius Canone primo, & secundo præcipitur, & ordinatur, vt omnes sequantur Paschalem Cyclum iuxta rationem,

Dionem, & computum Victoris Episcopi Capuani. Quinimmò Bedalib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 25. refert longius post annum sexcentesimum, dubitatum adhuc fuisse circa diei Paschæ celebrationem, qui à diuersis diuerso tempore celebrabatur, ita vt in eadem domo vir celebraret vno die paschæ, mulier altero: vnde, & coactum fuit Concilium ad dirimendas controuersias huius rei. Maneat ergo fixum Fausti testimonium asserentis, beatum patrem Benedictum obyisse eo die, quo sacrosanctum paschæ Sabbathum illucescebat quem sequitur Leo Ostiensis, & alij ferè omnes. Massæus Cameracensis in Chronicis anno Domini quingentesimo quadragesimotertio, hanc nostram de tempore obitus sancti Benedicti tenet sententiam, & respondens difficultati propositæ sic ait. Noueris ergò temporibus illis quo die paschæ celebrandum esset, sæpè fuisse dubitatum, quod nouus Dionysij Cyclus, non esset receptus ab omnibus, & Cyclus Victorij, quo tunc vtebantur, ostenderet diem paschæ incidere decimonono Aprilis, & maluisse vigesimosecundo Martij celebrare, & voluisse pro Emboliſmo, communem annum obseruare. Nullum igitur fundamentum solidum habet proposita difficultas, cum temporibus illis nihil certum, & præfixum obseruaretur circa celebrationem Paschatis, nisi tantum, quod die Dominico celebrandum esset, & post decimamquartam Lunam primi Mensis; cuius Luna exordium, cùm in diuersis locis diuersimodè sumeretur, etiam sanctum paschæ Festum diuersis diebus celebrabatur. Eo autem anno, quo vita functus est beatus Benedictus, celebratam fuisse paschalem sollennitatem in partibus Galliarum die 22. Martij, testis locupletissimus est Faustus, qui præsens aderat.

Quòd verò obitus sancti patris Benedicti inciderit in annum quingentesimum quadragesimumtertium, & non ante, nec post, sic probatur; & primùm, quod non ante. Nam, vt docet Cardinalis Baronius ex Procopio lib. 2. de bello Gothorum, Totila fuit euectus ad solium Regni anno quingentesimo quadragesimosecundo. Hic autem Rex viuente adhuc sancto Benedicto Cassinum venit, vt docet Gregorius supra cap. 14. & 15. Agebat ergo inter viuos eo anno sanctissimus Pater. Quod autem non fuerit transgressus annum quingentesimum quadragesimumtertium, ex duobus locis colligitur, vno ex Gordiano: altero vero ex Fausto desumpto. Gordianus in vita sancti Placi- tom. 7. Anno 542.

Digitized by Google

di asserit beatos Maurum, & Placidum oblatos à parentibus fuisse beato Benedicto anno Dominicæ Incarnationis quingentesimo vigesimosecundo, quamuis Cardinalis Baronius, cui & ego assentior, corrigendum putet esse numerum, & pro vigesimosecundo, supponendum vigesimumtertium. Faustus verò asserit beatum Maurum adhæsisse sancto Benedicto, atque apud eum mansisse annos viginti, quousque videlicet ab eodem beato Patre in Gallias missus est: asserit præterea beatum Benedictum eodem anno non multo post discessum sancti Mauri diem clausisse extremum. Modo sic probo intentum. Ab oblatione beati Mauri vsque ad eius discessum in Gallias fluxere anni viginti, cumq. eodem anno obierit sanctus Benedictus, oportet asserere, nullo modo transgressum fuisse annum quingentesimum quadragesimumtertium, sed in hunc incidisse gloriosum eius transitum. Si enim à prædicta oblatione computes viginti annos incipiendo ab anno quingentesimo vigesimotertio, annus vigesimus completur anno quingentesimo quadragesimotertio: si autem inceperis computare ab anno quingentesimo vigesimosecundo, tunc vsque ad annum quingentesimum quadragesimumtertium, conficies annos viginti completos, & præterea vigesimum primum inchoatum, quod in idem recidit. Adde his, quod beatus Benedictus, vt supra docuimus ex Fausto, obijt die Sabbathi: at verò anno quingentesimo quadragesimosecundo, dies vigesimaprima Martij incidit in feriam sextam, anno verò quingentesimo quadragesimoquarto, incidit in diem Dominicum; anno vero quingentesimo quadragesimotertio, incidit in diem Sabbathi. Et sic consonant vniuersa. Maneat ergo stabile, & firmum beatum Patrem Benedictum obijsse duodecimo Kalendas Aprilis, anno quingentesimo quadragesimotertio, die quo sanctum Paschæ Sabbathum illucescebat.

* * *

De

Digitized by Google

De insana muliere in eius spe cu sanata.
Cap. XXXVIII.

GREGORIVS.

NVPER namq; est res gesta, quam narro. Quædam mulier mente capta, dum sensum funditus perdidisset, per montes, & valles, syluas, & campos, die noctuq; vagabatur, ibi tantummodo quiescebat, vbi hanc quiescere lassitudo coegisset. Quadam verò die dum vaga nimium erraret, ad beati Benedicti specum deuenit; ibiq; nescieus ingressa mansit. Mane autem facto, ita sanato sensu egressa est, ac si eam nunquam insania capitis vlla tenuisset: quæ omni vitæ suæ tempore in eadem, quam accepit salute, permansit.

PETRVS.

Quidnam esse dicimus, quod plerumque in ipsis quoque patrocinijs martyrum, sic esse sentimus, vt non tanta per corpora sua, quanta beneficia per reliquias ostendant, atque illic maiora signa faciunt, vbi minimè per semetipsos iacent?

GREGORIVS.

Vbi in suis corporibus sancti Martyres iacent, dubium (Petre) non est, quod multa valeant signa demonstrare, sicut & faciunt, & pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, vtrum ne ad exaudiendum ibi præsentes sint, vbi constat, quia in suis corporibus non sint, ibi necesse est eos maiora signa ostendere, vbi de eorum præsentia potest mens infirma dubitare. Quorum vero mens in Deo fixa, tanto maius habet fidei meritum, quando illic eos nouit, & non iacere corpore, & tamen non deesse ab exauditione. Vnde ipsa quoque veritas, vt fidem discipulis augeret, dixit. Si ego non abiero, Paraclytus non veniet ad vos. Cum enim constet, quia Paraclytus spiritus à Patre semper procedat, & Filio, cur se filius recessurum dicit, vt ille veniat, qui à Filio nunquam recedit? Sed quia discipuli in carne Dominum cernentes, corporeis hunc oculis semper videre sitiebant, rectè eis dicitur. Nisi ego abiero, Paraclytus Io. 16.

Digitized by Google

raclytus non veniet. Ac si apertè diceretur. Si corpus non subtraho, quis sit Amor spiritus non ostendo. Et nisi me desieritis carnaliter cernere, nunquam me discetis spiritaliter amare.

PETRVS.

Placet, quod dicis.

GREGORIVS.

Aliquantulum iam à loquutione cessandum est, vt si ad aliorum miracula enarranda tendimus, loquendi vires interim per silentium reparemus.

ADNOTATIO, cum peroratione.

Aymoinus Monachus sancti Germani Pratensis apud Parisios lib. 2. de gestis Francorum cap. 22. agens de beato patre Benedicto, inter alia hæc ait. In cuius autem (vt pace omnium Sanctorum loquar) non dicam Martyris, verum & Apostoli transitu, tàm innumeris diuini fulgoris splendens apparuit via luminaribus, vestibusq. ornata nuptialibus? Nihil porrò mirandum, hunc diuinæ Latorem legis, hãc in assumptione Spiritus promeruisse gloriam, qui corruptibilis adhuc circumamictus tegmine carnis, tantis effulsit miraculorum signis, vt nisi vir toto venerabilis orbe, Papa videlicet Gregorius, eius esset vitæ relator, simulq. assertor eximius, profectò ab Infidelibus tam mirandis derogaretur actibus. Verùm, vt prætercam, quod adhuc puerulus eremum petijt intrepidus, illud certè non omittendum, quod post multiplicia charismatum dona ab omnipotente sibi concessa, tribus admirandis, nec sæculo antea cognitis, resplenduit miraculis. In eo namq. quod solo intuitu ligati soluit vincula rustici: quodq. sub momento, quasi sub vno solis radio, vniuersus ante conspectum eius collectus est mundus: siue quod strata pallijs, ac innumeris coruscа lampadibus via, ad polorum subuectus est alta, neminem illi puto conferendum Sanctorum. Magna porrò nobis, si dissimulare nolumus, indicta probitatis est necessitas, quibus donatum est tantum, ac talem habere patronum: vt ab illius nunquam propos-

se,

Digitized by Google

ſi, magiſterio diſcedentes, quæ audiuimus ab illo, & mentis oculis vidimus in illo, ſectemur. Aderit pro certo nobis, vtq. quondam corporales ruſtici nexus ſic noſtrorum ſoluet vincula peccaminum: animasq. noſtras ipſius ſequentes veſtigia cum magno diuini luminis ſplendore in æterna deducet habitacula. Hactenus Aymoinus.

Ecce propoſita eſt nobis, Patres Venerandi, vita & conuerſatio ſanctiſſimi Patriarchæ, & inſtitutoris noſtri Benedicti: vt de ipſa, ceu de quodam puriſſimo, ac limpidiſſimo fonte bibamus: ex ipſa hauriamus aquas omnis virtutis, & honeſtatis: aquas inquam ſalutares, ſancta videlicet exempla viuendi: in ipſa enim tanquam in optimo exemplari, quid corrigere, quid vitare, quid denique amplecti, ac tenere debeamus expreſſum inueniemus. Præceſſit nos Paſtor, & Dux noſter, fecit, quod nos facere voluit: impleuit munus ſuum, dum quæ docuit verbis, operibus præſtitit: impleamus & nos ſeruitutis noſtræ penſum, ſequamur præeuntem. Monachi ſumus, & ex viſtatus ac profeſſionis noſtræ tenemur ſub æternæ damnationis reatu, tendere ad perfectionem: Hoc vnum eſt nobis neceſſarium, hoc eſt certamen, & brauium nobis propoſitum, ad quod toto adniſu, & conatu currere debemus, ſi cupimus illud comprehendere. Curramus igitur, & ſine pigritia, & intermiſſione curramus, vt tandem peruenire valeamus. Viam nos docuit legiſer noſter, viam tutam, ac ſecuram: via eſt regula eius, via eſt vita eius: ſeruemus illam, imitemur iſtam. Sequamur ductorem noſtrum: ſtudeamus amare, quod amauit, & opere exercere, quod docuit. Neque enim poſſumus de Patre, & Paſtore noſtro cõqueri, quaſi voluerit onera grauia, & importabilia ſuper humeros noſtros imponere; quæ ipſe digito ſuo mouere nolucrit. Non ita eſt, ſed nobis iugum ſuaue, & onus leue regulæ impoſuit; ſibi vero duriora, arctiora, & grauiora ſemper imperauit. Admoneamus ergo manum operi, cum Dei adiutorio, nemo ſe excuſet: infirmus dicat, quia fortis ego ſum, & potens. Tot miriades ſanctorum Monachorum nos præcedunt, & adhuc cunctamur? Tot Imperatores, Reges, & Principes: tot Reginæ, tot nobiles, & delicatæ fœminæ viam hanc intrepidè cucurrerunt, & nos trepidabimus?

Arripuimus iter ſanctæ conuerſationis, miſimus manum ad aratrum, reſpicere retro non licet. Memores ſimus vxoris Lot.

Digitized by Google

qui ibi cœnobium iuxta sancti Benedicti institutionem condiderunt. Misit præterea sanctum Maurum cum alijs in Gallias, cui proficiscenti (vt testatur Faustus in eius vita) Regulam sua manu descriptam Pater sanctus tradidit. Immò ante hos omnes misit beatus pater alios discipulos in Hispaniam, qui celebre Monasterium sancti Petri de Cardegna Anno Domini quingentesimo trigesimoseptimo construxerunt sumptibus, & impensis Sanctiæ, siue Sanctiuæ Hispaniarum Reginæ. Ita docent antiquissima illius Monasterij monumenta. Quinimmò sanctus Maximus Cæsaraugustanus Episcopus, qui floruit circa annum Domini sexcentesimum, in Historia Gothorum, agens de obitu prædictæ Reginæ, sic habet. Aera quingentesima septuagesima octaua (est is Annus Domini quingentesimus quadragesimus) Sanctiua Seueriani mater, ædificato Monasterio, Monachis, quos sanctus Benedictus primum misit ad Hispaniam, ad sanctum Petrum Cardignensem: Toleti moritur, & in eodem Monasterio conditur.

Propagauit præterea sanctus pater Benedictus ordinem suum per vniuersam Italiam condendo noua cœnobia per diuersa loca, Romæ præsertim, vbi duo condidit Monasteria: vnum iuxta Lateranense patriarchium, cui præfecit Valentinianum discipulum suum, de quo Gregorius in prologo secundi libri Dialogorum. Alterum in Monte Cœlio titulo sancti Erasmi, vt scribit Gordianus sancti Benedicti discipulus in vita sancti Placidi: plurimaq. ex Monasterijs antea constitutis ad suam Regulam, & institutum suscipiendo, & admittendo: vnde factum est, vt ante ipsius obitum vniuersa ferè totius Italiæ Monasteria Regulam ipsius susceperint, atque seruauerint. Hæc autem omnia confirmantur grauissimo sancti Mauri testimonio, relato à Fausto eius condiscipulo in ipsius vita. Refert enim qualiter cum beatus Maurus in Gallias missus à beato patre Benedicto, vt monasticam disciplinam illic institueret, cum peruenisset Aurelianis, nuncium accepit de morte Bertigranni Episcopi Cœnomannensis, ad cuius preces Maurus a beato Benedicto cum eodem Fausto & alijs fuerat missus: huiusmodi Nuntio perculsi, ac tadio affecti comitibus beatus Maurus modesta oratione, eorum dejectos animos suauit releuare, & consolari, quam is verbis terminauit, atque concluſit. Itaque & nos nostra congaudentes peregrinationi, expectamus, vt deuotis-

Digitized by Google

deuotissimi serui consolationem Domini, & per omnia vestigia Patris nostri sanctissimi Benedicti imitari satagamus, qui relicta domo, & rebus patrijs, & ad vltimum Nutricem suam occultè fugiens, ac soli Deo placere desiderans, tantam à Domino promeruit gratiam, vt nemini post beatos, & primos Apostolos vnquam fuerit secundus: sed potius Deo se iuuante, tot sanctorum extiterit fundator cœnobiorum, tantaq. Domino acquisierit millia perfectorum Monachorum. Hæc verba beatus Maurus dixit socijs, & condiscipulis suis, decem aut duodecim diebus post transitum beati Benedicti in cœlum. Dixit autem ea hominibus, qui non poterant ignorare veritatem eorum, quæ ipse referebat, quippe qui & discipuli beati Patris Benedicti erant, vt ipse, vnaq. cum ipso è monte Cassino processerant, & quæ ipse asserebat, poterant facilè (si vera non fuissent) falsitatis arguere: nec potuisset falsa relatione eorum contristatos animos mulcere, & in spem, & confidentiam bonam erigere, vt volebat. Dicimus ergo cum beato Mauro, cui consentiunt, & alij condiscipuli, beatum patrem Benedictum, dum adhuc in humanis ageret, fundatorem extitisse plurium sanctorum cœnobiorum, multaq. Domino acquisiuisse millia perfectorum Monachorum. His accedit sensus Ecclesiæ Catholicæ, quæ in sanctorum Martyrologio à sancta sede Apostolica reformato, ad duodecimum Kalendas Aprilis agens de sancto Benedicto, sic ait. In Monte Cassino, Natalis sancti Benedicti Abbatis, qui monachorum disciplinam in Occidente penè collapsam restituit, ac mirificè propagauit. Quæ verba intelligenda sunt sicut ea, quæ supra retulimus, dicta à beato Mauro, vt scilicet mirifica propagatio disciplinæ monasticæ referatur ad plurima Monasteria, quæ beatus Pater per diuersa loca construxit: restitutio vero eiusdem monasticæ disciplinæ collapsæ referatur ad alia Monasteria, non quidem ab ipso erecta, seu fundata, sed ad ea, quæ ipsius Regulis, & institutis imbuta, ad normam optimæ disciplinæ monasticæ restituta sunt, atque reducta.

Regulam sancti patris Benedicti fuisse primum ab Ecclesia Dei confirmatam, & approbatam, communis opinio est. Primus, qui eam approbauit fuit Ioannes Tertius, qui circa annum Domini quingentesimum sexagesimum secundum in priuilegio concesso Monasterio sancti Medardi in suburbio Suessionensi,

Digitized by Google

sionensi. tunc nouiter erecto, ordinat, ac præcipit, vt Monachi illius Monasterij Regulam sancti patris Benedicti seruent. Tradendo namq. Monachis illis sancti Benedicti Regulam, vt iuxta illius leges, & instituta, vitam ac mores suos dirigerent, & ordinarent; proculdubio approbauit eam, quamuis litteras peculiares, seu formales, vt dicunt, huius approbationis non expedierit, meminit huius diplomatis sanctus Gregorius in quodam suo priuilegio eidem Monasterio concesso. Habetur in registro sancti Gregorij lib. 2. post epistol. 38. Post annos vero triginta sanctus Gregorius in Concilio Romæ habito eandem Regulam plenius, ac solennius confirmauit, & approbauit. Cuius approbationis extat rescriptum ipsius sancti Gregorij ad Honoratum Abbatem Sublacensis Monasterij in hæc verba.

Ego Gregorius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsul scripsi vitam sancti Benedicti, & legi Regulam, quam ipse sanctus manu propria scripsit; laudaui eam, & confirmaui in sancta Synodo, & per diuersas partes Italiæ, & vbicunque latina littera legerentur, præcepi vt diligentissimè obseruarent, quicunque ad conuersionis gratiam accessuri essent, vsque in finem mundi.

De prophetica sui exitus denunciatione. Cap. XXXVII.

GREGORIVS.

EODEM vero anno, quo de hac vita erat exiturus, quibusdam discipulis secum conuersantibus, quibusdam longè manentibus, sanctissimi sui obitus denunciauit diem: præsentibus indicens, vt audita per silentium tegerent, absentibus indicans, quod vel quale eis signum fieret; quando eius anima de corpore exiret. Ante sextum vero sui exitus diem aperiri sibi sepulturam iubet. Qui mox correptus febribus, acri cæpit ardore fatigari. Cumq; per dies singulos languor ingraueſceret, sexta die portari se in oratorium à discipulis fecit, ibiq; exitum suum Dominici corporis, & sanguinis perceptione muniuit, atque inter discipulorum manus imbecil-

lia

Digitized by Google

lia membra sustentans, erectis in cœlum manibus stetit, & vltimum spiritum inter verba orationis efflauit. Qua scilicet die duobus de eo Fratribus vni in cella commoranti: alteri autem longius posito, reuelatio vnius, atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namq; quia strata pallijs, atque innumeris coruſca lampadibus via, recto Orientis tramite ab eius cella in cœlum vsque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via, quam cernerent, inquisiuit: illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait. Hæc est via, qua dilectus Domino cœlum Benedictus ascendit. Tunc itaque sancti viri obitum, sicut præsentes discipuli viderunt, ita absentes ex signo, quod eis prædictum fuerat agnouerunt. Sepultus vero est in Oratorio beati Ioannis Baptistæ, quod, destructa Ara Apollinis, ipse construxit. Qui & in eo specu, in quo prius habitauit, nunc vsque si petentium fides exigat, miraculis coruscat.

ADNOTATIO.

De tempore obitus sancti patris Benedicti variæ sunt scriptorum sententiæ, quibus diligenter excussis, ea videtur esse amplectenda, quæ asserit, beatum Benedictum diem clausisse extremum Anno Domini quingentesimo quadragesimo tertio, duodecimo Kalendas Aprilis. Die qua sacrosancti Paschæ sabbathum illucescebat. Cuius opinionis assertor est Leo Ostiensis lib. 1. Chronici Cassinensis cap. 1. quem sequuti sunt postea alij. Et quidem obijsse illum Sabbatho sancto Paschæ illucescente, certissimum est, id ita asserente Fausto in vita beati Mauri. Cum enim sanctum pascha appropinquasset, sanctus Maurus cum socijs ex itinere diuertens ad Monasterium beati Romani, qui beatissimum Benedictum in specu aluerat, diuerterunt, & die parasceuæ hora sexta illuc peruenientes, deuotissimè à beato Romano susceptisunt. Et cum iam vespertina hora appropinquaret, vir Dei Maurus beato Romano dixit. Crastina die beatissimus pater noster Benedictus, terreno deposito corporis onere, cœlestem gaudens, & hilaris scandet ad patriam. Noctem vero illam, quæ duodecimo Kalendarum Aprilis habebatur, & qua sacratissimum vigiliarum paschæ illucescebat sabbathum, tàm beatissimus Maurus, ac nos, qui cum eo iba-

Digitized by Google

mus, quam sanctus Romanus cum aliquibus discipulis suis, ieiuni peruigilem duximus, vnusquisque nostrum secretò apud se, vt in illis diebus in Ecclesia Romana mos erat, psalmos, & orationum preces deuotè pro exitu eiusdem Patris nostri Dei dilectissimi Benedicti consummantes.

Cum verò transacta iam hora quasi tertia ipsius sacratissimę diei, beatissimus Maurus in Ecclesia consisteret, vt transitum eius, qualicunque eueniret hora orando, & psallendo præmunire (longè licet positus) satageret: seq; pauimento in orationem dedisset; raptus Spiritu, subitò se transpositum in loco, de quo egressi fueramus, vidit: conspexitq. viam pallijs stratam; ac innumeris coruscam lampadibus, recto Orientis tramite ab eius cella in cœlum vsque tendentem. In qua etiam visione duos Congregationis nostræ Fratres, socios habuit, cum quibus simul eandem visionem conspexit. Mox vero, vt beatus ad se reuersus est Maurus, ocyus sanctum Romanum ad nos eudeans, cuncta quæ viderat, lucidè nobis per ordinem retulit. Diem illam, & sequentem dominicam, qua specialiter Resurrectionis Dominicæ celebratur dies, sollennem, & celebrem cum omni gaudio, & lætitia peregimus. Hactenus ex Eausto, cuius testimonio standum omninò est, cùm ipse fuerit oculatus testis eorum, quæ scripsit, & potuit verè dicere, quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur. De die igitur obitus sanctissimi Patris Benedicti, nullus restat ambigendi locus. Superest tantum respondere difficultati, quæ mentes quorundam scriptorum torsit, atque eos circa tempus transitus beati Benedicti grauiter errare fecit. Difficultas ea est, nam anno Domini quingentesimo quadragesimotertio, iuxta calculum, & rationem temporum, tàm Dionysij Abbatis, quàm Victoris Episcopi Capuani, non potuit sacrosanctum festum Paschæ incidere in diem vigesimamsecundam Martij, sed incidisse volunt in diem decimamnonam Aprilis. Quibus breuiter respondemus, tunc temporis non fuisse adhuc receptum cyclum, seu computum a Dionysio Abbate de ordine summi Pontificis correctum, & emendatum, & præcipuè in Gallijs, vt constat ex Concilio quarto Aurelianensi, quod fuit celebratum anno Domini quingentesimo quadragesimoquinto, duobus videlicet annis ab obitu sancti Benedicti, in cuius Canone primo, & secundo præcipitur, & ordinatur, vt omnes sequantur Paschalem Cyclum iuxta rationem.

nem, & computum Victoris Episcopi Capuani. Quinimmò Beda lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 25. refert longius post annum sexcentesimum, dubitatum adhuc fuisse circa diei Paschæ celebrationem, qui à diuersis diuerso tempore celebrabatur, ita vt in eadem domo vir celebraret vno die pascha, mulier altero: vnde, & coactum fuit Concilium ad dirimendas controuersias huius rei. Maneat ergo fixum Fausti testimonium asserentis, beatum patrem Benedictum obyisse eo die, quo sacrosanctum paschæ Sabbathum illucescebat quem sequitur Leo Ostiensis, & alij ferè omnes. Massæus Cameracensis in Chronicis anno Domini quingentesimo quadragesimotertio, hanc nostram de tempore obitus sancti Benedicti tenet sententiam, & respondens difficultati propositæ sic ait. Noueris ergò temporibus illis quo die pascha celebrandum esset, sæpè fuisse dubitatum, quod nouus Dionysij Cyclus, non esset receptus ab omnibus, & Cyclus Victorij, quo tunc vtebantur, ostenderet diem paschæ incidere decimonono Aprilis, & maluisse vigesimosecundo Martij celebrare, & voluisse pro Emboliſmo, communem annum obseruare. Nullum igitur fundamentum solidum habet proposita difficultas, cum temporibus illis nihil certum, & præfixum obseruaretur circa celebrationem Paschatis, nisi tantum, quod die Dominico celebrandum esset, & post decimamquartam Lunam primi Mensis; cuius Luna exordium, cùm in diuersis locis diuersimodè sumeretur, etiam sanctum paschæ Festum diuersis diebus celebrabatur. Eo autem anno, quo vita functus est beatus Benedictus, celebratam fuisse paschalem sollennitatem in partibus Galliarum die 22. Martij, testis locupletissimus est Faustus, qui præsens aderat.

Quòd verò obitus sancti patris Benedicti inciderit in annum quingentesimum quadragesimumtertium, & non ante, nec post, sic probatur; & primùm, quod non ante. Nam, vt docet Cardinalis Baronius ex Procopio lib. 2. de bello Gothorum, Totila fuit euectus ad solium Regni anno quingentesimo quadragesimosecundo. Hic autem Rex viuente adhuc sancto Benedicto Cassinum venit, vt docet Gregorius supra cap. 14. & 15. Agebat ergo inter viuos eo anno sanctissimus Pater. Quod autem non fuerit transgressus annum quingentesimum quadragesimumtertium, ex duobus locis colligitur, vno ex Gordiano: altero vero ex Fausto desumpto. Gordianus in vita sancti Placi- tom. 7. Anno 542.

di asserit beatos Maurum, & Placidum oblatos à parentibus fuisse beato Benedicto anno Dominicæ Incarnationis quingentesimo vigesimosecundo, quamuis Cardinalis Baronius, cui & ego assentior, corrigendum putet esse numerum, & pro vigesimosecundo, supponendum vigesimumtertium. Faustus verò asserit beatum Maurum adhæsisse sancto Benedicto, atque apud eum mansisse annos viginti, quousque videlicet ab eodem beato Patre in Gallias missus est: asserit præterea beatum Benedictum eodem anno non multo post discessum sancti Mauri diem claussisse extremum. Modo sic probo intentum. Ab oblatione beati Mauri usque ad eius discessum in Gallias fluxere anni viginti, cumq. eodem anno obierit sanctus Benedictus, oportet asserere, nullo modo transgressum fuisse annum quingentesimum quadragesimumtertium, sed in hunc incidisse gloriosum eius transitum. Si enim à prædicta oblatione computes viginti annos incipiendo ab anno quingentesimo vigesimotertio, annus vigesimus completur anno quingentesimo quadragesimotertio: si autem inceperis computare ab anno quingentesimo vigesimosecundo, tunc usque ad annum quingentesimum quadragesimumtertium, conficies annos viginti completos, & præterea vigesimum primum inchoatum, quod in idem recidit. Adde his, quod beatus Benedictus, vt supra docuimus ex Fausto, obijt die Sabbathi: at verò anno quingentesimo quadragesimosecundo, dies vigesimaprima Martij incidit in feriam sextam, anno vero quingentesimo quadragesimoquarto, incidit in diem Dominicum; anno vero quingentesimo quadragesimotertio, incidit in diem Sabbathi. Et sic consonant vniuersa. Maneat ergo stabile, & firmum beatum Patrem Benedictum obijsse duodecimo Kalendas Aprilis, anno quingentesimo quadragesimotertio, die quo sanctum Paschæ Sabbathum illucescebat.

∴∴∴

De

Digitized by Google

De insana muliere in eius spe cu sanata.
Cap. XXXVIII.

GREGORIVS.

NVPER namq; est res gesta, quam narro. Quædam mulier mente capta, dum sensum funditus perdidisset, per montes, & valles, syluas, & campos, die noctuq; vagabatur, ibi tantummodo quiescebat, vbi hanc quiescere lassitudo coegisset. Quadam verò die dum vaga nimium erraret, ad beati Benedicti specum deuenit; ibiq; nesciens ingressa mansit. Mane autem facto, ita sanato sensu egressa est, ac si eam nunquam insania capitis vlla tenuisset: quæ omni vitæ suæ tempore in eadem, quam accepit salute, permansit.

PETRVS.

Quidnam esse dicimus, quod plerumque in ipsis quoque patrocinijs martyrum, sic esse sentimus, vt non tanta per corpora sua, quanta beneficia per reliquias ostendant, atque illic maiora signa faciunt, vbi minimè per semetipsos iacent?

GREGORIVS.

Vbi in suis corporibus sancti Martyres iacent, dubium (Petre) non est, quod multa valeant signa demonstrare, sicut & faciunt, & pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, vtrum ne ad exaudiendum ibi præsentes sint, vbi constat, quia in suis corporibus non sint, ibi necesse est eos maiora signa ostendere, vbi de eorum præsentia potest mens infirma dubitare. Quorum vero mens in Deo fixa, tanto maius habet fidei meritum, quando illic eos nouit, & non iacere corpore, & tamen non deesse ab exauditione. Vnde ipsa quoque veritas, vt fidem discipulis augeret, dixit. Si ego non abiero, Paraclytus non veniet ad vos. Cum enim constet, quia Paraclytus spiritus à Patre semper procedat, & Filio, cur se filius recessurum *dicit*, vt ille veniat, qui à Filio nunquam recedit? Sed quia *discipuli in carne* Dominum cernentes, corporeis hunc oculis semper videre sitiebant, rectè eis dicitur. Nisi ego abiero, Paraclytus Io. 16.

Digitized by Google

rachytus non veniet. Ac si apertè diceretur, Si corpus non subtraho, quis sit Amor spiritus non ostendo. Et nisi me desieritis carnaliter cernere, nunquam me discetis spiritaliter amare.

PETRVS.

Placet, quod dicis.

GREGORIVS.

Aliquantulum iam à loquutione cessandum est, vt si ad aliorum miracula enarranda tendimus, loquendi vires interim per silentium reparemus.

ADNOTATIO, cum peroratione.

Aymoinus Monachus sancti Germani Pratensis apud Parisios lib. 2. de gestis Francorum cap. 22. agens de beato patre Benedicto, inter alia hæc ait. In cuius autem (vt pace omnium Sanctorum loquar) non dicam Martyris, verum & Apostoli transitu, tàm innumeris diuini fulgoris splendens apparuit via luminaribus, vestibusq. ornata nuptialibus? Nihil porrò mirandum, hunc diuinæ Latorem legis, hãc in assumptione spiritus promeruisse gloriam, qui corruptibilis adhuc circumamictus tegmine carnis, tantis effulsit miraculorum signis, vt nisi vir toto venerabilis orbe, Papa videlicet Gregorius, eius esset vitæ relator, simulq. assertor eximius, profectò ab Infidelibus tam mirandis derogaretur actibus. Verùm, vt præteream, quod adhuc puerulus eremum petijt intrepidus, illud certè non omittendum, quod post multiplicia charismatum dona ab omnipotente sibi concessa, tribus admirandis, nec sæculo antea cognitis, resplenduit miraculis. In eo namq. quod solo intuitu ligati soluit vincula rustici: quodq. sub momento, quasi sub vno solis radio, vniuersus ante conspectum eius collectus est mundus: siue quod strata pallijs, ac innumeris coruscа lampadibus via, ad polorum subuectus est alta, neminem illi puto conferendum Sanctorum. Magna porrò nobis, si dissimulare nolumus, indicta probitatis est necessitas, quibus donatum est tantum, ac talem habere patronum: vt ab illius nunquam propos-

se,

Digitized by Google

ſi, magiſterio diſcedentes, quæ audiuimus ab illo, & mentis oculis vidimus in illo, ſectemur. Aderit pro certo nobis, vtq. quondam corporales ruſtici nexus ſic noſtrorum ſoluet vincula peccaminum: animasq. noſtras ipſius ſequentes veſtigia cum magno diuini luminis ſplendore in æterna deducet habitacula. Hactenus Aymoinus.

Ecce propoſita eſt nobis, Patres Venerandi, vita & conuerſatio ſanctiſſimi Patriarchæ, & inſtitutoris noſtri Benedicti: vt de ipſa, ceu de quodam puriſſimo, ac limpidiſſimo fonte bibamus: ex ipſa hauriamus aquas omnis virtutis, & honeſtatis: aquas inquam ſalutares, ſancta videlicet exempla viuendi: in ipſa enim tanquam in optimo exemplari, quid corrigere, quid vitare, quid denique amplecti, ac tenere debeamus expreſſum inueniemus. Præceſſit nos Paſtor, & Dux noſter, fecit, quod nos facere voluit: impleuit munus ſuum, dum quæ docuit verbis, operibus præſtitit: impleamus & nos ſeruitutis noſtræ penſum, ſequamur præeuntem. Monachi ſumus, & ex viſtatus ac profeſſionis noſtræ tenemur ſub æternæ damnationis reatu, tendere ad perfectionem: Hoc vnum eſt nobis neceſſarium, hoc eſt certamen, & brauium nobis propoſitum, ad quod toto adniſu, & conatu currere debemus, ſi cupimus illud comprehendere. Curramus igitur, & ſine pigritia, & intermiſſione curramus, vt tandem peruenire valeamus. Viam nos docuit legiſer noſter, viam tutam, ac ſecuram: via eſt regula eius, via eſt vita eius: ſeruemus illam, imitemur iſtam. Sequamur ductorem noſtrum: ſtudeamus amare, quod amauit, & opere exercere, quod docuit. Neque enim poſſumus de Patre, & Paſtore noſtro cõqueri, quaſi voluerit onera grauia, & importabilia ſuper humeros noſtros imponere; quæ ipſe digito ſuo mouere noluerit. Non ita eſt, ſed nobis iugum ſuaue, & onus leue regulæ impoſuit; ſibi vero duriora, arctiora, & grauiora ſemper imperauit. Admoueamus ergo manum operi, cum Dei adiutorio, nemo ſe excuſet: infirmus dicat, quia fortis ego ſum, & potens. Tot miriades ſanctorum Monachorum nos præcedunt, & adhuc cunctamur? Tot Imperatores, Reges, & Principes: tot Reginæ, tot nobiles, & delicatæ fœminæ viam hanc intrepidè cucurrerunt, & nos trepidabimus?

Arripuimus iter ſanctæ conuerſationis, miſimus manum ad aratrum, reſpicere retro non licet. Memores ſimus vxoris Lot.

Digitized by Google

Iota vnum, aut apicem vnum non prætereamus ex his, quæ sanctissimus noster Legislator nobis seruanda præscripsit, ne paulatim ad maiora omittenda dilabamur, & pereamus. Audiamus sanctum Anselmum nostri ordinis alumnum de his nos serio cõmonentem, in epist. 6. ad Monachos scripta. Certissimum, inquit, est, quod in multis Ecclesijs experimento didicimus: quia in Monasterio, vbi minima districtè custodiuntur: vbi rigor Monachorum inuiolabilis permanet: ibi pax inter Fratres, & in capitulo proclamationes conquiescunt. Vbi vero minimi excessus negliguntur, ibi totus ordo paulatim dissipatur, & destruitur. Si ergo de virtute in virtutem vultis ascendere: semper timete in singulis minimis Deum offendere. Hæc Diuus Anselmus. Et ne vnicus, ac singularis huius sententiæ assertor esse videatur, adiungamus illi beatum Antoninum 2. par. histor. tit. 15. cap. vlt. §. 2. vbi postquam de multis religionibus egit, sic scribit. Præfatæ religiones, quæ cum magno feruore, & vitæ sanctimonia initium habuerunt, minima negligentes traditionum paternarum in processu temporis, paulatim defluxerunt, & exinanitæ sunt vsque ad fundamenta, vota scilicet substantialia. sic ille. Ne ergo tale quid nobis contingat, sectemur tota corde, tota anima, & tota virtute Patris, & institutoris nostri vestigia: viriliter, ac strenuè certemus in hac sacra religionis palestra, in qua descripti sumus; vt aduersarijs colluctatoribus elisis, atque prostratis, cum eodem sanctissimo Patre nostro, alijsq. ipsius sectatoribus, immarcescibilem æternæ gloriæ coronam adipisci mereamur. Amen.

Explicit secundus liber Dialogorum B. Gregorij Papæ de vita, & miraculis sanctissimi Patris Benedicti.

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIVNCVLA IN VITAS SANCTORVM PLACIDI, ET MAVRI.

INTER discipulos, quos glorioſus Pater Benedictus ſuo Magiſterio ſanctimonia inſignes inſtituit, duo potiſſimum emicuerunt, Placidus martyrij gloria excellens, & Maurus ſanctitate, miraculis, ac monaſticæ vitæ propagatione illuſtris. Hi cùm fuerint Beati Patris Benedicti coadiutores, & cooperatores eximij, tàm in ſtructura materiali, quàm in ædificatione ſpirituali Caſſinenſis Monaſterij: congruum viſum eſt, poſt deſcriptam Beati Benedicti vitam, iſtorum etiam laudabilem vitæ curſum, breuiter, ac ſuccinctè narrare, quatenus legentes primordia conuerſionis eorum apud Beatum Gregorium lib. 2. Dialog. cap. 3. noſcant etiam eorundem glorioſam conſummationem.

Epithomæ vitæ S. Placidi martyris diſcipuli Beati Patris Benedicti.

PLACIDVS Tertulli patricij Romani filius, puer adhuc ſeptennis à Patre, omnipotenti Domino nutriendus, Beatiſſimo Benedicto traditus eſt: quem ſanctus Pater ea nocte ſecum ſolum duxit, qua in Rupis vertice fontem ſua oratione à Domino impetrauit. Hic puer adhuc ad hauriendam de lacu aquam egreſſus, vas incautè in aqua ſubmittens, ipſum caden-

Digitized by Google

cadendo sequutus est. Quod in spiritu Beatus Pater Benedictus prospiciens, Mauro imperauit, vt festinus Placidum vnda, qua longius iam trahebatur, eximeret: quod, super vndas currens longo lacus tractu, Maurus effecit.

Cùm autem Placidus annum vigesimumsecundum ageret in maxima morum sanctitate, Nuncij ad Beatum Benedictum è Sicilia peruenerunt, qui dicerent, prædia illa, quæ à Tertullo in vsibus seruorum Dei oblata fuerant Beato Patri, inculta & penè deserta villicorum negligentia iacere. Beatus ergo Pater Placidum eò misit, vt nouo militum Christi nomine eam Insulam illustraret. Quò dum pergeret, multos in itinere varijs morbis afflictos, mirabiliter curauit. Messanam igitur cum appulisset, benignissimè à Messalino, & alijs Tertulli Amicis exceptus, de condendo extra Ciuitatem Cœnobio iuxta Mare, cum illis agit: quo intra annos quatuor constructo, sancti Ioannis Baptistæ nomine consecratum est. Vbi plures Monachi sub Placidi Magisterio, & sancti Benedicti Regula congregati, magnam de se, ne dum vicinis, verum & longè distantibus populis, opinionem sanctitatis præbebant: Placido ipso multis miraculis coruscante. Quorum fama, cùm Romam quoque replesset, Euthitius, Victorinus, & Flauia virgo Placidi fratres, ab Vrbe in Siciliam ad Fratrem visendum nauigarunt.

Eo tempore Barbarorum ingens Classis, Mamuca Duce, Siciliam prædabunda inuasit: qui cum Messanam obsiderent, Placidi Cœnobium effringentes, quibusdam interfectis, Placidum, Euthitium, Victorinum, & Flauiam virginem, cum alijs triginta Monachis vinctos, ac plurimis cruciatibus, vt Christum abnegarent, tortos, in Christi confessione vnanimiter perseuerantes, tandem iugulant. Eorum corpora post dies aliquot, Gordianus Monachus, qui fuga Barbarorum manus euaserat, intacta à canibus, & volatilibus, quibus proiecta fuerant, inueniens, sepulturæ tradidit. Passus est autem Placidus anno ætatis suæ vigesimosexto, Domini vero quingentesimo quadragesimosecundo, superstite adhuc Beato Patre Benedicto: qui accepto Nuncio de fælici morte, & passione dilectissimi sui discipuli, vltra modum spirituali lætitia congaudens, congregatis Monasterij sui Monachis, talem ad eos habuit orationem.

Sicut

Digitized by Google

Sicut Patris est gaudere in suorum profectibus filiorum, ita & filiorum est augmentum Patris lucra sua reputare. Quapropter noueritis, dilectissimum filium meum Placidum martyrij trabea adornatum migrasse ad Dominum. Iam enim meis interioribus oculis eius immaculatam hostiam, & Deo benè placentem deduxi in alta cœlorum. Hunc nempe, tempore quo illum à Patre suo suscepi, noueram esse mortalem: nunc non est, quod conquerar, sed habeo in quo Deo gratias agam, quia semper optaui, vt de fructu cordis mei omnipotenti Deo sacrificium offerretur. Nihil enim hoc sacrificio habui prætiosius, nihil amabilius, nihil charius. Elegit namq; Placidus pro Christo momentaneam mortem, & peruenit ad eum in cœlesti solio ad dexterã Patris regnantem. Ob id enim Christus pro omnibus mortuus est, vt nos non nobis, sed Christo viueremus. Grates autem omnium Redemptori refero, quia ingratus esse non possum. Congaudendum enim mihi est, quod talem discipulum habuerim, non dolendum, quod amiserim: nam illud munus fuit, hoc debitum est. Functus sum famulatu discipuli mei, quamdiù Deus voluit, & post, quod dedit recepit. Quod naturę communis fuit Placidus pro Christo posuit, & quod singularis est gratiæ meruit. Cur autem ego doleam Placidum filium meum mihi ereptum, cum ob salutem nostram Deus filio suo non parcens, pro nobis omnibus tradidit illum? quis vnquam exceptus est à conditione moriẽdi, qui non est exceptus à conditione nascendi? Non ergo Placidum defleam filium, quem scio transisse de morte ad vitam. In illius namq; morte gaudendum est, non dolendum, quia illam pro veritate, & æterni Regis fide gustauit. Nam cur ego te Placide fili charissime defleam, qui mihi sic ereptus es, vt omnium esses? Non enim perdidisti vsum naturæ tuæ, sed in melius commutasti: ante corpore separabilis à Deo existens, nunc indiuiduus cum Deo permanes. Fœlicia verba, quæ in te expendi, fœlices labores, quos in te sustinui. Dum viueres mecum, non te Tertulli Patricij Patris tui amor à me diuellere potuit, nec ipse mihi vnquam Patrem prætulisti, quousque ad æternam vitam migrasti.

Hæc, & his similia Patre Benedicto proloquente, de consilio totius Congregationis Cassinensis, quosdam ex discipulis suis ad Siciliam direxit, præcipiens illos citius properare

ad

ad prædictam Insulam ad Monasterium Beati martyris Placidi restaurandum, atque Monasticum ordinem propagandum. Qui præceptis eius obsecundantes, breui tempore in Siciliam, Deo duce, peruenerunt, atque restaurationi præfati Monasterij operam dare cęperunt, ac tandem ad optatum finem perduxerunt. Hæc ex Gordiano, qui horum martyrum passionem descripsit, desumpta sunt.

Post annos vero plus mille, anno videlicet millesimo quingentesimo octogesimo octauo, pridie nonas Augusti, Prędidente in sede Petri Sixto Quinto Pontifice Maximo, corpora horum sanctorum martyrum inuenta fuere in Ecclesia Sancti Ioannis Baptistæ extra, & prope muros Ciuitatis Messanæ. Extat ea de re diploma præfati Pontificis. Datum Romæ idibus Nouembris, Pontificatus ipsius Anno quarto. Libellum etiam edidit de inuentione, & eleuatione horum sanctorum martyrum Petrus Villa de Canibus nobilis Messanensis: quem poterit consulere, qui ampliorem huius rei optat cognitionem.

VITA

VITA
S. MAVRI ABBATIS
DISCIPVLI BEATI BENEDICTI
in compendium redacta.

MAVRVS, Patre Euthitio (siue Aequitio) Romano Senatore, & religiosa Matre Iulia ortus, duodennis Beato Benedicto, sanctis moribus educandus, oblatus est. Qui cum bonis polleret moribus, vt sanctus Gregorius ait, Magistri adiutor cœpit existere. Tantæ præterea sanctitatis adolescens adhuc fuit, vt Dæmonem, cuius astu vagus quidam Monachus ab oratione pellebatur, cum Patre Benedicto sub nigri forma puelluli viderit, quem tamen alij videre minime potuerunt. Placidum etiam puerum ab vnda raptum, Benedicti Patris iussu, super aquas currens, ne mergeretur, eripuit. Continentiæ vero, & austeritatis tantæ fuit, vt in quadragesima bis tantum in hebdomada pauciſſimum sumeret cibum. Somnus illi stanti, vel cum nimia eum lassitudo compulisset, sedenti super aggestum calcis, & sabuli, strato cilicio, capiebatur. Litterarum diuinarum lectioni, assiduisq; lacrymis, & orationibus adeò deditus, vt vel ipsi sanctissimo Benedicto admirationi esset. Quapropter Mauri virtutes, suppresso illius nomine, apud suos Monachos frequenter laudans, Maurum illis imitandum proponebat. Miraculorum quoque signis, iuuenis admodum claresceré cepit, claudo eidemq; muto sanitate restituta.

Interea ex Gallia ad Beatum Benedictum (cuius sanctitatis fama totum orbem repleuerat) legati à Bertigranno Cenomannorum Episcopo veniunt: qui oblatis Episcopi sui nomine,

Digitized by Google

mine, litteris, ac muneribus, efflagitant, vt è suis Monachis probatæ vitæ viros mitteret, qui Galliam sanctitatis exemplo illustrarent. Cui muneri obeundo, beatus Pater Maurum elegit, additis comitibus Fausto, Simplicio, Antonio, & Constantiniano, viris omni virtute, & sanctitate præditis: quibus Regulam manu sua descriptam, & panis pondus, viniq; mensuram tradidit.

Ad Maurum vero iam iter agentem, Epistolam qua obitus sui indicabat diem, necnon capsulam cum quibusdam sanctorum reliquijs, beatus Pater transmisit. Superatis deinde Alpibus, sanctorum martyrum Mauritij, & sociorum corpora dum visitat Maurus, & cæco cuidam lumen restituit, & moribundum adolescentem incolumitati, reddidit. Ex itinere cum aliquantum diuertisset, beatum Romanum, qui sanctum Benedictum in specu latentem aluerat, inuisit: vbi semita illa splendens, & ornata, qua sanctus Benedictus cœlum petiuit, sibi ostensa est.

Aurelianis tandem cum peruenissent, Bertigrannum Episcopum ad Dominum migrasse comperiunt: vnde in Andegauensem agrum diuertunt, vbi ingentia prædia possidebat Florus ex prima nobilitate, Regiq; Theodeberto charissimus. Qui cœnobium in proprio prædio construxit, Mauriq; sanctitate illectus, in eodem Monachus effectus est. Nomen Cœnobio (à loco, vbi situm est) Glanofolium, quod Regum Gallorum liberalitate, & Beati Mauri miraculis, ac sanctitate, mirabiliter auctum, ac locupletatum est: indeq; Religio Monastica per vniuersam Galliam disseminata. Maurus igitur annum agens septuagesimumtertium, laterali morbo correptus, grauiter ægrotare cœpit. Qui cum vocatos ad se Monachos saluberrimis admonitionibus instruxisset, sacramentis Ecclesiæ deuotissimè susceptis, spiritum Deo reddidit, decimooctauo Kalendas Februarij, anno Domini quingentesimo octogesimoquarto: ab obitu vero sanctissimi Patris Benedicti quadragesimoprimo. Hæc ex Fausto Monacho B. Mauri comite indiuiduo, qui vitam eius susè descripsit, à nobis summatim collecta sunt.

Digitized by Google

DE
LEONE OSTIENSI
CHRONICI CASSINENSIS
AVTHORE.

LEO Monachus Cassinas, natione Marsicanus, decimoquarto ætatis suæ anno vix completo, Cassinum venit, atque à Desiderio Abbate benignè susceptus, instructus, atque nutritus fuit, vt ipse testatur in Prologo lib. 3. huius Chronici. Annum probationis, siue (vt vulgo dicitur) Nouitiatus, exegit sub disciplina, & magisterio Aldemarij religiosissimi Monachi: de quo idem Leo cap. 26. eiusdem libri, agens de Monachis huius Monasterij ab Alexandro II. ad diuersas Ecclesiasticas dignitates assumptis, hæc scribit. Aldemarium quoque fœlicis memoriæ, Capuanæ Ciuitatis prudentissimum, ac nobilem Clericum, & Richardi Principis olim Notarium, qui meus in conuersione magister extiterat, quiq. in Abbatem prius in Sardiniam missus dudum fuerat ordinatus: postquã reuersus ad Monasterium est, in Ecclesia S. Laurentij, quę appellatur foris muros, Cardinalem simul, & Abbatem sacrauit. Leo noster ab Vrbano II. Cardinalis, & Episcopus Ostiensis creatus fuit. Quo tandem anno obierit, adhuc reperire nequiui. Constat ex lib. 4. Chronici Cassinensis cap. 38. ipsum vsque ad annum millesimum centesimum vndecimum, quo Paschalis II. ab Henrico IV. Imperatore dolo captus est, peruenisse. Sic enim ait Petrus Diaconus, vbi supra. Ioannes interea Tusculanensis Episcopus, & Leo Ostiensis, Papam in vinculis tentum, vt perspexere, habitu plebeio induti, in Vrbem se receperunt. Quinimmò attigisse annum mille-

Digitized by Google

milleſimum centeſimum duodecimum, conſtat ex his, quæ Cardinalis Baronius tom. 12. hoc eodẽ anno ſcribit. Sed quæ inſuper ad hunc annum ſpectant, memoriæ dẽ rebus geſtis ſub Paſchali, hæ habentur in titulo S. Laurentij in Lucina. Tempore Domini Paſchalis II. Papæ, anno eius XIII. Domini vero milleſimo centeſimo duodecimo, indictione quinta, decimoſexto Kalendas Februarij, per manus eiuſdem Pontificis, craticula, ſuper quam proculdubio B. Laurentius emiſit ſpiritum, de quodam altari veteri educta eſt, cum duabus ampullis vitreis medijs ſanguine eiuſdem martyris: quæ cũ nonnullis diebus videretur à Romano Populo, coram eius multitudine, per manus Leonis Oſtienſis Epiſcopi, ſub hoc nouo altari nono Kalendas Februarij recondita eſt. Ex ſede verò marmorea S. Laurentij in Lucina retro altare primarium, ac rurſum in tabula marmorea eiuſdem Eccleſiæ (quę item ad præſentem annum ſpectant) hæc habentur. Anno Domini milleſimo centeſimo duodecimo, indictione quinta in Kalendis Februarij, dedicatum eſt hoc altare per manus Leonis Oſtienſis Epiſcopi. Ex quibus conſtat, Leonem noſtrum attigiſſe annum milleſimum cẽteſimum duodecimum: quamdiù vero poſtea ſuperuixerit incertum eſt. Scripſit adhuc Monachus præſens Chronicon, iubente Odoriſio Caſſinenſi Abbate, vt idem Leo teſtatur in Epiſtola dedicatoria: illudq; in tres libros digeſſit, quibus Petrus Diaconus quartum librum adiunxit. Cardinalis Baronius tom. 11. Anno milleſimo quinquageſimonono, vocat Leonem noſtrum, ſcriptorem ſui temporis integerrimum. Et anno milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo, eundem appellat ſynceræ fidei Scriptorem. Huius Chronicon tibi proponimus, optimè Lector, aliquibus Adnotationibus auctum, & locupletatum. Fruere igitur ſcriptis integerrimi, & ſynceræ fidei ſcriptoris. Vale.

PRO-

Digitized by Google

PROLOGVS LEONIS OSTIENSIS EPISCOPI in Chronicon Cassinense.

DOMINO, & Patri sanctissimo venerabilis Cœnobij Cassinensis Abbati Oderisio, Frater Leo, cognomine Marsicanus, debitæ obedientię famulatum. Iniunxerat mihi iam dùdum vestra Beatitudo, Pater venerandissime, vt glorioſi prædeceſſoris tui ſanctæ memoriæ Abbatis Deſiderij, ſingularis plane, & vnici hoc tempore ſui ordinis viri, magnifica geſta ad poſterorum memoriam, ſcribendi operam darem; nimis videlicet indignum iudicans, loci huius veterum te deſidiam imitari, qui de tot Abbatum geſtis, ſeu temporibus, nihil ferè litteris tradere ſtuduerunt; & ſi quæ forte ſuper hoc aliqui deſcripſerunt, inepto prorſus, & ruſticano ſtylo digeſta, faſtidium potius, quam ſcientiam aliquam legentibus conferunt. Quod tua Paternitas, ne Deſiderio noſtro contingat ſolertiſsime prouidens, huic me operi placuit deſtinare, imponendo mihi ſarcinam meis profectò viribus imparem, ita vt ipſa tantum ſui conſideratione ſuccumbens, iam ferè per annum id attentare timuerim. Nuper itaq. cum à Capua redeuntem te pro meo comitarer officio, inter ambulandum reminiſcens tuæ ipſius egregiæ iuſsionis, percunctatus es, vtrum deſiderium tuum ſuper ſcribendis Deſiderij geſtis expleſſem; Ego vero ſubita hac ſciſcitatione conuentus, id quod in re erat reſpondere coactus ſum. Nihil om-

Digitized by Google

ninò me inde feciſſe, moxq. aliquantulum reſumpta conſtantia; & quando (inquam) huic tuo parere imperio potui? quando toto ferè hoc anno, cum in ſeruitio Domni Apoſtolici ex iuſſione tua, tum quoque in tuimet ipſius diuerſis negotijs occupatus, vix per octo dies continuos in Monaſterio conſtiti? Cùm videlicet, opus iſtud non paruo indigeat otio: neque occupati alicuius tantam materiam aggredi; ſed potius curis omnibus expediti. Hac igitur patienter ratione ſuſcepta, & negligentiæ me modeſta admodum inuectione coarguēs, & nunc (inquis) otium, quod deſideras arripe, & inſcribendo Deſiderio ne velis amplius moras innectere; Imò etiam volo, atque præcipio. Quandoquidem vſque ad hunc diem res ipſa procraſtinata eſt, vt ab ipſo Patre Benedicto eiuſdem tuæ inſcriptionis initium ſumens, vniuerſorum vſque ad eundem Deſiderium, noſtri loci Abbatum ſeries, tempora, ſeu geſta vndecunq; ſtudioſiſsimus indagator exquiras. Et quæ, vel à quibus, ſeu qualiter ſub ſingulis Abbatibus poſſeſsiones, ſeu Eccleſias, quas poſsidere videmur, noſtro Monaſterio acceſſerint. Imperatorum, ac Ducum. Principumq. præcepta, necnon aliorum, quorumcunque fidelium munimina ſcrupulosè diſquirens, inſtar Chronici hiſtoriam non parum nobis, nobisq. ſuccedentibus vtilem condas. Super hæc præterea tàm deſtructionem, quàm & reſtaurationem Monaſterij huius, bis diuerſis temporibus factam, necnon, & ſi quæ interim occurrunt de operibus, ſeu geſtis clarorum virorum, harum dumtaxat partium, digna memoria, ſuis in locis, vel breuiter annectere non graueris. Cuius ego imperij pōdus poſtquàm cœpi ſollicitus in mente conſiderare, cœperunt mihi hinc inde plurima cogitationum ſpineta ſuccreſcere, & vnde, vel quomodo id perficere nauiter poſ-

ſem,

Digitized by Google

lem, pro paupertate sensus mei non facilè peruidens, an recusare, an suscipere tantum opus, vtrum eligerem, ignorabam. Siquidem in suscipiendo temeritas, inobedientia me in recusando pungebat. Adhæc memineram, præfatum Dominum meũ Desiderium hoc ipsum opus olim Alfano Archiepiscopo Salernitano, viro nostrorũ temporum sapientissimo, iniunxisse; sed cum laboriosam valde materiam peruidentem, periculo se huiusmodi subduxisse: Quod si ille, qui & scientia, & eloquentia incomparabiliter tunc pollebat, huic se oneri cauit submittere, quid mihi esset agendum, cui nec scientia aliqua, & eloquentia nulla prorsus inesset? Angebat iterũ conscientiam meam, cur opus istud non alicui alij confratrum nostrorum, qui longe vtique me scientiores, ac dictandi vsu peritiores existerent, à te committeretur. Quos videlicet, vel ex diuersis partibus orbis eiusdem sancti prædecessoris tui diligentia in hunc locum aggregauerat, vel in hoc eodem Cœnobio doceri studiosissime fecerat. His, & huiuscemodi cogitationibus fluctuans æstuabam, quoniam, & res hæc altior erat, quam vt à me posset attingi, & obstrusior certè, quam vt valeret à me perscrutari; verùm quoniam pro deuotione, quam ab olim erga tuam Paternitatem singularem gerebam, nil vnquam tibi refutare iam dudum decreueram: stabiliui tandem animum, & qui sola prius Desiderij gesta pusillanimis attentare timueram, vniuersorum postmodum prædecessorum eius, confidens de adiutorio Dei, & ita mihi prorsus iudicans expedire, quoquo modo scribenda suscepi. Mox itaque repertis illis scriptiunculis, quæ de hac eadem materia, laciniosolicet stylo, videbantur, vel breuiter exarata, & præcipuè Chronicon Ioannis Abbatis, qui primus in Capua noua Monasterium nostrum construxit: adhibitis

Digitized by Google

nihilominus libris huic operi neceſſarijs. Hiſtoriam videlicet Longobardorum, Chronicon quoque Romanorum Imperatorum, atque Pontificum. Necnon & diligenter indagatis priuilegijs, atque præceptis, necnon & conceſsionibus diuerſorumq. nominum ſcriptis, tam ſcilicet Pontificum Romanorum, quam diuerſorum Imperatorum, Regum, Principum, Ducum, ſeu Comitum, cæterorumq. virorum Illuſtrium, ac fidelium, quæ dumtaxat nobis ex duobus Cœnobij huius incendijs reſidua eſſe videntur; quamuis nec ad eadem ipſa omnia potuerim peruenire. Poſtremo, & ſcrupuloſe interrogatis ijs, quos modernorum temporum, ſeu Abbatum geſta, vel audire in proximo contigerat, vel videre, prout tenuitas ingenioli mei ſuppetit, peragere, quod præcepiſti aggreſſus (auxiliante Domino) ſum; magis certe de obedientia, quam tibi, vt Patri, ac Domino debeo, quam de aliqua præſumēs ſcientia. Adſit Deus, & gratia Spiritus eius, vt tam efficaciter id poſsim implere, quam tu mihi es diligenter dignatus iniungere: quatenus opuſculum iſtud, & tibi gratiſsimum, & multis valeat eſſe proficuum. Hæc tantiſper ne fortaſſe ea neſcientibus temeritatis arguerer, mihi proſpiciens, in præfatiuncula neceſſe habui prænotare, vt etſi me accuſet inſcitia, auctoritas tamen præceptoris excuſet.

In tres porro deciſiones, quaſi pro legentium leuamine, ſtatui libellum iſtum diuidere. Quoniam tribus præcipuè Cœnobij huius Abbatibus conceſſum eſt poſt Beatum Benedictum in huius loci reſtauratione, ſupra cæteros ſtuduiſſe, atque ideo forſitan diuinitus illis præſtitum eſt amplius reliquis in hac Prælatione vixiſſe, & beato quidem Patre cum quatuor ſubſequentibus quaſi in præfatione præmiſſo, à Petronace, qui poſt centum quadraginta annos à Longobardorum deſtru-

ctione

Digitized by Google

tione locum hunc restaurare cœpit, primæ sortis initium faciam, qua vsque ad secundam destructionem, quæ à Saracenis sub Berthario facta est, ordine suo producta, eiq; insuper illis adiunctis, quæ per annos septem, & sexaginta destituto hoc loco, à septem Abbatibus apud Teanum, & Capuam commorantibus gesta sunt. Secunda pars ab Aligerno mihi incipiet, qui non tantum in huius Monasterij restauratione, verùm etiam in reconciliatione totius huius Terræ, quæ Saracenorum infestatione destituta cultoribus fuerat, studiosissime studuit, & hac quoad Desiderium vsque nostrum particula protelata, & gestis illorum, qui ipsius temporis spatium huic Monasterio præfuerunt, consequenter annexis, ipse Desiderius initium erit, & terminus totius tertiæ partis. Qui nec Petronace, nec Aligerno inferior; imò longe (meo iudicio) potior, magnificum, ac speciosissimum ex integro Monasterium nouum, atque pretiosissimum, ac si alter Salomon; nostris temporibus construxit Domino templum; Iam verò si iuuat tribus his portionibus addere quartam, à vobis (auxiliante Domino) illius erit principium. Hoc vnum præterea, simul cum paternitate vestra, Lectorem meum expostulem, vt non dictantis imperitiam; sed materiam dignetur attendere vtilissimam. Sicut enim non peritus artifex, si de purissimo auro, gemmisq; pretiosis Imperiale diadema confecerit, licet opus ipsum non rectè formatum videatur ob imperitiam artificis, non tamen non charum esse potest, tam propter pretiosam materiam, quam etiam propter ipsius vocabuli dignitatem: sic, & opusculum istud, quamuis omninò despicabile propter stili inertiam possit videri, propter vtilia tamen multa, quæ continet, ingratum alicui haberi non debet; licet enim minus eleganter, simplici-

Digitized by Google

ter tamen, atque veraciter, quantum ad me, ea, quæ dicenda sunt, pro meæ scientiæ modulo exequar, quæ neque doctis (si inuidia desit) ingrata, nec minus doctis possint ad intelligendum videri profunda. Confido autem, quod etsi fortè non omnibus, pluribus tamen hæc nostra sit Historiuncula placitura. Quoniam tempore hoc nostro, licet difficulter inuenias aliquem, qui velit huiusmodi aliquid scribere; multos tamen est reperire, qui huiusmodi narrationes, vel audire delectentur, vel legere.

Digitized by Google

LIBER PRIMVS

HISTORIÆ CASSINENSIS

COENOBII.

CAPVT PRIMVM.

GREGIVS, & sanctissimus Pater, huiusq, Cassinensis Cœnobij primus Fundator, gratia, & nomine Benedictus (sicut Beatus Papa Gregorius in secundo Dialogorum libro pleniter scribit) Nursia Prouincia oriundus fuit, Romæ vero ad erudiendum liberalibus studijs à parentibus traditus, non multo post (vt præfati Doctoris sermonibus vtar) receſſit scienter nescius, & sapienter indoctus. Relictis itaque litterarum studijs, pariterq; Nutrice, clam fugiens, ad locum, qui Sublacus dicitur (quadraginta ferme ab Vrbe millibus disparatum) deuenit. Vbi in speleo quodam per triennium (excepto Beato Romano, qui sanctæ illum conuersationis habitum induerat) nulli cognitus mansit. Posthæc à pastoribus repertus, & demum à plurimis agnitus, à Romanæ quoque Vrbis nobilibus frequentatus, duodennom ab Aequitio Maurum, à Tertullo vero Patritio Placidum adhuc puerulum, monastica doctrina instituendos accepit. Vbi etiam duodecim Monasteria Christi auxilio construens, per singula quoque eadem duodecim Monachos, substitutis Patribus deputauit, inde persecutione Presbyteri Florentij loco cedens, paucos secum Fratres assumpsit, atque duobus se Angelis comitantibus, & tribus coruis, quos solitus erat alere, consequentibus, per quinquaginta circiter millia, ad hunc locum, Christo iubente, peruenit. Cuius videlicet sedis, Varronem illum

Digitized by Google

tot ſæculis celebratum, & omnium Romanorum (Tullio teſte) ſapientiſſimum, auctorem fuiſſe refert antiquitas, vbi contrito (quod ibidem à ruſticis colebatur) Apollinis Idolo, ſubuerſa Ara, lucoq; ſuccenſo, Monaſterium ſibi conſtruxit, & circumquaque manentes populos, continuis prædicationibus ad Chriſti fidem conuertit. Vbi etiam quantis, qualibusq; refulſit miraculis, quoniam non huius eſt operis; ſi quis eorum deſiderat habere notitiam, in præfato Beati Gregorij libro, facundè ſcripta reperiet. Inter quę cum die quadam diuinitus ſibi reuelatum fuiſſet, idem Monaſterium, quod ipſe conſtruxerat, à gentibus deſtruendũ, atque propterea inconſolabiliter fleret, Cœleſti protinus Oraculo conſolatus, audiuit, eundem locum, ſuis nihilominus meritis, in potiorem, & ampliorem, quam tunc ſtatum fore venturum, & in multas exinde Orbis Romani partes, regularis normæ, ac diſciplinæ ordinem profecturum.

Supra in vita ſancti Mauri.

Ipſo itaq. anno, quo de hac vita migraturus erat ad Chriſtum, rogatus in Galliam ad Monaſterium conſtruendum ſuos mittere Monachos (quamuis finem dierum ſuorum non ignoraret) nihil moratus Beatum Maurum illuc cum eiſdem Legatis direxit. Cum quo etiam Beatum Fauſtum, qui eius poſtmodum hiſtoriam pleniter ſcripſit, & tres alios mittere ſtuduit. Hinc factum eſt, vt per hunc virum Dei ſanctiſſimum Maurum, eiusq; diſcipulos omnis ordo, & regularis diſciplinæ norma, quæ per Beatiſſimum Patrem Benedictum in hoc loco fuerat inſtituta, per totam Galliam diſſeminata, atque diffuſa ſit. Beatum etiam Placidum diſcipulum ſuum vir Domini Benedictus ad Siciliam miſit, vbi Pater eiuſdem Placidi Tertullus patritius, decem, & octo patrimonij ſui Curtes eidem Beato Benedicto conceſſerat. Poſthæc idem ſanctus vir, expleto ſui temporis curſu laudabili, ea die, qua ſacroſancti paſchæ Sabbatum illucescebat, duodecimo videlicet Kalendas Aprilis, in Oratorio ſancti Ioannis Baptiſtæ à diſcipulis ſe ferri præcipiens, inter ipſorum manus, orans, migrauit ad Dominum. Anno eiuſdem Incarnationis quingenteſimo quadrageſimotertio, indictione ſexta. Sepultusq; eſt in eodem Oratorio ante ipſum altare, quod idem (Apollinis ara deſtructa) conſtruxerat:

Supra in vita ſancti Placidi

Obitus S. Benedicti.

Anno 543.

Digitized by Google

struxerat: vbi iam antea Beatam Scholasticam sororem suam posuerat. Claruit autem temporibus Imperatorum Iustini Senioris, & Iustiniani, Romanorum verò Pontificum Ioannis Primi, & Quarti Fœlicis, quem sanctus Papa Gregorius Atauum suum fuisse testatur. Theodorico apud Italiam Ariano regnante.

ADNOTATIO.

BEatus Gregorius libro secundo Dialogorum in principio instituens vitam sancti Benedicti describere, ait. Huius ergo omnia gesta non didici, sed pauca, quæ narro, quatuor discipulis illius referentibus agnoui. Et capite trigesimosexto. Libet (inquit) Petre adhuc de hoc venerabili patre multa narrare, sed quædam eius studiose prætereo. Ex quibus constat Beatum Gregorium, nec omnia gesta sancti Benedicti sciuisse, nec vniuersa, quæ sciuit litteris mandasse. Inter ea vero, quæ vel nescivit, vel non scripsit, vnum est id quod de duobus Angelis, ac tribus coruis eum, dum Cassinum pergeret, comitantibus, hic narrat Leo. Scripsit de his Petrus Damiani. *Petrus Damiani Cardinalis sermone in vigilia sancti Benedicti, vbi de hac eius migratione sic ait. Planè cum vir Dei Benedictus in loco, qui Sublacus dicitur, constructis circumquaque Monasterijs, solitarius degeret, diuinitus est admonitus, vt loco cederet, Castrumq, quod Cassinum dicitur, properaret. Illico vir sanctus iter arripuit, & per quinquaginta fere passuum millia gradiens, locum, quò vocabatur, inuisit. Sed cum per ignota loca viator incederet, vbicumque biuium occurrebat, duo protinus iuuenes videbantur assistere, qui sibi, quò gressus dirigere debebat, indicarent. Qui nimirum iuuenes, qui alij sunt credendi, nisi Angelici spiritus, ad sancti viri custodiam deputati? quid autem mirum, si Angeli sancti veri hominum amatores iter edocebant ne vir sanctus erraret, cum & bruta animalia eius vestigia sequerentur? Nam tres corui per omnem viam indiuidui sibi comites fuerunt, eius assidue vestigia prosequentes: hodieq in silua, quæ venerabili Monasterio Cassini montis adiacet, duo, siue, vt ferunt, tres corui, annua semper reuolutione nidificant, quos*

quos ab illis antiqui temporis coruis nonnulli prodire per traducem feminis, asseuerant. Et reuera quotidie Monasterij foribus aduolant, vt crocitantes, & alas, & rostra pandentes, solitam escam, velut debitum censum, ex vetustæ possessionis iure, deposcant. Et vt clarius innotescat, quam peruigil super Beatum virum diuina gratia coruscauerit: Sanctus quidam vir, in prædicti Cassini montis tunc arce degebat, cui diuina voce præceptum est, vt abscederet, alijq. qui nouus habitator accederet, locum daret. Hæc plane de Marci, eiusdem venerabilis Beati Benedicti discipuli, venusto carmine deflorauimus, quia in veneranda Gregorianæ historiæ serie minimè reperimus. Hactenus ex Petro Damiani.

Paulus Diaconus.

Multo antiquior Petro Paulus Diaconus libro primo Historiæ Longobardorum cap. 26. ad finem sic ait. Libet me breuiter referre, quod B. Gregorius Papa, minimè in huius sanctissimi Patris vita descripsit. Denique cum diuina admonitione à Sublacu in hunc, vbi requieuit locum, per quinquaginta ferme millia aduentaret, tres eum corui, quos alere solitus erat, sunt circumuolantes sequuti; cui ad omne conuiuium, vsque dum huc veniret, duo Angeli in figura Iuuenum apparentes, ostenderunt ei, quam viam arripere deberet. In loco autem isto, quidam Dei seruus tunc habitaculum habebat, ad quem diuinitus ita dictum est. His tu parce locis, alter amicus adest. Huc autem (hoc est in Cassini arcem) perueniens, in magna se semper abstinentia coarctauit; sed præcipue Quadragesimæ tempore incluſus, & remotus à mundi strepitu mansit. Hæc omnia ex Marci Poetæ carmine sumpsi, qui ad eundem Patrem huc veniens, aliquot versus in eius laudem composuit, quos in his libellis, cauens nimiam longitudinem, minimè descripsi. Hactenus Paulus Diaconus.

Sanctus Benedict. Cassini re quiescit.

Aduertendum est, ac diligenter notandum, Paulum hoc in loco expresse asserere, sanctum Patrem Benedictum Cassini requiescere, dum ait: Beatum Benedictum à Sublacu in hunc, vbi requieuit, locum aduenisse. Quod rursum confirmat lib. 6. cap 40. vbi asserit: Petronacem hortatu Gregorij Papæ Cassinum Castrum petijsse, atque ad sacrum corpus B. Patris Benedicti peruenisse; igitur quando cap. 2. eiusdem

lib. 6.

Digitized by Google

lib. 6. loquitur de translatione sancti Patris Benedicti in Gallias, intelligendus est loqui secundum aliorum opinionem, iuxta interpretationem à nobis datam in libello de translatione sancti Patris Benedicti cap. 12. quam etiam insinuat Leo noster lib. 2. huius Chronici cap. 44.

Marcus autem iste, cuius meminit hic Paulus Diaconus, & supra Petrus Damiani, fuit discipulus sancti Patris Benedicti, de quo agit Petrus Diaconus Casin in libro de viris illustribus eiusdem Cœnobij cap. 3. in hæc verba. Marcus Patris Benedicti discipulus, & Casinensis Monachus, vir egregius, & in scripturis apprime eruditus, de aduentu sancti Benedicti ad Casinum, de situ loci, constructioneq. Cœnobij, elegantissimos versus composuit.

Tempus huius transmigrationis fuit annus Domini quingentesimus vigesimusnonus, de quo Cardinalis Baronius tomo septimo pag. 147. sic ait. Hoc ipso anno magnus ille Benedictus ex angustijs Sublacensium montium diuino monitu egressus, Casinum petens, ad cuius montis radices erat sita villa Marci Varronis, illic erecto Monasterio. Monasticum Ordinem mirifice propagauit. Agit de his sanctus Gregorius in Dialogis, vbi & res ibi ab eo præclare gestas enarrat. Quod vero ad tempus spectat, id firmatum habemus ex Casinensi Chronico, & Leone Ostiensi Episcopo, atque ex actis sancti Placidi, Gordiani nomine conscriptis, dum anni quinque traduntur intercessisse ab aductu Placidi in Sublacense Monasterium ad sanctum Benedictum vsque ad eius migrationem factam Casinum; sed & id expressius confirmat Auctor in actis Placidi, dum hoc ipso anno Domini quingentesimo vigesimonono, contigisse tradit.

De propagatione Ordinis Sancti Benedicti.

At quis Dei consilium non magnopere admiretur, dum considerat eodem ferme tempore, quo in Oriente Monachismus esset magna ex parte collapsus, compluribus ex ijs à fide catholica ad diuersos hæresum errores deficientibus; alijs quoque ab illo vetere instituto rigido in delicias perlabentibus; Eodem (inquam) tempore in Occidenti instaurari, atque longe, lateq. diffundi obseruantiam monasticæ disciplinæ, eandemq. adeo fœcundo germine propagari, cum veluti ex tenui surculo præ grandium exortæ sint frugiferarum arborum

Digitized by Google

borum silua, quæ vniuersam repleuerint Occidentalem Ecclesiam; extiteritq. locuples seminarium, ex quo plurimi progressi sint sanctissimi diuersarum Ecclesiarum Episcopi, nec defuerint ex ijs, qui in Throno Apostolico considentes, vniuersam catholicam Ecclesiam, cum vehementiores vrgerent fluctus, constantissime gubernarint; progressiq. ex eodem Monachorum ordine sint, qui Apostolico munere complures barbaras nationes, Christi iugum ferre impatientes, tandem ad christianam fidem sponte capessendam conuerterint; prodierintq. alij, qui ob susceptam grandia pro Religione certamina, sint victores consequuti coronam martyrij. Præterimus modo illos, qui sacrarum rerum scientia nobiles inter Scriptores Ecclesiasticos floruere; nec numeramus, quæ numerari vix possint, sacrarum examina virginum; sicut nec facile sit recensere, quot ex hoc vno vere dicendo sui humilitate fonticulo immensa flumina sint deriuata; quot, inquam, ex Benedicto diuersorum Ordinum sint progressa agmina Monachorum, qui licet diuerso nomine, in Ecclesia Dei circumamicta varietate, censeantur; instituti tamen esse sancti Benedicti, & ab ipso progredi gloriantur. Hæc tanta hic vno intuitu, tamquam immensum cœlum in paruo globo descriptum, inspicienda proponimus; vt hinc facile intelligat Lector, quam vberes fruges sanctissimus Monachorum Patriarcha Benedictus in horrea dominica intulerit. Hinc Romanum Martyrologium die vigesimaprima Martij sic de hoc sanctissimo Patre pronunciat. In monte Cassino natalis sancti Benedicti Abbatis, qui Monachorum disciplinam in Occidente pene collapsam restituit, ac mirifice propagauit.

Petrus Damiani, *Et Petrus Damiani in sermone de sancto Benedicto: Hoc solum (inquit) dixisse sufficiat, quia solus iste militarem manum excelso Principi cæteris abbundantius præsentabit, & Monachorum turmis, Angelorum more viuentibus, Cælorum adimplebit palatia. Quam igitur refulgens, & splendidus miles astabit Imperatorio Tribunali, plenus infinitis virtutibus, agminibus innumeris comitatus, consiliarius Regis, Iudicis amicus, vnicus hostis, hostis antiquis sic Petrus.*

Greg. lib. 2. Dialog. cap. 3. *Vt autem Lector, aliquid peculiare de mirifica propagatione disciplinę monasticę sub Beato Benedicto percipiat, proponimus*

Digitized by Google

ponimus illi primum duodecim Monasteria, quæ apud montes Simbruinos construxit; deinde plura alia, quæ postquam Casinum aduenit, diuersis in locis erexit. Romam Valentiniani, qui multis annis vt D. Gregorius testatur, Monasterio Lateranensi præfuit, destinauit. vide Tritheu. lib. 3. de viris illustribus ordinis sancti Benedicti cap. 9. Sanctum Placidum in Siciliam, Beatum verò Maurum in Gallias, alios vero in Hispaniam, vt eas Prouincias nouo militum Christi genere illustrarent, transmisit. De quibus egimus in vita sancti Patris Benedicti in Adnotatione ad caput trigesimum sextum.

CAPVT II.

HVIC sanctissimo Patri successit in Monasterij regimine vir Reuerendissimus Constantinus eiusdem sancti Patris discipulus. Tertius autem à Beato Benedicto præfuit eidem Congregationi Simplicius. Quartus Vitalis. Quintus verò Bonitus. Quo præsidente, Langobardi, (qui nuper sub Iustino minore Italiam inuaserant, cum iam ab Incarnatione Domini quingentorum sexaginta, & octo annorum circulus volueretur) præfatum Cœnobium nocturno tempore, quiescentibus Fratribus, ingressi sunt. Qui vniuersa diripientes, ne vnum quidem illic hominem capere potuerunt, videlicet, vt sermo sancti Patris Benedicti compleretur, quem Theoprobo dixerat. Vix obtinere potui, vt mihi ex hoc loco animæ concederentur. Fugientes itaq. ex eodem Cœnobio Fratres, Romam profecti sunt, codicem sanctæ Regulæ, quam Beatus Benedictus descripserat, & quædam alia scripta, necnon & pondus panis, vinique; mẽsuram, & quidquid suppellectilis potuerunt surripere, deferentes. Atque ex concessione Romani Pontificis Pelagij, qui tunc sedi Apostolicæ præerat, iuxta Lateranense Patriarchium Monasterium construxerunt; ibique; per centũ quadragintavnum annos (quibus Cassinense Monasterium destructum permansit) habitauerunt.

Langobardi, quo tẽpore Italiam inuaserint.

Monasterij Cassin. desolatio.

Monasterium Cassin. quãto tpe desolatum permansit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT III.

Reditus Fausti ex Gallijs.



ERTIO interea Bonifacio sedem Apostolicam gubernante, supradictus Faustus, (qui ad Gallias cum Beato Mauro perrexerat) ad prædictum Lateranense Cœnobium reuersus est. Atque à Beato Theodoro, qui tunc post sanctæ memoriæ Valentinianum tertius eandem Congregationem regebat, compulsus, atque rogatus, Historiam de vita Beati Mauri veracissimam composuit; quam prædictus Papa Bonifacius approbans, laude dignam duxit, suaq; auctoritate roborauit.

ADDITIO.

Scripsimus in vita sancti Placidi, qualiter beatus pater Benedictus, habita notitia de illius glorioso transitu, nouam Monachorum turmam in Siciliam ad restaurandum beati martyris Placidi Monasterium, monasticumq. ordinem propagandum, transmiserit, quæ quidem fuit secunda missio Monachorum ab ipso beato Patre in Siciliam directa Anno Domini quingentesimo quadragesimosecundo, cum prima fuerit illa, qua ab eodem beato patre sanctus Placidus, & soci in eandem Insulam missi sunt. Perseueraverunt autem Monachi sancti patris Benedicti in Sicilia post istam secundam missionem annis fere centum viginti, videlicet vsque ad tempora Vitaliani Papæ. Qualiter autem, & ipsi per martyrium ad Dominum migrauerint, scribit Petrus Diaconus Cassinensis in appendice ad acta sancti Placidi martyris in hunc, qui sequitur modum.

Tempore illo, quo Constans Imperator voluit nouæ Romæ Imperium in seniorem Romam transferre, ab Vrbe Roma Siciliam veniens remoratus est ibi per annos sex. Cum autem balneum Daphnia, quod apud Syracusas est, causa lauandi ingressus fuisset, cæpissetq. sapone gallico deliniri, Andreas filius Troyli sumens situlam, dedit eam in vertice Imperatoris, fugaq. lapsus euasit. Ast Imperator cum tardaret in balneo

Digitized by Google

nec, insiliunt hi, qui foris erant, inuenientesq. Imperatorem occisum, sepulturæ tradere studuerunt, & in loco eius Mesentium quendam absque voluntate Romanorum elegerunt. Contra quem Constantinus Imperator iam dicti Constantis filius, cum Romanorum exercitu veniens, in Ciuitate Syracusana eum morti addixit.

Hæc dum ad notitiam Sarracenorum (qui iam Aegyptum peruaserant) deuenissent: subito cum multitudine nauium venientes, Siciliam inuadunt, Syracusas ingrediuntur, multamq. stragem christianorum facientes, ad Beati Placidi Monasterium tandem deuenerunt, illudq. prædonum more, diruptis manibus, ad solum vsque prostrauerunt, sola tantum eiusdem Monasterij Ecclesiam relinquentes. Monachos verò quotquot ibidem inuenerunt, diuersis supplicijs affectos, letho tradiderunt, vix paucis christianorum euadentibus, qui per munitissima castra, & iuga montium confugerunt. Auferentes quoque prædam nimiam, & omnem illum ornatum, quem Constans Augustus ab Vrbe Roma abstulerat in ære, & diuersis speciebus, Alexandriam redierunt. Sicilia à Sarracenis inuaditur.

Itaque dum Cassinensi Congregationi, tunc Laterani degenti relatum fuisset, qualiter Sarraceni iam dicti martyris Placidi Monasterium ruina, & Monachos morti dedissent, Vitaliani Papa adminiculo fulti, cum ingenti apparatu mittentes Siciliam, idem Monasterium restaurauere. Hactenus Petrus Diaconus.

Hæc fuit tertia missio Monachorum Cassinensium in Siciliam. Quem autem finem sortita fuerit tertia hæc Monachorum classis, infra hoc eodem primo libro post caput quinquagesimumprimum ex eodem Petro referemus. Nec miretur Lector si apud Leonem nostrum, nec verbum vllum de his missionibus legat, cum nec de alijs ad Monachos Cassinenses pertinentibus, toto tempore, quo Monasterium Cassinense iacuit desolatum, & eius Congregatio Romæ degit, aliquid omnino scripserit. Et quamuis ista de Monachorum Cassinensium nece in alijs chronologijs notata non sint, satis est ad earum fidem, quod habeantur in Historia Cassinensium, tunc Romæ degentium; quos carissimorum Fratrum certa-

certamen, & triumphus latere non potuit, & quorum intererāt, vt hæc memoriæ commendarentur; ne tantæ virtutis ſpecimen excideret, & vt domeſtica fortitudinis exempla ſuppeterent, & ne immortalia, & glorioſa ſuorum acta in honorem, ac decorem totius ordinis redundantia, ſcriptorum defectu interirent. Conſulendus Abaas Maurolicus Sicanicæ hiſtoriæ lib. 3. fol. 86.

CAPVT IV.

CVM autem omnipotens Deus præfatum beati Benedicti Cœnobium iam decreuiſſet miſeratione illa ſua omnipotentiſſima reſtaurare, & cœnobialem inſtitutionem, quæ inde principium ſumpſerat, ex eiuſdem Patris loco, per orbis circulum propagare, contigit (diſponente Deo) vt Petronax ciuis Brixianæ Vrbis, vir valde religioſus, diuino afflatus amore, Romam veniſſet: quem Reuerendiſsimus Tertius Papa Gregorius cœlitus inſpiratus admonuit, vt hoc Caſsinum Caſtrum peteret, atque Monaſterium beati Benedicti, quod iam per tot annos deſtructum manſerat, ſuo ſtudio reconciliare ſatageret. Quo annuente, mox idem venerabilis Pontifex cum illo aliquantos de Lateranenſi Congregatione Fratres direxit, & alia quoque illi nonnulla adiutoria contulit. Is ergo huc ad ſacrum beati Benedicti corpus perueniens, tam cum illis, qui ſecum venerant, quam etiam cum aliquot ſimplicibus viris, quos inibi iam dudum reſe-
Anno 731 diſſe reperit, habitare cœpit. Anno Domini ſeptingenteſimo trigeſimoprimo, atque ab eiſdem Fratribus in Abbatem prælatus, cooperante Deo, & beati Benedicti ſuffragantibus meritis, conſtructis decenter habitaculis, ac multorum ibi Fratrum congregatione ſtatuta, ſub regulæ ſanctæ doctrina viuere ſtuduit. Quem videlicet tres quidam nobiles viri Beneuentani Paldo, & Taſo, atque Tato germani fratres, qui ante quindecim circiter annos Monaſterium ſancti martyris Chriſti Vincentij iuxta ortum Vulturni fluminis, de proprijs ſumptibus conſtruere ceperant;

cum

Digitized by Google

cum essent potentes, ac diuites, in ipso opere, tam per semetipsos, quàm per suos, vsque ad restaurationem loci huius plurimum adiuuerunt. Hic in Ecclesia beati Martini, quam paruulam reperit, sexdecim ferme cubitos auxit: ibidemq; absidam efficiens in honore Beatæ Mariæ semper Virginis, & sanctorum martyrum Faustini, & Iouitæ in ea altarium statuit, in quo etiam & brachium vnius illorum, quod secum de Brixia asportauerat, decenter recondidit. In sequenti tempore sanctissimus Papa Zacharias, qui Gregorio successerat, plurima huic adiutoria contulit, libros scilicet aliquot sanctæ scripturæ, necnon codicem sanctæ regulæ, quam Pater Benedictus manu propria scripserat, pondus etiam libræ panis, & mensuram vini, quæ olim inde (sicut supra diximus) sub Langobardorum inuasione, Monachi fugientes secum Romam detulerunt. Diuersa etiam ad Ecclesiasticum ministerium ornamenta, nonnulla quoque ad diuersas vtilitates Monasterij pertinentia, illi Apostolica liberalitate largitus est. Ab hoc etiam sanctissimo Papa prædictus Abbas priuilegium primus accepit, vt hoc Monasterium cum omnibus cellis sibi pertinentibus, vbicunque terrarum constructis, ob honorem, ac reuerentiam sanctissimi Patris Benedicti, ab omnium Episcoporum ditione sit liberum, ita vt nullius iuri subiaceat, nisi solius Romani Pontificis.

Zacharias Papa Monasterium Cassin. ornat.

Zachariæ priuilegium.

ADNOTATIO.

EVersionem sacri Cœnobij Cassinensis à Langobardis factam contigisse Pelagio secundo Romano Pontifice, non solum Leo supra cap. 2. verùm etiam Zacharias primus in quodam diplomate (de quo latius egimus in libello nostro de existentia corporis sancti Benedicti apud Cassinum cap. 3. & sequent.) asserit. De anno vero prædictæ euersionis probabilior est opinio Leonis nostri asserentis contigisse, anno quingentesimo octogesimonono, qui fuit vltimus eiusdem Pelagij. Cum enim hoc capite dicat: Petronacem restaurare cepisse Monasterium Cassinense anno septingentesimo trigesimoprimo, & capite secundo dicat destructum permansisse,

Anno 589 contigit euersio Cassinensis Cœnobij.

Digitized by Google

per annos centum quadraginta vnum, constat iuxta hunc computum incidisse cladem illam in annum quingentesimum octogesimumnonum: huius sententiæ fuit etiam Carolus Sigonius lib. 1. de Regno Italiæ, esq. communior scriptorum opinio, cui consonant verba beati Gregorij lib. 2. Dialog. cap. 17. vbi asserit recentem illam fuisse euersionem, quando eosdem libros scripsit, ait enim. Nocturno tempore, & quiescentibus Fratribus nuper illic Langobardi ingressi sunt. Scripsisse autem Gregorium Dialogorum libros quarto sui Pontificatus anno apertè colligitur ex cap. 36. 47. & 55. libri 4. in quibus agens de peste illa, quæ Romam eo anno, quo ipse Pontifex creatus est, inuaserat, ante triennium fuisse asserit. Vnde & Paulus Diaconus lib. 4. cap. 18. ob vicinitatem temporum, hanc euersionem sub Gregorio ponit, sed credendum est eum non seruasse ordinem temporum, sicut nec in alijs multis. Quod autem idem Paulus lib. 6. cap. 40. ait, desolationem prædicti Cœnobij perdurasse annis ferè centum, & decem, omninò corrigendum est, nam ab vltimo Pelagij II. anno vsque ad Pontificatum Gregorij Tertij (à quo procul dubio Petronax ad restaurandum Cassinense cœnobium directus fuit) fluxere anni centum quadraginta vnus. Immò si velimus interpretari Paulum loqui de Gregorio secundo, non poterit stare numerus ille annorum centum, & decem, cum ab vltimo Pelagij anno, vsque ad Gregorij secundi pontificatum, interceserint ad minus anni centum vigintiquatuor. Quod autem Petronax ad restaurandum hoc Cœnobium fuerit à Gregorio Tertio missus, præter Leonem Ostiensem hoc capite id asserentem, habemus irrefragabile testimonium Zachariæ Papæ primi, præfati Gregorij Tertij immediati successoris. Is enim in diplomate à nobis supra citato, sic ait: Sed cum iam omnipotens Deus censuisset Cassinense Cœnobium restaurare, ac cœnobialem institutionem, quæ inde principium sumpserat, ex eodem loco propagare, a Reuerentissimo Gregorio tertio prædecessore nostro, Petronax filius noster, est ad restaurandum directus.

S. Gregorius.

Paulus Diaconus

Zachariæ diploma.

Quæ vero hic dicuntur de Monasterij Cassinensis euersione, quòd scilicet inciderit in annum Domini quingentesimum octogesimum nonum, facilè probari possunt, ex his, quæ

Digitized by Google

de Regno Langobardorum traduntur à Baron. tom. 7. Anno 585. & à Sigonio lib. 1. de Regno Italiæ. Antharit fuit creatus Rex à Langobardis Anno Domini quingentesimo octogesimoquinto. Qui postea Beneuentum cum tota Samnij prouincia, debellauit, atque in suam redegit potestatem. Deinde Rbegium vsque, Calabriæ Vrbem maritimam, vniuersa quaq. obuia vastando, ac depopulando, peruenit. Tandem reuersus Beneuentum, caput totius prouinciæ esse decreuit, ac Ducatus titulo decorauit: primumq. illius Ducem Zotonem constituit: quo Duce Cassinense Monasterium destructum est, vt asserunt communiter omnes. Ex his facilè colligitur Monasterium Cassinense vastatum fuisse à Langobardis Anno 589. vt affirmat Leo. Zoto namq. sub quo illud destructum est, constitutus fuit Dux Beneuentanus ab Antharit post debellatas præfatas prouincias: quod facere non potuit, nisi ducibus, aut tribus annis postquam ad Regnum assumptus est: Zoto etiam post aliquod temporis interuallum à sui constitutione in Beneuentanum Ducem, ad diripiendum, & deuastandum Cassinense cœnobium se accinxit.

Nemo vero arbitretur locum Cassinensis cœnobij tanto tempore perseuerasse absque hominum habitatione, sed solum absque Monasterio, ad monachorum regnlarem vitam transigendam, constituto: cum alioquin nunquam illic defuerint habitatores, qui ad venerandum corpus sancti patris Benedicti excubias agerent. Nam ante constructum à Petronace Monasterium, habitatores ipsum ibi inuenisse, qui eum in suum Seniorem, seu Abbatem elegerunt, Paulus Diaconus lib. 6. cap. 40. testatur, & Leo noster hic. Vnde Cardinalis Baronius tom. 9. Annal. anno septingentesimo decimosexto, ita scribit. Sic igitur illud exploratissimum est, à tempore euersionis Casinatis Monasterij à sancto Benedicto constructi, vsque ad erectum à Petronace Monasterium, locum illum destitutum fuisse, sicut Monasterij habitatione, ita & monastica regulari institutione, cum tamen nunquam defuerint, qui illic habitauerint serui Dei, excubantes ad sepulchrum sancti Benedicti. Baronius pag 7.

Mirum dictu quanta mox ex noua plantatione Petronacis fuerint propagata eo in loco germina Monachorum, & Monastici Ordinis ppagatio

Digitized by Google

auctu ipsorum examina, instar apum, quæ exturgescentibus aluearijs prodeuntes, in diuersa loca ad fœtus multiplicationem volauerint. Sed & illud securè absque trepidatione mendacij asseri iure potest, nullum vnquam toto christiano orbe extitisse aliquando Monasterium, ex quo tot viri sanctitate conspicui, atque doctrina, tanta numerositate ad regimen sanctæ Apostolicæ sedis adsciti fuerint, vt planè dici possit, fuisse idem aliquando Seminarium sacrorum Antistitum, prout quæ suo tempore dicturi sumus manifestè docebunt: hæc Baronius.

Monasterij Cassinensis laus.

Obseruandum præterea non omnes Monachos tempore euersionis à Langobardis factæ Cassini commorantes, Romam cum Abbate fuisse profectos, sed quosdam timore perterritos, fugam arripuisse, atque diuersis in locis, sedes sibi ad Deo seruiendum quæsiuisse. Fuit ex eorum numero insignis ille Dei famulus Antoninus, de quo in martyrologio Romano ad diem 14. Februarij hæc habentur. Apud Surrentum sancti Antonini Abbatis, qui è Monasterio Cassinensi à Langobardis deuastato, in solitudinem eiusdem Vrbis secedens, ibidem sanctitate celebris obdormiuit in Domino, cuius corpus multis quotidie miraculis, & præsertim in liberandis energumenis, effulget. Baronius quoque in notis sic: ait. Plura de ipso in monumentis Ecclesiæ Surrentinæ, quibus tam eius res gestæ, quàm miracula post obitum facta, intexuntur. Edidit eadem Paulus Regius. Migrauit ex hac vita (vt ferunt) anno Domini sexcentesimo vigesimo quinto, Honorio Romano Pontifice. Quæ autem nostra ætate ad sepulchrum eius admiranda fiunt, eademq; crebrius iterantur, percepi non à quibuslibet narrata, sed à sincerissimis, prudentissimisq. Sacerdotibus, qui interfuerunt. Hæc Baronius.

S. Antoninus Surrentinus. Martyrol. Roman. Cardinalis Baron.

Volui autem huius sanctissimi viri hic mentionem facere, quia in toto Chronico nullus se se offerebat opportunior locus, & indignum videbatur tantum virum silentio præterire.

C A-

Digitized by Google

CAPVT V.

GISVLFVS praeterea iunior, nepos Luitprandi Regis Langobardorum, qui post Godescalcum Beneuentanorum Dux extitit: cum per eos dies in hanc Arcem Cassini, (quæ tunc Mello vocabatur) ascendisset, atque iuxta corpus sanctissimi Patris Benedicti tam religiose prædictos Fratres in Dei seruitio viuere reperisset, diuino tactus instinctu, cuncta in circuitu tam campestria, quàm montana eidem Patri Benedicto contulit in scriptis, firmisq; donarijs in perpetuum eadem posteris habenda concessit. Per has videlicet terminationes, & fines. Quemadmodum incipit ab ipso fluuio, qui dicitur Carnellus, & ascendit per aquam, quæ vocatur Bantra vsque in Riuum siccum, & sicut ascendit per ipsum Riuum vsque in furcam sancti Martini. Et inde ascendit per serras, & vadit in montem, qui dicitur Cisinus. Et sicut inde pergit in Peselum nomine Coruarum. Et qualiter vadit per ipsas serras ad Furcam, quæ dicitur Popplu. Et inde pergit ad Lacum, qui vocatur Vitecusus. Et inde vadit ad Aquam fundatam, & ascendit in montem, qui dicitur de Sile; & vadit exinde in caput aquæ de rapido. Et inde ascendit in montem, qui dicitur Caballus; & pergit in montem, qui vocatur Rendenaria maior. Et inde per serras montium venit ad Rendenariam minorem. Et qualiter inde directè vadit per pedes montium, qui vocantur Freselona; & pergit in aquam de Mellarino. Et descendit per eandem aquam cum vtrisque ripis, & vadit in parietibus de Balnearia. Et inde vadit per locum, qui dicitur Anglone, & ascendit ad Furcam, quæ dicitur de Valle lucis. Et quomodo vadit per ipsas serras montium, & descendit ad Petram scriptam. Et exinde ascendit ad serras montis, qui dicitur Orticosa. Et quomodo vadit per serras montium, & peruenit ad Peselora, quæ vocatur Falconari. Et qualiter vadit per duos montes, quorum vnus vocatur Spinarius, alter autem Porcacius. Et qualiter inde vadit ad Cristas montis, qui vocatur Caria. Et ascendens venit ad pe-

Digitized by Google

tras ſuper aquam vocabulo Viuolam. Et inde aſcendit ad collem, qui vocatur Gimberuti. Et deſcendit in quercitulum; & inde in Foſſatum iuxta ſanctum Damaſum, quem videlicet ſanctum Amaſum vulgus appellat. Et exinde directè pergit in ſilicem, in loco vbi dicitur arcus Gezzuli. Et qualiter vadit ad lacum, qui vocatur Radeprandi. Et quemadmodum inde pergit in Farnietum, & inde in Riuum qui dicitur Marocze. Et qualiter deſcendit in ipſum fluuium Carnellum, & per eũdem fluuium aſcendit in aquam, quæ nominatur Coſa. Et ſicut aſcendit per ſerras montis ſancti Donati. Et quomodo deſcendit ſuper morticellos de Marti, & vadit ad ipſos Peſclos, qui ſunt in pede montis, qui dicitur Balua. Et qualiter directè vadit per duos Leones; & inde pergens aſcendit per ipſas ſerras montis ſuper Caſale. Et ſicut deſcendit per ipſum montem vſque ad villam de Gariliano, inde ad peſclum, qui nominatur Cripta Imperatoris. Indeq; pergit vſque ad iam dictum flumen Garilianum. Atque per ipſum flumen aſcendit vſque ad priores fines, vna cum omnibus Caſtellis, Vicis, Domibus, Eccleſijs, Molendinis, & aquis. Cæterisq; omnibus, quæ intra prædictos fines tunc temporis habebantur. Vxor etiam eiuſdem Ducis Scauniperga nomine, templum Idolorum, quod antiquitus in Caſſino Caſtro conſtructum fuerat, in Beati Petri Apoſtoli honorem conuertens: Iconas ibi, & cætera Eccleſiæ officijs congrua miniſteria in poſterorum memoriam deuotiſſima contulit.

De his duob. leonibus infra lib. 3. cap. 12.

ADNOTATIO.

DOcet hic Leo quiſnam fuit, qui Monaſterio Caſinenſi bona ſtabilia, quæ circumquaque poſsidet, contulit, & conceſsit, aſſeritq. fuiſſe Giſulfum iuniorem Beneuentanum Ducem, Luitprandiq. Langobardorum Regis nepotem. Idipſum aſſerit Zacharias Papa primus in ſupe nominato priuilegio eidem Monaſterio conceſſo: vbi confirmans diuerſas bonorum oblationes á Chriſtifidelibus prædicto cœnobio factas, ſic ait. Concedimus etiam vobis, atque in perpetuum confirmamus, & corroboramus cuncta in circuitu, tam

Zachariæ diploma.

Digitized by Google

tam campestria, quàm montana, quæ dilectissimus filius noster Gisulfus Beneuentanorum Dux in perpetuum eidem Monasterio concessit, per has videlicet terminationes, & fines. Deinde sequitur in bulla descriptio rerum à Gisulfo oblatarum, eodem ferè modo, quo hic à Leone descripta est, vt exinde appareat manifestè, Leonem vniuersa, quæ hoc capite scripsit, ex illo Zachariæ diplomate huc transcripsisse. Considerandæ vero est diuina prouidentia erga seruos suos: statim enim vt Monasterium Casinense à Petronace restauratum est, & in eo Monachi, qui secundum regulam sancti Benedicti altissimo Deo famulatum perpetuò impenderent, congregati: corda fidelium, & præcipuè Gisulfi principis, mouit, & induxit ad offerenda largiter eidem Monasterio bona temporalia, vt religiosi ipsius cultui mancipati, alimenta, & quibus tegerentur haberent. Nec enim deficere potest diuina illa promissio Matthæi 6. Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Considerandæ etiam est diuina prouidentia in eo, quod ab his, qui olim Casinense Monasterium spoliauerunt, modo ditatur, ac veluti de nouo vestitur. Zoto namq. qui Monasterium Casinense destruxit, Dux Beneuentanus fuit; Gisulfus etiam, qui illud multis donis locupletauit, similiter Beneuentanorum princeps extitit. Et in sequentibus multa leguntur in hoc libro concessa præfato cœnobio à principibus, & ciuibus Beneuentanis. Matth. 6.

CAPVT VI.

IVVS Ducis temporibus quidam Sculdais Beneuentanus Saracenus nomine, in loco, qui Cingla vocatur, territorio Aliphano, Ecclesiam in honore sancti Cassiani à fundamentis construxit: eamq; ex permissione præfati Ducis, cum omnibus, quę ibi adquirere potuit, simul etiam cum omni ex integro substantia, & hæreditate sua, præter seruos, & ancillas, quos omnes libertate donauit, quoniam filium non habebat, in Monasterio beati Benedicti obtulit. Qui locus cum oculis Oblatio Sculdais Beneuentani.

Digitized by Google

venerabilis Petronacis valde vtilis visus fuisset, cum consensu, & maximo adiutorio eiusdem glorioſi Ducis Giſulfi, & Scaunipergæ vxoris eius; conſtruxit ibidem Monaſterium puellarum Dei, ad honorem Beatæ Dei Genitricis, & ſemper Virginis Mariæ. Conceſſa inſuper ibi à prædicto Duce Eccleſia ſanctæ Crucis cum omnibus territorijs, & pertinentijs eius, quam Giſelpertus noſter Præpoſitus à quodam Abbate, Deuſdedit nomine, cum conſilio, & adiutorio eiuſdem Ducis emerat. Necnon & alijs Eccleſijs, & Curtibus non paucis in circuitu, iuxta quod munimina eiuſdem cœnobij continent. Quod videlicet ſanctæ Dei Genitricis Monaſterium annuente præfato Abbate, idem Dux Giſulfus tunc confirmauit tribus ancillis Dei, ideſt Gauſani Abbatiſſæ, Pancritudæ, & Garipergæ: quæ poſtpoſitis parentibus, & vniuerſis opibus ſuis, peregrinari pro Deo in partibus iſtis elegerant. Eo vtique tenore, vt quamdiu quælibet earum aduiueret, loci ipſius regimen ſine alicuius contradictione teneret. Poſt illarum verò exceſſum, & poteſtas, & ordinatio eiuſdem loci ad Monaſterij noſtri ditionem rediret. Eodem tempore ſupradictus Dux de territorio Gentianæ conceſsionem beato Benedicto ſatis liberaliter fecit. Iſte Giſulfus cępit ædificare Eccleſiam ſanctæ Sophiæ in Beneuento, quam, cum morte præuentus, explere non poſſet: Arichis, qui ei ſucceſsit, mirificè illam perfecit. Ibiq; ſanctimonialium cœnobium ſtatuens, Monaſterio ſancti Benedicti hic in Caſsino conceſsit, ſicut in ſequentibus oſtendemus.

Monaſterium ſanctæ Mariæ in Cingla.

Alia Giſulfi oblatio.

CAPVT VII.

PER idem tempus Carolus Mannus filius Caroli Regis Francorum, amore cœleſtis regni, regnum terrenum relinquens, Romam ad Beatum Petrum Apoſtolum deuotus aduenit; ſe ſeq; eidem Apoſtolo tradidit. Quem præfatus Papa Zacharias clericum faciens; poſt aliquot dies huc eum ad beati Benedicti Monaſterium, Domino cum cæteris, ſub regulari magiſterio

Carolus Mannus fit Monach.

Digitized by Google

rio structurum, transmisit. Vbi sub regimine prædicti Abbatis cum omni humilitate,& deuotione Domino seruiens, per aliquot degit annos. Non autem videtur otiosum, si quantæ humilitatis in Monasterio, quantæq; obedientiæ idem Rex fuit; litteris ad posterorum exemplum mandemus. Denique præfatus Abbas cernens eiusdem Caroli seruere propositum, volensq; iuxta tenorem Regulæ, ipsius perseuerantiam, sufferentiamq; cognoscere, sicut scriptum est: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt, tentauit, illi curam paucorum ouium, quas habebat, iniungere, vt quotidie scilicet ad pastum illas educeret, pascentes custodiret, pastasq; reduceret. Quam ille obedientiam, ac si ex ore Domini, feruenter amplexus, fatagebat quotidie, quæ sibi fuerant imperata, perficere. Post paucos dies, cum longiusculè pascendas oues duxisset, subito quidam latrunculi irruentes, conabantur de ouibus illi commissis violenter abripere. Quibus Carolus constanter obuius factus, de ouibus, inquit, auferendis, quæ meæ curæ commissæ sunt, nullo pacto pro meo posse assentior; de me verò quod Dominus vobis permiserit facere, non contendo. Illi autem peruersæ mentis homines funditus eum expoliantes, cæperunt abire. Tunc Carolus pudorem pudendorum membrorum non sufferens, fæmoralia tantum sua violenter ab eis eripuit. Cætera nolens contendere, patienter illos auferre permisit. Cumq; seminudus ad Monasterium reuersus fuisset, interrogatus ab Abbate, vel Fratribus, rem gestam ordine pandit. Abbas verò, vt cognosceret si patientiam, quam deforis ostendebat, gereret intus, cæpit eum vehementer increpare, eiq; tam segnitiem, quàm simulationem exprobrando obijcere. Cum ille nihil aliud ad omnia illa, nisi solummodo, se peccasse protestaretur. Iubetur ergo vestiri, & ad commissam obedientiam de consuetudine egredi. Reuertente igitur eo quadam die cum præfatis ouiculis, cæpit vna earum egerrima claudicare. Videns ergo se propterea non posse ad constitutam horam occurrere, eandem claudicantem ouiculam humeris suis imposuit, sicq; cum omnibus ad Monasterium redijt. Sed inter redeundum, ouiculæ illius quam gestabat in

1. Ioan. 4.

humeris

humeris profundi eum lotio contigit. Quod ille quondam prapotens, ille regali dignitate conspicuus, tanta cordis patientia pertulit, tanta animi virtute tolerauit, vt nec ouiculam ob hoc deposuerit, nec alicui, vel modicæ quidem murmurationis verbum inde protulerit. Hoc cum Abbati ab his, qui cognouerant, relatum fuisset, admiratus nimiũ tantam tanti viri humilitatem, ac tolerantiam, & verè Dei spiritum in illo esse perpendens, præcepit, vt de cætero ab obedientia illa quiesceret, & ibi iuxta, hortulum, prout sciret, excoleret. Postmodum verò ab Aistulfo Langobardorũ Rege pro quibusdam Regni sui vtilitatibus ad fratrem suum Pipinum Regem in Franciam ire rogatus, eũ nullo modo Regi vellet acquiescere, tandem annuente Abbate, profectus est. Ibidemq; negotio pro quo abierat impediente, aliquandiù retardatus, defunctus est. Cuius postmodum corpus idem frater eius Rex Pipinus in locello aureo positum, cum multis alijs muneribus huc ad suum Monasterium retransmisit.

Caroli Manni obitus.

ADDITIO.

DE Carolo Manno isto rebusq. ab eo præclare gestis, postquam in sacro Casinensi cœnobio Monasticum induit habitum, plurima leges apud Baronium tomo nono Annalium, anno septingentesimo quadragesimoseptimo. De legatione verò eiusdem ad Pipinum fratrem suum ad instantiam Aistulfi Langobardorum Regis nefandissimi, & quare ab Abbate suo fuerit ad eam obeundam compulsus, vide eundem Baroninm, vbi supra pag. 211. ad finem.

Baronius pag. 186.

Baronius pag. 211.

CAPVT VIII.

HIS quoque diebus Rachis Rex Langobardorum ad capiendam Perusinam Vrbem cum valido exercitu pergens, eam vndiq; fortiter expugnabat. Ad quem prædictus Papa Zacharias profectus, multis precibus, ac monitis, multisq; illi concessis donarijs, ad sua illum redire coegit. Cuius idem Rex monitionum

Digitized by Google

minorum sollicitè reminiscens, non multo post diuino afflatus instinctu, relinquens Regalem dignitatem, & gloriam, cum iam per annos quinque, & sex menses regnasset, Romam vna cum vxore, & filia ad Beati Petri Apostolorum Principis limina, deuotus aduenit. Ibiq; à præfato Apostolicæ sedis Præside Zacharia Comam attonsus, & clericus factus, Monachico etiam habitu simul cum vxore, & filia est indutus. Moxq; ad Monasterium beati Benedicti, eodem Apostolico transmittente perueniens, & sub regulari magisterio instituendum se tradens, post religiosam satis, ac Deo placitam conuersationem, ibidem vitæ finem sortitus est. Extat in hodiernum diem vinea satis Monasterio vicina, quæ vulgo vinea Rachisi vocatur. Quam eundem Rachis, & plantauisse, & incoluisse nonnulli nostrorum existimant. Vxor verò illius nomine Tasia, & filia Ratruda concedente, & adiuuante præfato Abbate, Monasterium puellarum non longè à Casino in loco, qui Plũbariola vocatur, proprijs sumptibus extruxerunt, multisq; ditatum opibus, ibi sub magna cautela, & districtione regulari vitam agentes, vltimum diem clauserunt. Fuit autem prædictus Abbas sextus à beato Benedicto. Temporibus Imperatorum Leonis, & Constantini, & Luitprandi Regis Langobardorum, Romanorum verò Pontificum, Gregorij, & Zachariæ, & Gregorij Beneuentani Ducis, atque præfati Gisulfi iunioris, qui cum præfuisset huic Monasterio annis viginti duobus, defunctus est pridie nonas Maij, & sepultus in porticu iuxta Ecclesiam sancti Martini.

Rachis Lãgobardorum Rex fit Monachus.

Monasterium Plũbariolæ.

Petronacis obitus anno 753.

Optatus Abbas septimo loco à beato Benedicto ordinatus, sedit annis quatuor. Hic fuit temporibus prædicti Cõstantini Imperatoris, & Leonis filij eius, & præfati Ducis Gisulfi, & Stephani secundi Papæ. Quo videlicet tempore Aistulfus Langobardorum Rex, & Rauennam cepit, & Romam per tres menses obsedit. Qua de causa prędictus Pontifex Franciam ire compulsus est ad excellentissimum Regem Pipinum, à quo cum magna gloria, & honore receptus, eundem Pipinum, & duos filios eius Carolum, & Carolomãnum, vnxit in Reges Francorum. Fecitq; idem gloriosus Rex vna cum prædictis suis promissionem, & concessionem

Stephanus Papa in Galliam proficiscitur.

Beato

Digitized by Google

beato Petro eiusq; Vicario de Ciuitatibus, ac territorijs Italiæ per designatum confinium. Alunis cum Insula Corsica. Inde in Suranum. Inde in montem Bardonem. Inde in Vercetum. Inde in Parmam. Inde in Regium. Inde in Mantuam, & montem Silicis. Simulq; vniuersum exarchatum Rauennæ, sicut antiquitus fuit. Cùm prouincijs Venetiarum, & Istriæ, necnon & cunctum Ducatum Spoletinum, & Beneuentanum. Eamq; donationem propria manu sua, filiorumq; suorum, multorumq; Iudicum, & optimatum suorum corroborauit. Demum idem Rex simul cum præfato Romano Pontifice Italiam veniens, & Rauennam, & viginti alias Ciuitates supradicto Aistulfo abstulit, & sub iure Apostolicæ sedis redegit. Propter quod tunc Romanorum etiam Patritius constitutus est. Præfatus verò Abbas completo sui temporis cursu, defunctus est pridie nonas Iunij, atque iuxta prædecessorem suum, apud Ecclesiam Beati Martini sepultus.

Anno 757

Hermeris Abbas octauus sedit anno vno temporibus supradicti Constantini Imperatoris, & Leonis filij eius, & Stephani Papæ secundi. Obijt autem 15. Kal. Augusti, & sepultus est iuxta Ecclesiam sancti Benedicti.

Anno 758

ADNOTATIO.

Stephanus iste Papa sub quo Optatus, & Hermeris Cassinensi Monasterio præfuisse dicuntur, verè fuit tertius: sed quia Stephanus secundus Zachariæ Papæ primi immediatus successor, tres vel quatuor tantum dies in Pontificatu sedit, hinc factum est, vt à pluribus omittatur, nec in serie Romanorum Pontificum, quamuis verè Pontifex fuerit, reponatur. Cumq. loco ipsius alius eiusdem nominis in Apostolica sede successerit, illo prætermisso, hic qui verè tertius erat, Stephanus secundus à multis dictus est.

Sedit autem hic Stephanus in pontificatu annos quinque; & dies 28. migrauitq. ex hac vita 6. Kal. Maij anno septingentesimo quinquagesimoseptimo. Sub hoc ergo Pontifice Optatus septimus Cassinensis Abbas præfuit annis quatuor, atque sub eodem electus est Hermeris huius Optati successor, qui vno tantum anno præfuit.

Anno 757

CA-

Digitized by Google

CAPVT IX.

CRATIANVS Abbas à beato Benedicto Nonus, sedit annis quatuor mense vno temporibus Imperatorum, quos supra diximus, & prædicti Aistulfi Longobardorum Regis. Arichis quoque Beneuentani Ducis, & Principis. De quo videlicet Arichis Donnus Herchempertus in Historia, quam de Langobardorum gente post Paulum Diaconum composuit, ita refert. Hic Arichis, primus Beneuenti Principem se appellari iussit. Cum vsque ad istum, qui Beneuento præfuerant, Duces appellarentur. Nam & ab Episcopis vngi se fecit, & coronam sibi imposuit, atque in suis chartis, scriptum in sacratissimo nostro palatio, in finem scribi præcepit. Arichis Beneuētanus Princeps.

Hic intra mœnia Beneuenti templum Domino opulentissimum, ac decentissimum condidit, quod Græco vocabulo ΑΓΙΗΑΝ ΣΩΦΗΑΝ, idest sanctam sapientiam nominauit. Ditatumq; ampliſsimis prædijs, & varijs opibus, ac sanctimonialium cœnobium statuens, germanamq; suam ibidem Abbatissam efficiens, cum omnibus omninò pertinentijs, & possessionibus eius, id sub iure beati Benedicti in monte Casino tradidit in perpetuum permansurum. In quo videlicet templo, sanctorum martyrum duodecim Fratrum corpora, diuersis in locis per Apuliam, in quibus, & decollati fuerant quiescentia, honorabiliter allata, ad tutelam, & honorem patriæ, in singulis capsis pariter sub vno altare recondidit. Postmodum verò corpus prætiosi martyris Mercurij, necnon & aliorum tam martyrum, quàm confessorum numero triginta, & vnum, sancta corpora ex diuersis Italiæ partibus per tempora diuersa adeptus: ibidem nihilominus attulit, & per diuersa altaria in circuitu maioris altaris satis reuerenter locauit. Vbi dum maxima deuotione (quoniam vicinum, loco illi, palatium erat) frequentem consuetudinem in oratione pernoctandi haberet, fertur, quadam nocte oranti illi sanctos duodecim Fratres apparuisse, eumq; pariter inclinatis amicabiliter vultibus. Eccleſia S. Sophiæ de Beneuento.

Digitized by Google

tibus ſalutauiſſe. Quos dum toruò nimis aſpectu, exteros quoſlibet eſſe exiſtimans, qui nam illi eſſent, qui nocturno tempore ſanctimonialium clauſtra ſic audacter ingredi præſumpſiſſent, inquireret; illi leniter arridentes: Nos, inquiũt, ſumus O, Princeps, quos tua deuotio per diuerſa loca repertos, ſummo huc ſtudio detulit. Quod nobis quidem, quam bonum, & quam iocundum: tibi autem quam ſit diuina pietate proficuum: vltima dies oſtendet. Et his dictis ſubito Principi viſio, quæ videbatur diſparuit. In quo etiam Monaſterio Eccleſiam ſancti Modeſti, quam nuper intra eandem Ciuitatem quidam Leonianus conſtruxerat, eiq; omnem ſuam ſubſtantiam per chartulam offerens in arbitrio præfati Principis illam reliquerat, ipſe per ſuum præceptum poſtmodum cum omnibus eius pertinentijs obtulit, & confirmauit. Depoſitus eſt autem prædictus Abbas
Anno 762 11. Kalend. Septembris, & ſepultus in porticu Eccleſiæ ſancti Martini.

CAPVT X.

TOMICHIS decimus Abbas, ſedit annis
Anno 769 ſex, menſibns quinque, & diebus vigintiuno obijt octauo Kal. Februarij. Huius temporibus, vir quidam nobilis, atque ditiſsimus Beneuentanæ Ciuitatis, Leo nomine, ſe ipſum & omnia ſua, tam mobilia, quàm immobilia in hoc Monaſterio tradidit. Eiuſdemq; oblationis chartulam propria manu ſcriptam ſuper corpus ſancti Benedicti, in præſentia præfati Abbatis Tomichis, & vniuerſorum Fratrum poſuit. Et ſeruos quidem, & ancillas ſuas omnes, primitus per chartulam libertate donauit. Poſtmodum verò eoſdem omnes, ita vt liberi erant, ſimul cum turtibus proprijs, & cum omnibus pariter, quæ ipſi poſsidere videbantur, ſub prædicti Monaſterij poteſtatem redegit. Conditione videlicet huiuſmodi, vt ſinguli eorum quatuor per menſem operas, vbi neceſſarium eſſet Monaſterio facerent. Res ſuas, ſiue ſubſtantias, nulli omninò, niſi inter ſe vendere, aut donare illis liceret. Res eorum, qui ſine liberis

Digitized by Google

liberis defuncti fuissent in Monasterij dicionem transirent. Pueros tamen, siue puellas eorum alicui ad seruiendum tradere (vtpote liberos) Monachis fas non esset. Curtium autem, & seruorum illius nomina, & numeros, summatim hic, præter cætera annotare curauimus. Curtis Gaydepert Presbyteri. Adelpert cum quatuor filijs, & vxoribus eorum. Bonecausus cum quatuor filijs, & vxoribus eorum, ac filijs. Grimoaldus cum quatuor filijs, & vxoribus, ac filijs eorum. Ciminulus cum vxore, & filijs. Vrsus cum vxore, & filijs. Fuscari cum vxore, & filijs. Curtius Grisi. Landulfus cum Arniperto filio suo, & filiastris duobus. Bonitus cum tribus filijs, & vxoribus eorum. Curtem Cerbuli Presbyteri. Leoaldus cum quatuor filijs, & vxoribus, ac liberis eorum. Agenulfus nepos eius cum filijs suis. Desiderius cum tribus filijs. Bassacius cum tribus filijs, & Genere vno. Curtem Lupi. Sadipertus cum filio, & Genero suo. Sico cum filio suo, & vxore ipsius. Stephanus cum filijs duobus. Formosus cum tribus filijs suis. Curtem Lupi pictari. Maurus cum quatuor filijs. Ioannes cum tribus filijs suis. Curtem Dulciperti. Bonerisius cum filio suo, & vxore eius, ac filijs. Tres filij Ragenolfi cum vxoribus, ac filijs eorum. Curtem Erfemari. Bonus. Adelchis. Maio. Bonulus. Ioannes. Vrsus. omnes isti cum vxoribus, ac filijs eorum. Rozzius cum quatuor filijs suis, ideſt Leone, Stephano, Sellittulo, ac Ciminulo, cum vxoribus, & filijs suis. Adelgarius cum filio vno, & Generis duobus. Præter hæc autem, vnum Casale suum, qui dicitur Pantanum, prope Beneuentum, concessit cuidam Amitæ suæ in vsus proprios diebus vitæ ipsius, cum seruis de Abellino, & de Transmonte, ad ipsum casale pertinentibus. Eo tenore, vt post mortem illius omnia redirent in ius Monasterij huius, sicut cætera, quæ supradicta sunt.

Poto Abbas vndecimus, sedit annis quatuor, mensibus quinque. Hic ædificauit deorsum Ecclesiam paruam in honore sancti Benedicti, in eo loco, vbi nunc est Ecclesia sancti Germani. Fecit etiam alteram Ecclesiam in honore sancti Michaelis Archangeli ad radices alterius montis, in loco satis amæno, vbi nunc est Oliuetum Monasterij huius.

Eamq.

Digitized by Google

Eamq; & picturis insignibus, & carminibus iu gyro decorauit honestis. Ex quibus hic aliquanta, quæ vix præ vetustate valuimus legere, describemus. Principia igitur illorum, post aliquanta, quæ legi non poterant. Hæc continebant de situ, & habitudine loci.

Ore truces vlulare lupi sub nocte silenti
Alopicesq. olidæ dudum gannire solebant
Implexisq. vrsi diro cum murmure villis
Setigeriq. Apri . . . & post pauca.
Dama fugax pauidiq. simul discurrere cerui,
Optimus at postquam Poto sacra septa regendæ
Suscepit, vigili studio pater . . Itemq; post pauca
Quin Regi altithrono vastum, qui continet orbem
Cui citè Cœlicolæ comportant nuntia iussi,
Addidit hoc magni Michaelis nomine templum.
Sanguine rubentem cœlo, qui depulit hydrum,
Isdem sed celeri præuentus morte Sacerdos
Inde dicatam Aram pariterq. reliquit Asylum, &c.

Anno 773 Defunctus verò est idem Abbas 3. Kalen. Iulij, & sepultus iuxta Ecclesiam sancti Benedicti.

CAPVT XI.

THEODEMAR duodecimo loco a beato Benedicto Abbatiam sortitus, sedit annis decem, & nouem. Fuit autem temporibus Imperatoris Leonis, qui & Zacharis, & Costantini, & Hirenæ matris eius, atque Adriani Papæ. Principum autem Beneuentanorum, præfati Arichis, & Grimoaldi filij eius. Hic iuxta prædictam Ecclesiam sancti Benedicti, quam prædecessor suus fecerat, construxit pulchro opere templum in honore sanctæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ. Super ipsum videlicet fontem vnde lyris fluuius procedit. Cuius templi fabrica quadrifida, in duodecim est columnis erecta. Ita vt per vnamquamque faciem quatuor columnæ consistant. super quas turris altior à subiectis porticibus est leuata. Alijs quatuor turri-

Templum sanctæ Mariæ de Turribus.

turribus per singulos angulos eiusdem porticus circa eandem turrim erectis. Quod videlicet templum plumbeis laterculis coopertum, & figuris pulcherrimis,& versibus optimis adornauit. Quodq; his præcipuum est: omnium fere Apostolorum, & multorum Martyrum,Confessorumq; magnificis pignoribus compsit. De prædictis autem versibus, quatuor tantum, qui à foris in circuitu medianæ turris descripti sunt hic ponere placuit.

Sublatis tenebris, quia per te mundus habere,
Lumen promeruit Virgo, & sanctissima Mater.
Celsa tibi iccirco consurgunt templa per orbem,
Et merito totis coleris celeberrima terris.

Ecclesiam quoque sancti Michaelis Archangeli, quam indedicatam à prædecessore suo relictam prædiximus, cum omni honorificentia dedicari fecit, ibiq; iuxta clausstrum, & habitacula nonnulla construxit.

CAPVT XII.

HVIVS temporibus Carolus Magnus filius Pipini, inuitatus ab Adriano Papa, cum valido Francorum, Alamannorum, atque Saxonum exercitu venit super ciuitatem Papiam, propter Desiderium, sæuissimum Regem Langobardorum, qui ciuitates sancti Petri inuaserat. Eamque per sex continuos menses obsidens, cepit. Cunctumq; sibi Langobardorum Regnum victoriosissime subdens, Pipino filio suo contradidit. Prædictum verò Desiderium secum in Franciam asportauit. Anno Domini septingentesimo septuagesimoquarto. Interim vero cum Papiam obsideret, amore Principis Apostolorum,in ipso sancto Paschali Sabbatho, Romam cum multis Episcopis, Abbatibus,atque Iudicibus venit. Et celebrata ibi Paschali festiuitate, à prædicto Papa commonitus, simul atque rogatus est, vt donationem illam, quam genitor eius Pipinus, vna secum Beato Petro, eiusq; Vicario Domno Stephano Papæ dudum fecerat,adimpleret in omnibus. Cuius postulationibus idem

Carolus Magnus Italiam venit.

Anno 774

Digitized by Google

Rex annuens, bono, ac libenti animo aliam donationis promissionem ad instar prioris describi præcepit per Etherium Notarium suum: eamq; propria manu Rex ipse corroborans, & vniuersos Episcopos, & Abbates, Duces etiam & Graphiones, ac plures, qui secum venerant honoratos, ibi subscribere faciens, super altare Beati Petri, manu propria posuit. Et tam ipse Rex, quàm & vniuersi magnates eius, id se in perpetuum conseruaturos Beato Petro, & eius Vicarijs, sacramento terribili firmauerunt. Postmodum verò præfatus Rex vna cum Pipino filio Beneuentum perrexit cum magno exercitu super Arichis, quem supra iam memorauimus. Qui erat Gener prædicti Desiderij Regis. Cum quo idem Carolus diuersis, ac varijs euentibus dimicans, demum arctatus Arichis, & coronam suam, & maximam partem thesauri, necnon & geminas soboles, Grimoaldum scilicet, & Adelgisam eidem Carolo obsides, pacis, gratia tradidit. Hic Francorum metu perterritus ciuitatem nouam Beneuento addidit. Salernum quoque inter Lucaniam, & Nuceriam antiquitus conditam mirifice restaurauit. Præfatus verò Rex prospere à Beneuento reuertens, causa orationis huc ad beatum patrem Benedictum ascendit. Seq; tam ipsi, quàm vniuersis hic degentibus, ac Deo seruientibus Fratribus commendauit. Tuncq; ab hoc primum Rege præfatus Abbas præceptum confirmationis de tota hac terra recepit. Alio etiam præcepto prædictus Rex confirmauit sancto Benedicto, Monasterium sanctæ Mariæ in Cingla, & sanctæ Mariæ in Plumbariola, & sanctæ Sophiæ in Beneuento, & cętera, quę tunc temporis videbatur habere. Necnon & vniuersas aquas, cum ripis vtriusque partis, vbicumque fuissent terris huius Monasterij iunctæ: sed auctoritatem dedit, vt Monachi iuxta tenorem sanctæ Regulæ Abbatem sibi absque alicuius præiudicio, seu violentia eligerent. Ad hunc Abbatem idem Carolus per Aldegarium Episcopum litteras à Francia destinauit. Rogans, vt aliquot sibi de Monasterio Beati Benedicti Monachos ad ostendendam in illis partibus regularis disciplinę normam, transmitteret. Quod & fecit mittens illi etiam Regulam, & Hymnos, qui tunc ex traditione regulæ in-

Theodemar Monachos in Galliam mittit.

Digitized by Google

in hoc Monasterio canebantur. Pondus quoque libræ panis, & mensuram vini, necnon & mensuram calicis, quam in mixto seruitores debent accipere. Et vniuersam consuetudinem, quæ in loco tunc temporis habebatur, in scriptis ei transmisit.

CAPVT XIII.

HIS temporibus vir quidam de gente Anglorum mutus cum quibusdam propriæ gentis socijs ad limina venit Apostolorum. Inde cum socios ad memoriam Beati Michaelis Archangeli, quæ in monte Gargano sita est, properare conspiceret, simul cum eis iter arripiens, venit ad hoc Monasterium. Cumq; ad Oratorium ingressi ante corpus sanctissimi Patris Benedicti, orationis gratia se pariter prostrauissent, cæteri post modicum ab oratione surgentes, eundem quoque, vt surgeret, secumq; recederet pulsare cæperunt. Verum ille cœlesti visitatione compunctus, gemitibus cordis, mentisq; vocibus, prout poterat, atque sciebat orationem protelans, Beati Patris Benedicti auxilium pectore fidissimo implorabat. Cùm ecce post non integram horam de loco se in quo prostratus fuerat erigens (Benedictus, & mirabilis Deus) recepto auditu, pariter, & loquela, non solum in lingua patria, hoc est Anglica, sed etiam in Romana cœpit absolutissime loqui. Miraculum.

CAPVT XIV.

HVIC Abbati prædictus Arichis Princeps, concessit partes maiores in territorio Gentianæ, super id, quod Gisulfus Dux, iam Petronaci Abbati concesserat. Sequenti etiam tempore Grimoaldus filius eius (quem Carolo obsidem datum præmisimus) eiusdem Regis concessione post patris obitum Beneuentum remissus, & Princeps effectus, per præceptum donationis concessit sancto Benedicto, vniuersa domnicalia

Digitized by Google

sua, cum seruis, & ancillis in eodem territorio Gentianæ, & cellam sancti Agapiti; portum quoque Traiectensem, & Vulturnensem, necnon & totam piscariam de ciuitate Lesina, vna cum ipsa foce sua. Per idem tempus Hildebrandus quoque Spoleti Dux obtulit in hoc Monasterium Curtem, quæ dicitur Castrillanum, cum omnibus pertinentijs eius, in Comitatu Pinnensi, & Oliuetum in Tronto, loco qui dicitur Turri. In comitatu verò Marsorum, loco qui Paternus vocatur, Curtem quingentorum simul modiorum, & familias multas cum omnibus earum, necnon & aliquot piscatores in lacu Fucino, cum portu ipsius lacus vocabulo ad Restina; sed & Gualdum suum nomine Cusanum. Quidam etiam vir diues Vvacco nomine Beneuentanus Gastaldeus in expeditione constitutus, obtulit in hoc sancto Cœnobio filium suum nomine Vvachipertum, cum rebus inferius designatis. Casale in Trane, vbi dicitur Cimilianum, casale in Trepucio, casale in Ariano, casale in Virgilie, casale in Terranea: aliud in Vicarium, aliud in Costra cum Oliueto, aliud in Culmo, aliud in Genne, aliud in Montenigro, & in Massa, & ad Ripam, & Innoceto, & in Corneto: in Tamaro, in Latiniano, in Marsico, in Treiicio, in finibus Potentiæ, & casale in sancta Agnete. Casam verò suam intra ciuitatem, iudicauit Tarsiæ vxori suæ, in vita dumtaxat ipsius. Seruos autem suos, & ancillas omnes, libertate donauit, sub ditione tamen, & tutela Monasterij huius, ita vt per singulos, singulas operas annualiter, vbi nostri ordinati præciperent, exercerent.

CAPVT XV.

Paulus Diaconus fit Monachus Casini.

HVIVS tempore Paulus Diaconus supradicti Regis Desiderij Notarius, post captionem ipsius Desiderij, & Arichis Beneuentani Principis obitum, ad hoc Monasterium venit, & sanctæ sibi religionis habitum induit. Quis autem, vel qualis, vel vnde Donnus Paulus hic fuerit, non est ab re perstringere. Iste siquidem ex Langobardorum gente originem duxit. Eius namq; ab auus Leupichis nomine, eo tempore quo primum in-

Digitized by Google

in Italiam Langobardi ingressi sunt, cum eis venit. Cuius Pauli pater nomine Vvarnefrid, mater Theodelinda fuit. Qui à puero disciplinis liberalibus eruditus, maximum in curia Desiderij Regis ob suam industriam familiaritatis locum obtinuit, atque Aquileiensis Patriarchij Diaconus extitit. Hic post captam (vt supra diximus) Papiam, cum Regi quoque Carolo pro sua prudentia admodum charus, & familiaris effectus esset: ac non multo post accusatus apud eundem Regem fuisset à quibusdam inuidis, quod eum propter fidelitatem Desiderij domini sui voluisset occidere; fecit eum idem Rex comprehendere, & coram se adduci. Quem cum interrogasset, vtrum vera essent, quæ super morte sua de eo dicerentur; constanter respondit, se pro certo fidelissimum domini sui fuisse, & in eadem se fidelitate cum vita perseuerare. Ad hæc Rex subito ira succensus, præcepit eum manibus sine mora priuari. Sed mox in se reuersus, & reminiscens sagacitatis eius, atque prudentiæ; suspirans, ait, & si eius manus abscindimus, vbi tam elegantem scriptorem reperiemus? Et ait Proceribus assistentibus sibi, dicite, quid super hoc vobis videtur: at illi. Iubete, inquiunt, vt eruantur eius oculi, ne aliquando aliquas alicui contra vos litteras dirigat; & vbi, vel quando, ait Rex, tam insignem Historiographum, aut Poetam inuenire valebimus? Illi vero videntes circa illum Regis compassionem, ac beneuolentiam: suaserunt tandem, vt in Diomedis insulam, quæ hodiè à tribus montibus Tremiti dicitur, eum exiliaret. Factumq; est, vbi cum per aliquot annos exul mansisset, homunculus quidam, qui ei propter Deum obsequium faciebat, clam illum de ipsa insula expulit, & cum eo pariter Beneuentum perrexit. Quo viso Arichis, qui filiam præfati Desiderij Regis Adelpergam nomine vxorem habebat, valde tam ipse, quàm eadem eius coniux gauisi sunt: eumq; secum in palatio honorificentissimè retinuerunt. Quo videlicet tempore vtrumque palatium, quę idem Princeps, vnum in Beneuento, alterum in Salerno nobiliter construxerat: præfatus Paulus versibus luculentissimis exornauit. Ejusdem etiam Adelpergæ rogatu, in Historia Romana, quam Eutropius breuiter composuerat,

Insula Tremiti, vnde sic dicta.

Digitized by Google

plurima hinc inde de hiſtorijs Eccleſiaſticis addidit. Ad vltimum verò duos libellos à tempore Iuliani Apoſtatæ, in quem ipſam hiſtoriam Eutropius terminauerat, vſque ad tempora primi Iuſtiniani Imperatoris eidem annexuit. Necnon & vniuerſas ferè annalis cõputi lectiunculas rithmice compoſuit. Defuncto autem Arichis, mox ad hoc Monaſterium, vt ſupra diximus, properauit, & factus Monachus, non pauco ibi tempore vixit. Rogatusq; à prædicto Abbate, vel Fratribus, expoſitionem ſuper Regulam ſancti Benedicti valde vtiliſſimam edidit. Vbi multa de veteri huius loci conſuetudine neceſſaria teſtatur. Nonnulla etiam alia ſcripta eleganti ſtylo compoſuit, inter quæ verſus quoque reciprocos, & hymnos de ſingulis Beati Benedicti miraculis ſatis diſerto ſermone conſcripſit. Ad hunc præfatus Carolus Rex, qui eum exiliari iuſſerat, audito, quod in hoc loco Monachicum habitum aſſumpſiſſet, plurimum illi congratulans, ſatis affabiles, & iocundas litteras, metrice compoſitas miſit. De quibus aliquot hic verſus inſerere libuit. Ait enim poſt aliquanta, chartulam ſuam alloquens.

Verſus Caroli Magni ad Paulum Diaconum.

Hinc celer egrediens facili mea charta volatu
Per ſiluas, colles, valles quoque perpete curſu.
Alma Deo chari Benedicti tecta require,
Eſt nam certa quies feſſis venientibus illuc.
Hic olus hoſpitibus, piſcis, hic panis abundat:
Pax pia, mens humilis, pulchra, & cõcordia fratrum,
Laus, amor, & cultus Chriſti, ſimul omnibus horis:
Dic patri, & ſocijs cunctis: Saluete, valete.
Colla mei Pauli gaudendo amplecte benignè:
Dicito multoties ſalue pater optime ſalue. & reliqua.

Cui ſimiliter idem Paulus verſificè reſcribere, & gratias pro viſitatione, & ſalutatione ſua, cunctorumq; Fratrum referre maximas ſtuduit. Iam verò ætate maturus vitæ huius curſus expleuit; & in clauſtro Monaſterij iuxta capitulum honorabiliter eſt ſepultus. Hoc tempore pulchro ſatis opere conſtructa eſt Eccleſia ſancti Vincentij, quæ appellatur maior, in loco ſupradicto, iuxta Vulturnum, à Ioſue Abbate eiuſdem loci. Præfatus autem Abbas Theodemar.

Digitized by Google

demar defunctus nonis Iunij, sepultus est iuxta Ecclesiam sancti Martini. Anno 791.

CAPVT XVI.

CISVLPHVS Abbas Tertiusdecimus à Beato Benedicto, ordinatus tẽpore Adriani primi anno Domini septingẽtesimo nonagesimosecundo, præfuit annis viginti vno. Hic ex nobili Beneuentanorum Ducum prosapia ducens originem, mox vt Abbas effectus est, cæpit satagere, qualiter posset ad vtilitatem Fratrum, quorum tunc maxima deorsum pars morabatur, tam Ecclesiæ, quàm reliquarum officinarum angustias spatiare. Incitabat etenim illum ad hoc, & loci amænitas, & opum copia non paruarum. Simul etiam arcta, & ardua montis habitatio, iam non erat sufficiens tam numerosæ multitudini Fratrum. Itaq; cuidam Garioald, qui eiusdem loci post eum curæ fungebatur officio: mandauit, vt super hoc negotio omni studio studeat, & vt eum locum, vbi prius à Potone Abbate, Ecclesia parua sancti Benedicti constructa fuerat, ad ædificandas Monasterij officinas aptare protinus debeat. Quod ille imperium promptus arripiens, quoniam instar paludis totus ille locus carectis, aquisque stagnabat, multis terræ ruderibus, saxorumq; aggeribus, vniuersa repleuit. Atque amplam Basilicam in loco prioris paruulæ, in honore Domini Saluatoris opere satis pulchro construxit. Quæ videlicet Basilica marmoreis basibus, & columnis viginti quatuor hinc inde sustulta, & amplius porticibus circumsepta, habet in longitudine cubitos octuaginta duos. In latitudine quadraginta, & tres. In altitudine viginti octo. Desuper autem satis mirifice trabibus, tabulisq; cipressinis est laqueata, ac tegulis cooperta. Parietibus in circuitu figuris pulcherrimis insignitis, iam verò pauimenti opus, quàm speciosum, quàm solidum, quàm variorum lapidum sit diuersitate conspicuum, & circuitus chori, quàm sit pulchris, ac magnis marmorum tabulis septus, in promptu videntibus est. In Ab-

Anno 791.

Digitized by Google

sida porrò eius Basilicæ mediana ad quam per gradus septem ascenditur, constituit altarium, vt diximus in honore Domini Saluatoris. In dextera autem altarium sancti Benedicti. In sinistra verò altarium fecit ad honorem sancti Martini. Ante eandem verò Basilicam fecit atrium longitudine cubitorum quadraginta, latitudine simili, & in marmoreis illud columnis numero sexdecim vndique versus erexit, atque in circuitu ipsius lapides canales iuxta pauimentum, vnde semper aqua decurreret, posuit. Porrò à parte Orientali eiusdem atrij in conspectu Ecclesiæ absidam fecit, & altarium ibi sancti Michaelis constituit. In medio verò ipsius campanarium valde pulcherrimum super octo magnas columnas erexit. Ex vtraque autem parte eiusdem Ecclesiæ diuersorum officiorum multas, & maximas, atque pulchras, tam ad suas, quàm ad Fratrum vtilitates officinas efficiens, totum etiam Monasterij spatium, propter aquarum exundantiam, magnis saxorum tabulis strauit.

CAPVT XVII.

Ecclesia sancti Benedicti ampliatur, & ornatur.

SVRSVM etiam præfatus Abbas non segnius se exercens, aliquot ibi habitacula decenter construxit. Ecclesiam quoque, vbi Beati Benedicti corpus est reconditum, quoniam parua erat, ex toto ampliorem efficiens, tectumq; ipsius vniuersum, cipressinis contignatum lignis, plumbo cooperiens, diuersis illam ornamentis, tam aureis, quàm argenteis decorauit. Super altare siquidem sancti Benedicti argenteum ciborium statuit: illudq; auro simul, & smaltis partim exornans, cætera eiusdem Ecclesiæ altaria tabulis argenteis induit. In loco etiam, qui vallis lucis dicitur, Ecclesiam in honorem sancti Angeli construxit. Necnon & Ecclesiam sancto Christi martyri Apollinari, in loco qui tunc temporis Albianus vocabatur; nunc verò ex eiusdem martyris nomine sanctus Apollinaris dicitur, statuit. Fuit autem temporibus Beneuentanorum Principum præfati Grimoaldi

Digitized by Google

di filij Arichis, & alterius Grimoaldi cognomine Thesaurarij. Romanorum autem Pontificum Adriani, & Leonis Tertij, videlicet, cui oculis, & lingua à Romanis priuato, omnipotens Deus mirabiliter, & visum restituit, & loquelam. Imperatorum verò supradictorum Constantini, & Hirenæ. Huic prædictus Princeps Grimoaldus præcepto suo firmauit omnes fœminas liberas, quæ seruis huius Monasterij fuerant copulatæ, à tempore primi Gisulfi vsque ad eam diem, cum filijs, & filiabus, & vniuersis eorum. Alio quoque præcepto concessit in hoc loco Monasterium sanctæ Mariæ in Banze, quod situm est in finibus Acerenciæ, cum seruis, & ancillis, atque colonis, & cum omnibus ex integro possessionibus, ac pertinentijs eiusdem Monasterij. Eodem tempore supradictus Vvaco Beneuentanus obtulit in Ecclesia sancti Benedicti, quam ipsemet in iure proprio intra ciuitatem Beneuentanam ad portam Rufini construxerat: omnia sua, ideſt casam propriam eidem Ecclesiæ coniunctam cum omnibus pertinentijs suis. Casale in septinio: casale in sancto Angelo ad pecte: hæreditatem in Salerno: casale in Caudis: casale in Forcle: casale ad sanctum Ianuarium cum seruis, & ancillis: oliuetum in Ariano: molendina sua in fluuio Sabbatho: quinque pueros clericos, cum seruis quamplurimis, præter multos alios, quos liberos dimisit. Eo tamen tenore, vt semper sub ditione prædicti Monasterij manerent. Iterum aliam casam intra Beneuentum, vbi ipse manebat simul cum curte sua, & coquina, & aliam casam nouam iuxta plateam, vbi est sancta Archellais cum curte, & pertinentia sua. Casale sub Apice, & Toroniano erga fluuium Arbi: casale in Autiano, & Ceppaluni: campum nepetarum: casale in crosta cum oliueto. Obtulit etiam idem Vvaco in Ecclesia sancti Benedicti, quæ sita est in Liburia loco casa Gentiana: campum de Porcari: pratum quoque, quod dicitur Porcile, & duodecim familias seruorum cum omnibus ex integro illorum pertinentijs, commanentes in vico, qui vocatur Balusanu. Alios etiam seruos, & ancillas suas in prædicta casa Gentiana habitantes cum vniuersis omninò rebus illorum. Hæc autem omnia ex integro simul cum prædictis Ecclesijs obtulit

Leo Papa Tertius.

Digitized by Google

tulit in hoc Beati Benedicti cœnobio: dimissa medietate horum omnium vsufructuario vxori suæ Tasiæ in vita dumtaxat ipsius. Sub his quoque diebus vir quidam Colo nomine de territorio Calazzano obtulit in Ecclesia sancti Martini cella huius cœnobij, quæ supra Vulturnum sita est, integram curtem suam in loco, qui dicitur Adicianum, cum omnibus ad se pertinentibus rebus, tàm in monte, quàm in plano, similiter etiam Maximus quidam de prædicto territorio, obtulit Beato Benedicto omnem ex integro substantiam suam in supradicto loco sancti Martini. Hic Abbas fecit libellum quibusdam hominibus de Termule, de omnibus rebus sancti Benedicti, quas ibi possidebamus, pro censu quatuordecim solidorum, & medietate totius pastionis. Huius Abbatis temporibus factum est Breuiarium de cellis de Marca. Qui depositus 9. Kal. Ianuarij, sepultus est iuxta Ecclesiam Beati Benedicti, ante capitulum, introeuntibus in Ecclesia ad læuam.

Anno 813

CAPVT XVIII.

APOLLINARIS Abbas quartodecimo loco in Abbatiam prælatus, sedit annis quindecim. Fuit autem temporibus Romanorum Pontificum Paschalis, & Eugenij, & Siconis, qui eodem anno Beneuenti Princeps effectus est. Fuit creatus anno Domini octingentesimo decimotertio. De hoc sanctissimo viro celebris fama est, & seniorum nostrorum attestatione firmata. Quia cum quadam die necessitate cogente ad Monasterij possessiones visendas esset egressus, necesse illi fuit Lirim fluuium transuadare. Sed cum nauis deesset, qua transire potuisset, vir Dei fide repletus, salutiferæ crucis se signaculo muniuit, & ad fluminis oram accedens, ita vt erat indutus, & calciatus, in eum intrauit: sicq; ad vlteriorem ripam miro modo, Apostoli Petri exemplo, siccis pedibus est aduectus, vt non super aquas ambulasse, sed super aridam terram crederetur. Sub huius Abbatis diebus, quidam vir nobilis nomine Arnipertus

Anno 813

Digitized by Google

nipertus natione Compsanus obtulit Beato Benedicto curtes suas in diuersis locis, numero quinque, cum omnibus omninò pertinentijs earum, tàm mobilibus, quàm immobilibus, & cum seruis, & ancillis quamplurimis: necnon & tunicam vnam cum lista aurea, & circellos de auro, & listam vnam auream cum margaritis, & fibulatorium nihilominus aureum, cum medietate omnium mobilium suorum; sed & clericus quidam nomine Daniel, natione Tarentinus, nobili genere ortus, ad extrema veniens, & seipsum, & omnia sua cum plurimis seruis, & ancillis apud Aquinum, & apud ipsam cellam sancti Gregorij, quæ in ipsius vicinia sita est: per chartulam oblationis huic Monasterio tradidit. Vnde non nulli nostrum nunc vsquequaque credant de prædictis eiusdem Daniel seruis, eos, quos hodieq; habemus famulos propagatos. Similiter etiam Dachenaldus quidam Capuanus genere, obtulit in hoc Monasterio vniuersam omninò substantiam suam, in loco, qui dicitur Cannetum, & per alia diuersa loca Comitato Calazzano, cum terris & colonis, atque animalibus diuersis, & omnibus tàm mobilibus, quàm immobilibus suis. Rodegarius quoque Gastaldeus Beneuentanus fecit hospitale iuxta Beneuentum de proprijs rebus suis, vbi obtulit, & casas suas intra ciuitatem, & Ecclesiam sancti Saluatoris, quæ sita est foris casam maiorem, & molendinum in loco Tassile, necnon & decimam omnium rerum suarum, & constituit illud sub hoc Monasterio. Per idem tempus Transemundus quidam nobilis de Beneuento, obtulit in hoc Monasterio casas suas intra Beneuentum: casalē quoque, quem possidebat in loco ad Pantanum, rebus Monasterij nostri coniunctum: aliud casale in Valle de caudis, vbi dicitur Lardecene: casale in Forinum: casale in finibus Aliphanis, vbi dicitur Vulcanum, cum omnibus pertinentijs eorundem casalium. Seruos etiam suos omnes liberos, staturns, tres per mensem operas nostris ordinatis in loco, quo habitant, exercere constituit. Sed & Dacopertus quidam Capuanus genere, obtulit Beato Benedicto casale suum in loco qui Colimniana vocatur, cum casis, & cortaneis, & omnibus ex integro pertinentijs eius.

De

Digitized by Google

ADNOTATIO.

DE sancto Apollinari isto agit Desiderius Cassinensis Abbas, qui & Victor tertius dictus est lib. 1. Dialog. dicens. Res valde, & noua quam narrò, seniorum nostrorum assertione roborata de Reuerendissimo viro Apollinari Abbate nostri Monasterij, cui Deo fautore, licet indignus, deseruio. Cuius sanctitas, benignitas, largitas omnibus penè in hac prouintia commorantibus lucidissimè patuit. Qui dum quadam die necessitate cogente prædia requireret Monasterij, venit ad fluuium Lirim: cumq. nauis deesset, qua fluuium transire potuisset, plenus fide, signaculo sanctæ Crucis se muniens, accessit ad oram fluminis, atque vt erat illud ingressus, ita sicco vestigio ad alteram ripam venit, vt nec calciamenta quidam ipsius madefacta viderentur. Animaduerte precor quanta sanctitatis, quantæq. religionis, ac meriti apud omnipotentem Dominum iste vir extitit, cui adhuc ponderi grauato corporis, concessum est super liquidum elementum, quasi super aridam ambulare: vt videlicet Apostolorum Principi similis hoc in facto habeatur, cum super vndas, iubente Domino, sicco vestigio gradiebatur. hæc Desiderius.

CAPVT XIX.

PORRO Radechis Compsanus Comes, qui interfecto Grimoaldo, prædictum Siconem Principem constituerat: non multo post pœnitentia ductus, relicto sæculo ceruitenus catena ligatus, huc ad beati Benedicti cœnobium se contulit. Cuius nimis austeræ pœnitentiæ diabolus condolens, & inuidens: multis audientibus circa Monasterij claustra sæpissime clamitabat. Heu me, heu me Benedicte, cur me sic instanter persequeris? non sufficit tibi, vt me ipsum hinc expelleres; insuper & meos fideles vndecumque tibi vendicare non desinis. Iste Sico cum diù Neapolim obsedisset, & afflixisset, tandem sancti martyris Ianuarij corpus auferens, Beneuentum detulit, & cum sanctis Festo, & Desiderio, in ipso Episcopio hono-

Translatio sancti martyris Ianuarij.

Digitized by Google

honorabiliter recondidit, sicut in historia Erchemperti refertur. Anno 817

Quarto huius Abbatis anno, Ludouicus Imperator, qui cognominatus est almus, vel sanctus, filius Caroli Magni. Quarto anno imperij sui in Aquisgrani palatio cum plurimis totius Franciæ Abbatibus, Monachisq; religiosis conuentum faciens, valde vtilissima nostri ordinis obseruationi septuaginta, & duo generalia capitula constituit: quæ ita ferè omnia apud nos, ac si Beati Benedicti regula, obseruantur. Hic Ludouicus pactum constitutionis, & confirmationis fecit Beato Petro, eiusq; Vicario Dõno Paschali ad instar priorum parentum suorum Pipini, & Caroli, & propriæ manus signaculo, ac trium filiorum suorum illud corroborans, decem Episcopos, & octo Abbates, & Comites quindecim, Bibliothecarium, Mansionarium, & Ostiarium vnum in illo subscribere fecit, & per legatum sanctæ Romanę Ecclesiæ Theodorum nomenclatorem, Donno Paschali Papæ transmisit. Ludouicus Imperator.

CAPVT XX.

Anno 810

HVIVS Abbatis septimo anno, Saraceni à Babilonia, & Africa venientes, Siciliam ingressi sunt, & Panormum ceperunt, Anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo, & vigesimo. Præfatus verò Abbas Apollinaris obijt 5. Kal. Decembris, & sepultus est propè Ecclesiam sancti Benedicti, iuxta gradus porticus, qua tunc pergebatur ad Ecclesiam sancti Martini. Anno Domini octingentesimo vigesimo octauo. Anno 828

CAPVT XXI.

DEVSDEDIT quintusdecimus Abbas, præfuit annis sex. Huic supradictus Sico Princeps fecit præceptum de fluuio, qui dicitur Lauri cum omnibus limitibus, & piscarijs suis, & vniuersis, quæ iuxta ipsum fluuium hinc, & inde ad ius sui palatij pertinebant. Mortuo Sicone, Sichardus filius eius factus est. Prin-

Digitized by Google

Princeps, vir omnibus vitijs carnalibus circumsessus, ac super omnia auariſſimus. Hic prædictum venerabilem Abbatem, virum omni sanctitate conspicuum, causa pecuniæ cepit, atque custodiæ mancipauit. Qui sanctus vir, cum depositus fuisset septimo Idus Octobris, in loco vbi reconditus est, multos febre detentos, diuersisq; languoribus oppressos, ex fide poscentes ad suos cineres, pristinæ saluti restituit.

ADNOTATIO.

AGit de hoc sancto Abbate Martyrologium Romanum, die nona Octobris, in hæc verba. Apud Cassinum sanctus Deusdedit Abbas, qui à Sichardo Tyranno in carcerem trusus, illic fame, & ærumnis confectus, reddidit spiritum. Agit etiam de eo Tritemius de viris illustribus ordinis sancti Benedicti lib. 5. cap. 174. additq. de miraculis ad eius sepulchrum fieri solitis, sicut & Leo noster hic: obijt autem an-
Anno 834 *no Domini octingentesimo trigesimoquarto.*

Hoc eodem anno, qui iuxta antiquum Hispanorum numerandi modum, est era octingentesima septuagesimasecunda, octauo idus Augusti, sedente in Beati Petri sede Gregorio Quarto, anno Pontificatus eius septimo. Imperij verò Ludouici primi Imperatoris anno vigesimoprimo, in Hispania fuit vastatum à Zafna Saracenorum Rege Monasterium sancti Petri de Caradigna, vbi ducenti Monachi Ordinis sancti Benedicti, cum Abbate Stephano (quem alij Sancium vocatum asserunt) interfecti coronam martyrij sunt adepti. Sepulti in claustro eiusdem Monasterij fuerunt, vbi Deus locum, sanctosq. suos iugiter annua die illustrat admirabili signo: vt qua die sunt trucidati, pauimentum eiusdem claustri appareat sanguineo colore respersum.

Vbi ista inscriptiones habentur. Era octingentesima septuagesimasecunda, feria quarta, octauo idus Augusti allisa est Karadigna, & interfecti sunt ibi per Regem Zafnam ducenti Monachi de grege Domini, in die sanctorum martyrum Iusti, & Pastoris. Hæc in lapide peruetusto posito in pariete eiusdem claustri, lingua latina, sed Gothicis characteribus:

Digitized by Google

nibus; Similiter in lapide sepulturæ superpositio legitur hæc inscriptio. Venite ad iudicium omnes. *In ista parte claustri sunt ducenti Monachi huius cœnobij, qui mortem sustinuerunt pro fide Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, & decollati fuerunt . . . . . feriaquarta . . . . . salus à . . . . . eia milites Christi . . . . . semper viuet . . . . . si Monachus, cor vestrum, & ossa vestra, vt herba germinabunt . . . . . cęte-ra legi nequeunt. Agit de his Cardinalis Baronius tom. 9. Anno 834. pag. 809.* Baronius pag. 809.

Situm est hoc cœnobium in Regno Castellæ, non longe à ciuitate Burgorum illius Regni Metropoli, vocaturq. hodie Monasterium sancti Petri de Cardenya, estq. nobile cœnobium congregationis sancti Benedicti de obseruantia, vulgo dicta de Valladolid. A quo sacrum Monasterium Cassinense, anno præterito 1607. accepit os integrum brachij vnius horum sanctorum martyrum, quod perpulchra theca argentea ornatum, in sacrario cum alijs sanctorum reliquijs, religiosè asseruatur.

CAPVT XXII.

HILDERICVS Abbas sextusdecimus, sedit diebus decem, & septem, anno octingentesimo trigesimoquarto. Anno 834

Authpertus ordine septimus decimus Abbas effectus, sedit annis tribus. Fuit electus anno octingentesimo trigesimoquarto.

Huic Lotharius Rex Francorum filius supradicti Ludouici præceptum fecit confirmans omnia, quæ huic sacro cœnobio, tàm à Regibus, quàm à Principibus collata hactenus fuerant. Pratum etiam magnum, qui vocatur Ceruarius, & seruos, & hæreditates plurimas fisco suo pertinentes in Pago Marsorum, alio præcepto in hoc Monasterio confirmauit. Ab hoc Lothario Regnum Francorum diuisum est. Et ipse quidem Aquensem, & Italicum. Ludouicus verò frater eius Baioariam: Carolus autem ex alia matre genitus

Digitized by Google

genitus Aquitaniam obtinuit. Sichardus præterea Beneuentanorum Princeps, Gualdum, qui Martoranus vocatur per suum præceptum sancto Benedicto concessit, per fines, & terminos suos, cum ripis, & aquis, fossarijs, & piscationibus, & omnibus intra se positis, quemadmodum ad palatij ius pertinere tunc temporis videbatur. His temporibus vir quidam Rodegarius nomine de territorio Compsano, obtulit huic Monasterio quatuor curtes suas, cum omnibus pertinentijs earum, & aliquos seruos, & ancillas suas. Huius Abbatis nonnulla opuscula, & pulchri sermones habentur. Obijt autem 10. Kal. Martij.

Anno 837

CAPVT XXIII.

BASSATIVS Abbas à beato Benedicto octauusdecimus, ordinatus anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo trigesimoseptimo, sedit annis decem, & nouem.

Anno 839

Huius tertio ordinationis anno superstite adhuc præfato Principe Sichardo, corpus Beati Apostoli Bartholomæi de Lypparitana Insula Beneuentum translatum est. His diebus Agenardus Gastaldeus Capuanus fecit chartam oblationis in hoc Monasterio de omnibus omninò rebus substantiæ suæ, quæ possidere videbatur in territorio Capuano, & Teanensi, atque Carinulo, cum seruis, & ancillis, & vniuersis, quæ sibi iure hæreditario competebant. Sed & Anefrid quidam nobilis Alifanus, obtulit Beato Benedicto Amelfrid filium suum clericum cum integra curte sua de loco, qui dicitur Patenaria, cum vniuersis eiusdem curtis pertinentijs: necnon & integram portionem suam de Ecclesia sanctorum Nazarij, & Vincentij, de loco, vbi dicitur Anglena, cum ornamentis, & curtibus, & omnibus omninò pertinentijs, ac possessionibus eius. Similiter etiam quidam Maio Telesinus ad extrema veniens, tradidit seipsum in hoc Monasterio cum omnibus suis, ideſt curte vna in Telese, vocabulo Pulianella, & alia in Alife, in qua est constructa Ecclesia vocabulo sanctus

Digitized by Google

&us Petrus, cum silua sua circa eandem Ecclesiam, & cum omnibus pertinentijs ipsarum curtium, cum seruis quoque & ancillis omnibus in eisdem curtibus commanentibus, & vniuersis eorum. Per idem tempus Gontarius Abbas Monasterij sancti Modesti, reddidit beato Benedicto res, quas Authpertus Abbas perscriptum conuenientiæ concesserat Sichardo Principi, idest curtem, quæ dicitur Mjlaccianum, cum Ecclesia sanctæ Mariæ cum omnibus ornamentis, & pertinentijs suis, in finibus Canusinis: curtem, quæ vocatur Plazanum, curtem in Campi, curtem in Pastena, & casam vnam in Canni, cum substantia sua, & cum piscatione in mare, & cum omnibus pertinentijs eorum, quæ supradicta sunt. Theodoricus præterea Comes, testamento suo concessit huic loco curtem vnam, quæ dicitur Squille, scutellam argenteam vnam, scattones tres, & garales duos, bandum aureum vnum, & alia nonnulla.

Fuit autem hic Abbas temporibus Romanorum Pontificum Sergij secundi, Leonis quarti, & tertij Benedicti, necnon & primi Nicolai, à quo etiam Apostolicæ auctoritatis priuilegium de huius Monasterij libertate, & confirmatione recepit. Principum verò Radelchis, & Siconolfi, sub quibus Principatus Beneuentanus Capuanorũ factione diuisus est; cur autem, vel qualiter diuisus sit, & qua occasione Saraceni ab his inuitati huc aduentauerint, quoniam cladis eorum nos quoque pars maxima fuimus, necessarium inserere huic historiolæ duximus.

CAPVT XXIV.

CVM supra memoratus Sichardus Princeps nequiter à suis fuisset occisus, præfatus Radelchis Thesaurarius ipsius illi in Principatu successit. Interea Capuani quibus tunc Landulphus Gastaldeus præerat, propter multas nequitias suas prædictum Radelchis valde infensum habebant. Qua de causa illum nimium formidantes, ineuntes

I consi-

Digitized by Google

consilium, ad Siconolfum filium supradicti Principis Siconis, qui tunc apud Tarentum exul morabatur, se conferunt: eumq; sibi in Principem eligunt. Qui Siconolfus, tam cum eisdem Capuanis, quàm & cum maxima Beneuentanorum manu, qui prædictum Radelchis exosum habebant, Salernum ingressus, contra eundem Radelchis modis omnibus insurrexit: cœperuntq; adinuicem totis nisibus litigare. Sed quoniam, vt ait, veritas, omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Et vt ait quidam auctorum, Concordiæ paruæ res crescunt: discordia maximæ dilabuntur: viciſſim ab his Saracenorum exercitus ex diuersis partibus orbis alter aduersus alterum euocatus, totum non modo Principatum, verum etiam Regnum Italicum sua dissensione, ferro, & igni per annos fermè triginta demoliti sunt. Primus itaque Radelchis in auxilium sui Saracenos inuitat, per Pandonem quendam suum fidelem, qui tunc Barium regebat: quos cum idem Pando iuxta murum vrbis, & oram maris locasset improuidus; illi vt sunt ingenij callidi, nocte intempesta vrbem per loca abdita penetrant, multisq; alijs interemptis, prædictum patriæ proditorem marinis fluctibus donant. Horum Rex fuit vocabulo Calphon, quos præfatus Radelchis, quia propellere vrbe non poterat, cœpit quasi familiares excolere, & ad sui auxilium prouocare. Cumq; illis totam Siconolfi regionem deuastãs, Capuam quoque vniuersam redegit in cinerem. Siconolfus quoque è contra ex Hispania Saracenos asciscens, frequentibus prælijs omnes ferè in circuitu præter Sipontum à Radelchis iure auferens vrbes, Beneuentum nihilominus expugnabat.

Luc. 11.

Saluſtius.

Saracenoru in Italiam aduentus.

CAPVT XXV.

Anno 843

SEPTIMVS iam prædicti Abbatis annorum circulus voluebatur, cum præfatus Siconulfus ad Beati Benedicti Monasterium veniens, sub præstationis nomine, Hispanis tribuendum Agarenis, vniuersum ferè thesaurum, quem glorioſæ memoriæ Reges Carolus, & Pipinus frater eius, & Carolus Magnus, & Ludouicus filij eiusdem

Digitized by Google

eiusdem Pipini, & alij quamplures, seu Reges, seu Principes religiosi ibidem contulerant, abstulit. Prima siquidem vice tulit in calicibus, & patenis, coronis, ac crucibus, phialis quoque, & amulis, boris, ac fibulis auri purissimi libras centum triginta. Saricam insuper sericam de sylphori cum auro, & gemmis, prò quibus promisit se redditurum solidos siculos decem milia. Vnde cognatus eius Vrsus, & Grimoaldus scriptum redditionis Monasterio fecerunt. Item secundo trecentas sexaginta quinque in argento libras, & quatuordecim millia solidos aureos figuratos. Item bazias de argento, pensantes libras triginta, & fundatos duplices octo. Item in Anaglifis baziam vnam, & Scattonem vnum Constantinopolitanum, vtrumque argenteum, & inauratum. Alia vice post octo circiter menses, tulit in coronis, ac bazijs, atque amulis; garalibus, & cochlearijs argenti simul quingentas. Item post menses decem venit, & rupit ipsum Monasterij vestiarium, & abstulit inde solidos mazatos quatuordecim millia, pro quibus iurauerunt Leo Episcopus, & Petrus, & Landenulphus Gastaldei eius super Euangelia, & crucem, & corpus sancti Benedicti, quod ab inde ad quartum mensem, pretium illud Monasterio restituerent, & non habentes vnde redderent, fecerunt hic præceptum de sancto Nazario in Canzia cum omnibus suis. Rursum alia vice venerunt Lando, & Aldemarius Gastaldei ipsius, & exportauerunt solidos prædolatos duo millia. Alia vice, quando Spoletum perrexit, Maio cognatus eius abstulit, item solidos duo millia. Iterum quando Romam perrexit, venit idem Siconolfus, & abstulit coronam auream smaragdinis gemmis mirificè decoratam, quæ patris eiusdem, Siconis Principis fuerat, pro solidis tribus millibus. Et hæc quidem omnia ipse sacrilegus S. Benedicto auferens, neque sibi, neque patriæ aliquid inde profecit: neque ab illo tempore aliquam deinceps victoriam habere promeruit.

ADDITIO.

Hoc eodem tempore, anno videlicet octingentesimo quadragesimoquinto, Pontificatus Sergij Papæ secundi Anno 845

Digitized by Google

anno secundo: inuentum translatumq. est venerandum corpus sancti Mauri Abbatis discipuli sancti Benedicti, ex quo Monachismus eius Ordinis in Gallijs mirificè propagatus est. Nec sine Dei prouidentia his ipsis temporibus Monasteriorum Fundatorem Deus voluit apparere, atque miraculis coruscare, cum monastica disciplina soluta, ipsa iam Monasteria laicorum manibus traderentur, vt quasi vindex videretur exurgere. Rei gestæ historiam scripsit Odo, qui hoc sæculo vixit, cunctaq. omni fide optimè testata reliquit. Qui primum quomodo vltus sit idem sanctus in Gaidulfum Rauennatem, qui acceptum à Rege Francorum Fossatense Monasterium, ipsum electis Monachis, solo æquatum, ac prophanum redditum vsurpauerat, hanc memoratu dignam texit historiam.

Postquam cuncta, quæ animo conceperat, iuxta Dei permissionem, de eodem exercuit loco Gaidulfus, conuocatis amicorum, atque affinium turmis ad conuiuium apparatioris prandij, scelerate à se gesta, post insatiabilem lautitiorum edacitatem ciborum, & meri nimiam potationem, cunctis, qui aderant (iactatiæ desperabiliter barathro demersus) referre cœpit. Ne, inquiens, teterrimum genus Monachorum per succedentia tempora locum hunc, vanis spebus animatum, repetere, aut vendicare valeat, cum domorum euersione, testamenta sunt ablata prædiorum, quibus se opinari poterant possessiones tantorum recuperaturos fundorum. Nec dum verba compleuerat, cum ecce contra se super mensam, ad quam lasciuiens residebat, astare vidit venerandi Monachum habitus virum, cuius facies igneo resplendebat aspectu: Canities verò comptissimi dignitati honoris super niuem micans candebat Qui ferulam manu gestans, toruisq. aliquantisper respiciens luminibus, eum forti conamine, calce quidem in ventre, ferula autem in capite valide percussit. Qui illico amens effectus, atque caput huc illuc super scapulas crebro iactans, eiulando clamare cæpit. Maure tu me interficis, Maure tu me interficis: Cumq. hæc, & alia cunctis, qui aderant audientibus (oculis iam cæcatus, quos capitis percussione amiserat) frequenter repeteret, Arij multatus damnatione, effusis intestinis, infelicem (vt erat dignus) finiuit

Digitized by Google

finiuit vitam, particeps dæmoniorum effectus. Hæc ita gesta Germanus Monachus nostræ Congregationis, qui à patruo suo ipsius loci Monacho, se ita per acta sicut hic inserta sunt, frequenter ista audisse confirmat: qui de eodem cœnobio cum cæteris Fratribus ab ipso peruersæ mentis homine, Gaidulfo, expulsus, sæpe ad domum patris huius Germani fratris veniens, cuncta ex ordine referre solitus erat. Astipulantur etiam huic assertioni religiosæ admodum, & Reuerendæ personæ, quæ ab eodem tempore vsque ad nostram perdurantes ætatem, euidentissimis ista profitentur indicijs. Ex quibus ego etiam duos vidi, quos pro hoc ipso ad me euocans, atque ab eis cuncta diligenter scisitans, verissima hæc esse, prout ea ipsi oculis inspexerant, asseruere: addentes etiam hæc, quod post expulsionem loci illius habitatorum, & eiusdem desperabilem scelerati viri percussionem, prædia, & villæ, quorum subsidijs, & reditibus locus ille eatenus subsisterat, perceptione satis iniusta, tam à Comite Andegauensi, quàm ab alijs præsumptuosæ, ac cupidæ mentis hominibus, vsurpatæ sunt, atque peruasæ. His adiungit de restauratione eiusdem Monasterij Fossatensis diuino monitu facta per Rorigonem religiosissimum Comitem, deq. præfectura eiusdem Monasterij collata à Carolo filio Ludouici Gauzlino filio Gausberti, deq. sancti Mauri corporis translatione ab ipso facta, cuius rei gestæ testificationem subijcit istis verbis.

Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi octingentesimo quadragesimoquinto, indictione octaua, feria quinta hebdomadæ nihilominus quintæ quadragesimæ, quarto idus Martij: translata sunt ossa beatissimi leuitæ Mauri à famulo Dei Gauzlino, alijsq. Sacerdotibus in locum in quo nunc venerantur, in arca ferrea cum honore recondita. Hæc eadem die reliquiæ protomartyris Stephani, quæ à Bertulpho Abbate, tempore Clotarij Regis, iuxta prædicti patris nostri Mauri tumulum ob eius veneratione, in pixide ligneæ reconditæ fuerant, ita intactæ, & absque macula sunt repertæ, vt quasi eodem die illic repositæ viderentur. In qua etiam membranulæ vetustissimæ portiuncula est inuenta, cuius series diuturna obliteratione penè delecta, vix perspicacissima elucidari valuit indagine: cuius textum tandem enucleatum,

Digitized by Google

hæc continere repertum est. Hic requieſcit corpus Beati Mauri Monachi, & Leuitæ, qui tempore Theodeberti Regis in Galliam venit, & 18. Kalen. Februarij migrauit è ſæculo. Hæc de his Odo, cuius opuſculum impreſſum eſt Pariſijs, una cum Aymoino de geſtis Francorum.

CAPVT XXVI.

Anno 846. HIS temporibus, decimo videlicet anno huius Abbatis, Sergio Papa ſecundo in ſede Apoſtolica Præſidente, à quo Ludouicus Imperator eſt coronatus, ingens Saracenorum multitudo ab Africa, claſſe Romam deuecta, Eccleſiam ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ex integro deprædati ſunt, multosq; illic interficientes, per Appiam viam iter aggreſſi, ad Fundanam ciuitatem venerunt. Quam cum cepiſſent, & incendio cremauiſſent, cunctosq; illius ciues partim captioni, partim gladio deſtinauiſſent, vniuerſa quoque per circuitum vaſtauiſſent, ſecus Caietam applicantes caſtra metati ſunt. Contra quos miſſus à Spoleto Francorum exercitus, turpiter ſuperatus aufugit. Quos Saraceni inſtantius perſequentes, tandem ad viciniam huius Monaſterij trans flumen, quod Carnellum vocatur applicuerunt, Eccleſiamq; ſancti Andreæ Apoſtoli igne cremantes, ac demum ad cellam ſancti martyris Chriſti Apollinaris in loco, qui dicitur Albianus, peruenientes, è veſtigio ad hoc Monaſterium, quod fama iam dudum vulgante audierant, quodq; præſentialiter ſuis oculis ex eodem loco cernebant, totis properare niſibus ſatagebant. Sed quoniam tardior illos hora eo die cohibuit, ibidem tentoria figunt, futurum profecto, vt die huc altero properantes, cœnobium omne deſtruerent, quæcunque fuiſſent hic reperta diriperent, cunctosq; ibi degentes gladio trucidarent. Maxima erat tunc totius cœli ſerenitas, tantaq; prædicti fluuij ſiccitas, vt pedes aliquis illum tranſuadere valeret. Itaque cum ad Fratrum aures huiuſcemodi nuntius peruenisſet, & tam ſubitam, tamq; horrendam imminere ſibi mortem aſpicerent, maximo timore perterriti, omnes nudis pedibus, & cinere aſperſo capite

pite cum litanijs ad Beatum conueniunt Benedictum, orantes Dei clementiam, vt eorum animas misericorditer dignaretur recipere, quorum corpora tam repentinæ morti tradere suo iudicio decreuisset. Tota igitur nocte illa Fratribus, vigilijs, orationibusq; intentis, sanctæ memoriæ Abbas Apollinaris, de quo supra retulimus, per visum interim Reuerendissimo Abbati Bassatio apparens, dixit: quid Fratres ita turbamini? vel quare sic mæstum, timidumq; geritis animum? cui Bassatius, propter mortem, inquit, Pater, omnium nostrum, quam ante oculos cernimus, & propter sancti huius loci desolationem, quam protinus præstolamur. Nolite amplius, ait Apollinaris, timere, omnemq; ab animo mæstitiam, ac sollicitudinem pellite, Benedictus etenim Pater, vestram à Domino liberationem obtinuit, ipsumq; pariter nobiscum in auxilium vestrum pro certo veniisse noueritis, perficite tantum vota vestra, & supplicationes ad Dominum, quod etiam vna vobiscum ante conspectum Domini facimus, & estote certissimi, quod nullam vobis, neque huic loco Saracenorum ferocitas nunc possit inferre molestiam. Cumq; Abbas experrectus hæc omnia Fratribus indicasset, vniuersi procidentes in faciem cum lacrymis, ac singultibus, magnisq; clamoribus, cæperunt Deo laudes, & gratias reddere, eumq; immensis iubilationum vocibus glorificare, ac benedicere, cui per Beati Benedicti intercessionem taliter eos ab instanti placuit periculo liberare, atque quod erat noctis residuum, in hymnis, & laudibus Dei, studuerunt peragere. Fidelis Dominus in verbis suis, & sanctus in operibus suis, qui iusto polliceri dignatus est dicens: Inuoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te, & magnificabis me. Cum ecce post paululum subito cœlum, quod hactenus, vt diximus, vndiq; serenissimum fuerat, nubibus operitur, coruscant fulgura, tonitrua mugiunt, tamq; valida repente pluuiarum inundatio facta est, vt supradictus fluuius, vltra ripas excrescens, latius vndique redundaret. Facto igitur mane Saraceni surgentes, ad fluuij properant oram, vident eminus quem die præterito, sicut diximus, pedibus possent transire, vix nunc posse se illius, vel ripas attingere; ceperuntq; nimis diligenter

Psal. 144. vers. 13.

Psalm. 49. vers. 15.

genter ſcrutari, ſicubi nauem aliquam reperire valerent, qua fluuium tranſuaderent: ſed cum omni ſpe tranſeundi ſe viderent fuſtratos, totiusq; prædæ illius, qua ſe tunc valde onuſtari putabant, vacuos redditos; ſicut ſunt barbarę, immitisq; naturæ, frementes, dentibusq; ſtridentes, digitos ſibi ceperunt, manusq; præ furore corrodere. Cellas itaque huius cœnobij, ſanctorum martyrum Georgij, & Stephani vocabuli inſignitas, igne ſuccendentes, per duos leones ad ſua caſtra Caietam reuerſi ſunt. Poſt dies aliquot cum in propria redire diſpoſuiſſent, debilitatos, ac ſub neruatos equos ſuos vniuerſos dimittunt, & conſcenſis nauibus verſus Africam iter aggrediuntur. Cumq; iam ita proximi patriæ eſſent, vt montes vicinos aſpicerent, & nautico more plauſus inter ſe, & gratulationes efficerent, repentè conſpiciunt vnam inter ſuas huc, illucq; nauiculam diſcurrentem, in qua duo tantum homines viſebantur, quorum vnus pulchra canicie clerici ſpeciem prætendebat, alter verò habitu erat indutus monaſtico, à quibus diligentiſsimè percontati, vnde tam hilares remearent, quidnè in illis partibus vnde redibant operati eſſent: ab Italia ſe, & ab ipſa Roma reuerti, ibiq; ſe maximas cedes, rapinas, atque incendia perpetraſſe fatentur. Petri, inquiunt, quidem, ac Pauli Eccleſias deuaſtauimus. Benedicti verò cœnobium deprędaturi, quoniam fluuium tranſire nequiuimus, cellas eius trans ipſum poſitas igne ſuccendimus. Cumq; demum & ipſi quinam eſſent, ab eis requirerent; huiuſmodi ab eis reſponſum recipiunt. Nos quidem illi ſumus quorum vos domos, & diripuiſſe, & cremauiſſe tantopere gloriamini, veruntamen qui nos ſimus, quantocius noſſe habebitis; & his dictis ſubito pariter cum verbo diſparuerunt. Repentè igitur valida ſurgẽte procella, tam ingens tempeſtas exorta eſt, vt vniuerſas illorum naues partim inter ſe colliſas, partim in montes, & ſcopulos impulſas, naufragare compulerit; ita vt vix aliquanti euadere potuerint, per quos hæc ad aliorum notitiam peruenirent. Hoc modo Petrus Apoſtolus ſuas iniurias vindicauit. Hoc modo Benedictus Pater ſuum Monaſterium liberauit. Sequenti tempore ſanctiſſimus Leo quartus Papa effectus, ne aliquando amplius

S. Petrus, & S. Benedictus Saracenis apparent.

Leo Papa Quartus.

hoc

Digitized by Google

hoc contingeret euenire, muris optimis, ac firmissimis castellum non modici ambitus circa Beati Petri Apostoli Ecclesiam fecit, quod vsque hodie ab auctoris nomine Leoniana ciuitas appellatur.

ADNOTATIO.

EA, quæ de Saracenis hic à Leone narrantur, desumpta videntur ex libro primo Dialogorum Desiderij Abbatis Cassinensis, vbi eadem eisdem ferè verbis referuntur.

CAPVT XXVII.

IVNC etiam temporis, Massar Saracenorum Dux in auxilium prædicti Radelchis Beneuento residens, eosdemq; ipsos Beneuentanos vilipendens, quocunque modo posset vehementer affligeret, Monasterium sanctæ Mariæ in Cingla deuastauit, castellum sancti Viti cepit, Telesinam ciuitatem sibi ad deditionem coegit, & vniuersa in circuitu depopulatus est. Qui dum quadam die secus Beati Benedicti Monasterium pertransiret, adeò mens eius barbara cœlitus immutata est, vt dum canis eius vnam in pratis Monasterij aucam cepisset, per semetipsum cum flagello cucurrerit, eandemq; de ore illius extraxerit: veniensq; ante ianuas Monasterij, mox claudere illas præcepit, ne scilicet aliquis suorum ingrediens, aliquam illic violentiam inferret. Sicq; Aquinum pertransiens, & Arcim, cæteraq; in circuitu deuastans, Beneuentum reuersus est. S. Benedictus Monasterium suum protegit.

Eodem tempore, cum annus ab incarnatione Domini octingentesimus quadragesimusseptimus volueretur, tam ingens terræmotus per vniuersam Beneuẽti fuit regionem, vt Isernia ferè tota à fundamentis corrueret, multusq; ibi populus, & ipse cum eis eorum Pontifex interiret. Apud Monasterium quoque sancti Vincentij terræmotus idem plurimas domos euertit: in hoc autem monte meritis sancti Benedicti, ne vnam quidem petram de loco suo mouit. Anno 847

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXVIII.

PER idem tempus, defuncto iam dicto Lothario, pentifarie Regnum Francorum diuisum est. Nam, vt supra diximus, Ludouicus, & Carolus germani ipsius, Baioariam, & Aquitaniam regebant. Primogenitus vero filius eius Ludouicus nomine, est sortitus Italiam. Secundus Lotharius potitus est Aquis. Tertius autem Carlittus Saxoniam obtinuit. Huic igitur Ludouico admodum adolescenti, ab afflictis varia peste Langobardis suppliciter suggestum est per venerabilem Abbatem Bassatium, vt ad has partes venire, eosq; à nefandorum Saracenorum deuastatione eripere, tantisq; calamitatibus finem dignaretur imponere; quod & obtentum est. Veniens igitur Ludouicus Beneuentum, à Radelchis, Beneuentanisq; receptus est, eiq; omnes Saraceni contraditi, quos omnes ipso die vigiliarum sancti Pentecostes extra ciuitatem duci, & iugulari præcepit: inter quos etiam Dux Massar capite plectitur. Moxq; idem Imperator conuocatis omnibus Langobardis, totam Beneuentanam prouintiam inter Radelchis, ac Siconolfum, æquo discrimine
Anno 851 est partitus, Anno Domini 851. Sicq, post dies paucos prospere est ad sua reuersus. Porrò demum prædicti Principes Radelchis, & Siconolfus pactum diuisionis Principatus inter se firmantes, hoc Monasterium sancti Benedicti, & Monasterium sancti Vincentij extra sortem esse decreuerunt, dicentes. Hæc Monasteria ad nos minime pertinent, quoniã sub tutela, & immunitate Dominorũ Imperatorum Lotharij, atque filij eius Ludouici constituta sunt.

CAPVT XXIX.

ITERVM igitur Saracenis Bari degentibus, Calabriam totam, omnemq. Apuliam, vniuersamq. Prouinciam Beneuentanam affligere, ac deuastare nitentibus, rogatus à primatibus patriæ Bassatius Abbas, vna cum Iacobo Abbate sancti Vincentij, Franciam adijt; præfa-

Digitized by Google

præfatumq. Ludouicum rursus ad has partes venire coegit. Qui veniens, Barium protinus adijt: cumq. Saracenis per dies aliquot sine effectu aliquo dimicauit, sed Capuanorum calliditate, ac fallacia cernens se nil proficere, Siconolfi filio de Salerno exiliato, & Ademario Principatu concesso reuersus est.

CAPVT XXX.

HIS quoque temporibus, cum ob facinora commorantium Capua, quæ & Sicopolis, quæ in monte Triplisco paulo ante quindecim annos ædificata fuerat, ab igne sæpius cremaretur. Consilio habito, Lando Comes, & Landolfus Episcopus cum cæteris propinquis suis, apud pontem illam Casulini, sicut hodieq. cernitur, construxerunt, Anno Domini octingentesimo quinquagesimosexto. Huius Abbatis maximum fuit tam sursum, quàm & deorsum in Ecclesijs studium, & ipse renouauit omnia altaria de Ecclesia Domini Saluatoris. Anno 856

CAPVT XXXI.

NON autem ociosum videtur hoc in loco litteris tradere, quæ consuetudo tunc temporis in hoc Monasterio diebus paschalibus erat. Tertia feria post Pascha valde mane vniuersi Fratres tam de Monasterio, quod deorsum erat, quam & de hoc, quod sursum, vestibus sacris induti, assumentes cruces aureas ad procedendum, & thuribula, atque ceraptata, necnon textus Euangeliorum. & capsas, diuersosq. ornatus, atque Ecclesiasticos thesauros, procedebant, & his descendentibus, illi coniungebant se pariter ad ciuitatem sancti Petri prope ipsam Ecclesiam. Tunc incipientibus illis, qui de deorsum venerant responsorium: Benedictus, qui venit in nomine Domini: illi quoque desursum id ipsum subsequebantur. Quo finito, dabat Sacerdos orationem. De hinc singillatim per ordinem omnes, qui de deorsum venerant accedentes, saluta-

Digitized by Google

ſalutabant, & oſculabantur tàm Donnum Abbatem, quàm & reliquos ſeniores deſurſum. Poſthæc incipientes litanias, omnes pariter ingrediebantur in Eccleſiam ſancti Petri, & iterum data oratione, cantabant tertiam: & deinde miſſam, Venite benedicti patris mei, cum cantu promiſcuo, Græco videlicet, atque Latino, vſque ad completum Euangelium. Presbytero verò cum miniſtris ad complendam miſſam relicto; cæteri omnes ſimul egredientes cantando, atque pſallendo deorſum pergebant, ac prope iam Monaſterium ab ipſo negotiantum foro Litanias incipientes, in Eccleſiam Domini Saluatoris intrabant. Ea finita, lotis manibus, atque veſtimentis induti ſollennibus, procedebant omnes ordinate in atrium ad altare Beati Archangeli Michaelis, ibique ſubſiſtentes expectabant Abbatem. Quo cum peruenisſet, diuerſis, ac multiplicibus ſtipatus officijs miniſtrorum, mox vniuerſis reboantibus ſignis, procedebant ſollenniter cum omnibus ſupradictis ordinibus, & ingreſſi Eccleſiam, incipiebant canere miſſas ipſius diei: qua completa, dicta ſexta, ibant in refectorium cantando: Te Deum laudamus, gratias agentes Deo, qui illos ab omnibus aduerſis eripuit: & cœnobium cum habitantibus incolume cuſtodiuit, & data oratione exeuntes expoliabant ſe indumenta ſollennia, & ſic reuertebãtur ad comedendum. Eo ſiquidem die Maior præpoſitus prandium omnibus faciebat. Expleta verò refectione, Fratres, qui deſurſum venerant, vale, dicentes Abbati, ac cæteris Fratribus, cum benedictione reuertebantur.

Optima conſuetudo.

His item temporibus mos erat, vt pridie Kalend. Septembris conuentus ad hunc locum fieret, vna cum Præpoſitis ſuis vniuerſorum huius cœnobij in circuitu Monachorum, docendi ab Abbate, quid facere, quid cauere, quidue corrigere, ſeu qualiter ſub Dei præſentia, & timore cum regulari obſeruatione viuere deberent. Sequenti verò die ordinabantur, & deſcribebantur, atque deſtinabantur in obedientias, per ſingulas prout opportunum erat Prouincias. Non multo poſt prædictus Abbas Baſſatius defunctus

Anno 856

eſt 16. videlicet Kalend. Aprilis, & iuxta Eccleſiam ſancti Benedicti in ipſo capitulo Fratrum digna veneratione reconditus.

C A-

Digitized by Google

CAPVT XXXII.

BERTHARIVS Nonusdecimus Abbas sedit annis vigintiseptem, & mensibus septem. Hic prædecessoris sui Bassatij fuit discipulus, cuius etiam in omnibus, & præcipuè in Ecclesiasticis studijs, industriam est imitatus. Codicem namque Euangeliorum auro, & gemmis optimis adornauit, & aureum calicem non paruæ quantitatis effecit, aliaq. perplura ornamenta Ecclesiastica, tàm sursum, quàm & deorsum patrauit. Fuit autem temporibus Romanorum Pontificum supradicti Nicolai, Adriani, atque octaui Ioannis, à quo etiam priuilegium de omnimoda huius Monasterij libertate recepit. Hic apprimè litteratus, nonnullos tractatus, atque sermones, necnon, & versus in sanctorum laude composuit. Cuius & anticimenon de plurimis tàm veteris, quàm noui testamenti quæstionibus hic habetur: aliquot de arte grammatica libri, necnon & duo codices medicinales, eius vtique industria de innumeris remediorum vtilitatibus, hinc inde collecti: versus quoque per plures ad Angelbergam augustam, aliosq. amicos suos, mira conscripti facundia. Hic itaque reminiscens periculi, quod nuper à Saracenis sub suo prædecessore (nisi Deus misericorditer auuertisset) eidem loco acciderat: totum vndique Monasterium, quod sursum erat, muris, ac turribus firmissimis in modum castelli munivit. Ciuitatem quoque ad radicem huius montis circa Monasterium Domini Saluatoris construere inchoauit. Quo videlicet tempore, dum supradicta mœnia Eulogi menopolis, ideſt Benedicti ciuitatis construerentur, vir quidam, qui iam per septem annos prævalida infirmitate, linguæ prorsus carebat officio, ita vt nullum penitus posset edere verbum, in eiusdem operis ministerio inter cæteros seruiebat. Cum igitur quadam nocte in Ecclesia consuetas Domino Fratres redderent laudes, idem mutus circa basim cuiusdam columnæ ipsius Ecclesiæ residens obdormiuit: cui mox Beatus Benedictus in ipso sopore apparens, eumq. baculo, quem gestabat, in caput

Miraculum.

put blandè percutiens : huccine, ait, venisti dormire ? surge protinus, & tribus in terram vicibus expue. Quod cum euigilans ille fecisset, statim clara voce cœpit gratias agere Deo, & beatissimo Patri Benedicto, per quem pristinum linguæ meruisset recuperare officium. Quo viso vniuersi, & cognito qualiter illi hoc euenisset, benedixerunt Dominum, & Benedictum famulum eius. His diebus defuncto Lupo Theanensis Ecclesiæ Præsule, Hilarius Diaconus, & Monachus huius Monasterij in eadem ciuitate Episcopus ordinatur.

CAPVT XXXIII.

PER idem tempus Maurus quidam de partibus Liburiæ vir diues, obtulit se ipsum in hoc Monasterio in manibus Angelarij Præpositi, cum duabus sortibus omnium rerum suarum tàm mobilium, quàm immobilium, in loco, vbi dicitur ad Silicem. Nam tertiam partem donauerat vnicæ filiæ suæ. Agelmundus quoque Telesinus ciuis, semetipsum obtulit Deo in hoc loco cum omnibus ex integro rebus substantiæ suæ, tàm in ipsa Telesia, quàm & in diuersis locis, præter duos casales, quos dedit filiæ suæ sanctimoniali, & alia nonnulla, cum aliquantis seruis, quæ concessit in Ecclesia sancti Domnini apud eandem Telesiam, quæ erat cella huius cœnobij. Hic Abbas fecit libellum Guidoni Comiti de sancto Angelo de Varriano, & de sancto Potito cum omnibus pertinentijs earundem Ecclesiarum, cum terra videlicet modiorum nongentorum quinquaginta, pro quibus in præsentiarum recepit solidos quingentos, annualiter verò recipiebat pro censu macusos septem. Concessit etiam Suabilo Gastaldeo Marsorum vsufruendi, diebus tantum vitæ ipsius, Ecclesiam sancti Cosmæ de Ciuitella, cum colonis, & seruis, & ancillis, & omnibus omninò rebus, & pertinentijs suis, & cum duabus alijs Ecclesijs, prædictæ Ecclesiæ pertinentibus, ideſt sancta Maria in Ellireto, & sãcto Leucio in Moscosi, cum seruis nihilomi-

Digitized by Google

hilominus, & ancillis, & omnibus pertinentijs earum; necnon & Ecclesiam sancti Benedicti in Auritino, & sancti Victorini in Celano, & sancti Abundij in arcu prope Lacum Fucinum, cum omnibus similiter rebus, & pertinentijs earum, recipiens ab eo pro omnibus his in præsenti libras triginta, annualiter autem pro censu libras quatuor, in mense Septembrio. Huius Suabili filius Rodepertus, ciuis Beneuentanus, obtulit de substantia sua in hoc Monasterio Curtes numero sexdecim cum omnibus earum pertinentijs, & vnam domum nouam intra ciuitatem Beneuentanam, cum curte, & ædificijs suis. Huius temporibus quidam vir nomine Maio de Comitatu Theatino, obtulit Beato Benedicto curtem suam, quæ dicitur Fara Maionis, cum omnibus pertinentijs suis, quæ insimul continet quinque millia octingenta modia de terra, & aliam nihilominus curtem, quæ vocatur Malliæ cum Ecclesia sancti Petri, & cum omnibus similiter pertinentijs suis. Similiter quoque Stephanus quidam genere Capuanus obtulit in hoc sancto loco per diuersa loca curtes octo, cum seruis, & ancillis, atque colonis ad easdem curtes pertinentibus, & cum omnibus omninò pertinentijs ipsarum, quarum prima vocatur Iunctanum, secunda Clabatzanum, tertia Decatzanum, quarta Atdurum, in monte Marsico, cum integro territorio suo, prope curtem, quæ vocatur Campumutuli, quinta dicitur ad Casale, ibidem in monte Marsico, sexta ad Diripatum in finibus Cancię, septima ad Patricanum, octaua verò vocatur ad Rosellæ, similiter in Cancia. Todericus etiam quidam Capuanus fecit oblationem suam de prato de patenaria, loco qui dicitur Spigiano.

CAPVT XXXIV.

INTEREA nequissimus Saracenorum Rex nomine Seodam Barium egressus, venit Capuam, quàm totam circumcirca deuastans, Canciam quoque, & Liburiam, nullo sibi valente resistere, peragrans, in campo Neapolitano tentoria fixit, plurimos quotidie interficiens, ac diuersas iniquitates exercens. Quo tempore Maielpotus Seodam Saracenus

Digitized by Google

ielpotus Teleſinus, & Vvandelpertus Bouianenſis Gaſtaldei, conducto Lamberto Duce Spoletino, & Gerardo Marſorum Comite, exierunt aduerſus eum cum de Capuæ populatione rediret, irruenteſq; ſuper illum marte aliquandiu ancipiti certauerunt. Ad vltimum verò Saraceni potiti victoria ſunt. Gerardo, & Maielpoto, atque Vvandelperto in acie ipſa peremptis, multis alijs captis, alijſq; necatis, propter quod maximam Seodam ſumens audaciam, cuncta in circuitu caſtella præter præcipuas ciuitates cepit, funditusq; deleuit.

Moris tunc erat Monachorum vtriuſque cœnobij, ſancti videlicet Benedicti, & ſancti Vincentij, charitatis gratia, diebus ſanctæ quadrageſimæ ſe inuicem viſitare: nam tanta tunc temporis dilectionis copula nectebantur, vt cum quoſdam de ſeruis ſancti Vincentij pars noſtri Monaſterij poſſideret: Itemq; illi quoſdam de noſtris, placuit vtriuſque Monaſterij Patribus, Berthario ſcilicet, atque Maioni, vt nequaquam diſcambiarentur, ſed ita, vt tunc erat eorum poſſeſſio, ſic ſemper intemerata maneret. Cumq; die quadam apud ſanctum Vincentium de more quidam à Caſſinenſi Monaſterio Fratres veniſſent, & de ſuo adinuicem ordine loquerentur: repente illuc Seodam nequiſſimus cum ſuis ſatellitibus ſuperuenit: cuius Monachi rumore comperto, mox ad caſtellum ſuum, quod Monaſterio erat proximum, maturato curſu, multum licet pauidi, incolumes tamen confugiunt. Saraceni verò Monaſterium ingreſſi, cuncta, quæ inuenerant, vaſtauerunt, plurima confregerunt, frumenta verò, & legumina in fluuium, qui ſecus effluit proiecerunt, fodienteſq; hic, atque illic vniuerſum Eccleſiæ theſaurum, quem illorum pauore Monachi iampridem abſconderant, repererunt. Bibebatq; ille nefandiſſimus Seodam in ſacris calicibus, & cum thuribulis aureis ſibi thurificari iubebat. Ita, proh dolor, incenſum à fulminandis illis præfatum ſancti Vincentij Monaſterium, Monachis partim occiſis, partim in diuerſa diſperſis, ad triginta vſque, & tres annos, ita deſolatum permanſit. Peſſimus verò Seodam poſt diem tertium vſque ad portas Capuanæ ciuitatis accedens, plauſtra onuſta, & animalia diuerſa cum

multis

Digitized by Google

multis hominibus cepit: veniensq; iuxta Teanum castrametatus est. Quo venerabilis Abbas Bertharius agnito, verens nimium tàm loco, quàm populo nequam illius aduentum, per Ragenaldum Diaconem suum aureos illi tria millia misit: sicq; eius ferociam mitigauit. Inde Seodam Venafrum contendens, eamq; post paululum capiens, ac viciniam cunctam deuastans, per aliquot dies ibi moratus est. Erat tunc initium quadragesimalium dierum, timentesq; Monachi nefandissimi, ac pessimi illius propinquitatem, omnes sursum ad Beatum Benedictum se contulerunt. Post paucos dies venit prope Monasterium, quod deorsum erat nequam illius exercitus quasi stadia duo, quod tamen ductoris euenit errore. Namq. dum vellent per montana ad Atinam descendere, vetulus quidam, qui eorum ductor erat descendit cum eis in Vallem rotundam, de hinc in rapidum. Cumq. in plana venissent, ingressi Ecclesiam sancti Heliæ tulerunt, quod inuenerunt. Inde per Circlarias in hortum donnicum, perq. Pascuarium in fontanam Lucij, venientesq. Peolam, senem illum, qui eorum viam fefellerat interfecerunt. Demum cesam Constantij, oliuetum, necnon & matronulam sollicitè perscrutantes, vaccasq. Monasterij, & equas quotquot inuenerunt diripientes, Venafrum ad suos reuersi sunt, ac non multo post Barium regressi.

CAPVT XXXV.

LANGOBARDI igitur videntes se se cœlitus pro suis iniquitatibus flagellatos, afflicti, ac demum necessitate arctati, tertio iam Legatos in Franciam ad præfatum Ludouicum transmittunt, exorantes, ac flagitantes, vt iterum venire, eosq. ac patriam à nefandissima Saracenorum gente dignaretur eripere. Ludouicus Rex generale edictum in vniuersas Regni sui partes dirigens, vt nullus omnino esset, qui se ab hac expeditione subtraheret. Anno Domini octingentesimo sexagesimosexto, immensum val- Anno 866

Digitized by Google

de congregauit exercitum, ſimulq. cum Donna Angerberga Auguſta coniuge ſua iter arripiens, Beneuenti fines per Soram ingreditur: ac menſe Iunio peruenit ad Monaſterium huius ſanctiſſimi Patris, quod deorſum eſt, vbi à venerabili Abbate Berthario, vniuerſis Monachis illi procedentibus, maximo cum honore ſuſceptus eſt. Die altera montem adoraturus aſcendit, ibidemq. magna nihilominus honorificentia à Fratribus eſt receptus. Cumq. vniuerſum cœnobium circumiens perluſtraſſet, & optimè ſatis ædificatum laudaſſet, præceptum confirmationis totius Abbatiæ (iuxta quod ſui prædeceſſores Imperatores iam fecerant) Beato Benedicto faciens, & regalia inibi conferens munera, Fratribusq. ſe multum commendans, deſcendit. Poſthæc, inde digreſſus, Capuam adijt, quam tribus obſeſſam menſibus cepit, & eam maxima ex parte deleuit. Inde perrexit Salernum: de hinc nauigauit Amalfim. Puteolos quoque pergens, eiuſdem vrbis lauacris, perq. Neapolim reuertens, Seſſulam adijt, demum apud vallem Caudinam caſtrametatus, non multo poſt ingreſſus eſt Beneuentum. Apud Luceriam porrò Apuliæ ciuitatem, vniuerſo ſuo congregato exercitu, conſequenter cum Saracenis congreditur. A quibus primo certamine ſuperatus, demum ex his opitulante Deo victoriam triumphalem adeptus, vniuerſis eorum caſtris potitur. Inde Barium contendens quatuor illam annis obſedit. Materam interim munitiſſimam illorum ciuitatem capiens, igne illam, ferroq. conſumpſit. Poſthæc venit Venuſiam, & tam in ea, quàm in Canuſio, pugnatorum præſidio poſito, Barium hinc inde cepit grauiter expugnare, ſicq; rediit Beneuentum. Ibi itaque cum in eius obſequio Abbas Bertharius moraretur, oratorium paruum, quod intra Monaſterium ſanctæ Sophiæ prædeceſſor ſuus Abbas Baſſatius inchoauerat, omni diligentia, ſtudioq; compleuit, & in honorem ſancti Patris Benedicti, à Stephano Teanenſis Eccleſiæ Præſule conſecrare fecit. Tunc temporis prædictus Rex Beato Benedicto præceptum fecit de vna curte ſua nomine Laianu in loco, qui dicitur Turturitus, & de ſancto Georgio cum omnibus rebus, & pertinentijs eorum. Cum autem Saraceni Barium degentes, vndique

Digitized by Google

dique angustati ad extremitatem vltimam peruenissent, misso Imperator exercitu, & ciuitatem, & Scodam cum suis omnibus cepit, eosq; vniuersos gladijs trucidari iussit. Deinde Tarentum obsideri è vestigio iussit: nam & ipsam olim idem nequissimi ceperant. Interea duo quidam Comites, nisi sunt in Imperatorem insurgere: quod cum cognouisset Imperator, persecutus est eos vsque Marsiam, vbi illi non audentes consistere fugerunt Beneuentum. Imperator autem dum illos persequitur, venit Iserniam, quam tentantem resistere, expugnauit, & cepit. Inde Aliphas pertransiens, & per Telesiam venit ad ciuitatem, quæ nominatur sanctæ Agathæ, quàm per dies plurimos, quoniam capere non poterat, obsidebat. Tandem Bertharius Abbas, quoniam Hisembardus Gastaldeus, qui ipsam ciuitatem obtinebat eius consanguineus erat: apud Imperatorem pro illo interueniens, & illi gratiam, & ciuitati veniam impetrauit. Adelchis etiam Beneuentanus Princeps ad pedes eiusdem Imperatoris prostratus, tàm præfatis, qui fugerant, quàm etiam sibi, qui eos recipere præsumpserat, ipsius Imperatoris gratiam adquisiuit. Ludouico apud Beneuentum posito, Adelchis Princeps ipsius ciuitatis diaboli inuidia ductus inuenta occasione, quod Franci multa in ciuitate insolenter agerent, aduersus eum securè degentem protinus insurrexit, eumq; capiens custodiæ mancipauit, cunctos milites illius dispolians, fugere compulit. Sed non in longum Deus passus est innocentem hominem frustra affligi, moxq; intra quadraginta dies innumerabili Saracenorum exercitu ab Africa aduentante, Ludouicus è custodia ex templo dimissus est, & sacramentis obstrictus, recedens a Beneuento, intra tres dies abijt Barulum, ibiq; per menses circiter vndecim remoratus, interim per quosdam suos Comites, primo tria millia, de hinc nouem millia fermè, Saracenorum apud Capuam interemit. Post hæc eo aduentante Capuam, Saraceni cognito eius aduentu, relinquentes Principatum, Calabriam adeunt, eamq; funditus depopulantes, conscensis nauibus, ad sua (maximam tempestatem perpessi) quotquot euaserunt reuersi sunt.

Digitized by Google

CAPVT XXXVI.

PER idem tempus, cum idem religiosus Imperator secus Insulam Piscariæ, quæ est intra confinia Pennensis Comitatus transitum habuisset, eiusq; oculis locus ipse, quondam Casa aurea nuncupatus, valde complacuisset, & seruorum Dei recessibus aptissimum iudicasset, & ab Episcopis Valuensi, atque Pennensi Ecclesiam inibi ad honorem sanctæ Trinitatis construi iussit, & religiosos viros in eodem loco ad Dei seruitium congregari. Quo facto, plurimis eandem Ecclesiam, ac diuersis beneficijs per diuersa loca, quemadmodum ipsius munimina continent, imperiali largitate donauit, suamq; memoriam semper ibi habendam satis deuotus indixit. Postmodum verò ab eiusdem loci Abbatibus Ecclesia ipsa ampliata, & sancti Clementis vocabulo est sicut placuit appellata. Hic idem christianissimus Imperator Ludouicus, circa hoc tempus Monasterium sancti Angeli iuxta fluuium Sangrum, quod Barregium dicitur, iuxta tenorē præceptorum antecessorum suorum Caroli, atque Lotharij, suo quoque præcepto roborauit, confirmans omnia, quæ tàm in circuitu suo, quàm & in pago Marsorum, atque Valua, Theate quoque, & Penne, atque Aprutio, necnon & Asculo multipliciter possediſſe antiquitus videbatur: videlicet in Marsia cellam sanctæ Mariæ in Fundo magno cum omnibus sibi subiectis Ecclesijs, vel rebus. Sanctum Euticium in Arestina: cellam sancti Pauli supra ipsam ciuitatem Marsicanam: sanctæ Mariæ in Oretino: sancti Gregorij in Paterno: sanctæ Mariæ in Montorone: sancti Saluatoris in Auezzano: sancti Antimi ad Formas: sancti Angeli in Alba: sancti Cosmæ in Ellerito: sancti Angeli in Carzolo, cum duabus cellis suis. In Valua Ecclesiam sancti Petri in Barbarano: sancti Saluatoris supra Flumen: sancti Angeli ad Aquam viuam: sancti Angeli ad Floretum, & cellam, quæ est inter aquas posita: sanctæ Fœlicitatis in Furcona: In Penne Ecclesiam sanctæ Mariæ in Cerqueto, & Peticianum: in Aprutio Monasterium sancti Angeli de Marano,

cum

Digitized by Google

cum omnibus cellis, vel rebus suis. In Asculo, Ecclesiam Domini Saluatoris, quæ dicitur Caput aquis, cum omnibus pertinentijs suis: sancti Angeli de Stabulo: sancti Angeli de Feltriano: sancti Petri in Pectiniano, Curtem de casa Perende, vicendas duas magnas, necnon & seruos, & ancillas multas diuersis in locis, & alia plurima, quæ suis muniminibus continentur.

CAPVT XXXVII.

EO etiam tempore Radoald Gastaldeus in Aquinensi villa secus Pontemcuruum castellum construxit, quod videlicet ab eiusdem Pontis situ, & nuncupatione Ponscuruus nomen retinuit. Præfatus autem Imperator cum per annum ferè Capuæ remoratus fuisset, sublato corpore Beati Germani eiusdem ciuitatis Episcopi, demum Franciam est reuersus: moratus per diuersa loca, in partibus istis per annos circiter sex.

CAPVT XXXVIII.

CVMQ. in reuersione sua apud sanctum Apollinarem Rauennæ remoratur, adijt eum Angelarius tunc Monasterij huius Præpositus, proclamationem faciens de cella sanctæ Mariæ in Maurinis, sita in Comitatu Pennensi, quàm videlicet Hildebrandus Dux tempore Caroli Regis ante centum circiter annos, interueniente Beniamin Monacho in hoc cœnobio, præcepto suo firmauerat: modo verò essent aliqui, qui quasi ex parte ipsius Imperatoris res ipsas se tenere astruerent: mox Imperator, rei eiusdem cognita veritate, & prædicti Angelarij precibus inclinatus scripsit, & Imperiali auctoritate præcepit, vt nullus deinceps ex eadem cella aliquid retinere, vel attentare, neque ex sua, neque ex alicuius alterius parte præsumeret, sed quieta, & omnino libera in Anno 872

Digitized by Google

priſtinum dominium cœnobij noſtri rediret, cum portu ſcilicet ſuo, & foce de Vomano, & cum omnibus omnino pertinentijs, ſuisq; finibus. Id eſt ab Atria vſque Vomanum, & vſque in fluuium, qui dicitur Plomba, & vſque in mare cum ipſo littore ad piſcandum, & cum Gualdo de Boleiano modia videlicet terræ inſimul vndecim circiter millia. Inſuper etiam præcepit Celſo cuidam Præpoſito, & Grinaldo Epiſcopo, vt ſimul cum eodem Angelario mox venirent, eumq; ad vtilitatem loci huius, & ex parte ſua de his omnibus inueſtirent, præcepto, & ſigillo ſuo ſuper hoc illi conceſſo, ne quis vnquam iſta remouere præſumeret. Circa hos dies Pargolfus Præpoſitus noſter de ſancta Sophia proclamauit in placito Heroici Iudicis Beneuentani ſuper quendam Lioprandum de Curte, quæ eſt in ioco, qui dicitur Pantanum ad vicum de Atriano: quam idem Lioprandus dudum inuaſerat, & oſtenſa ratione qualiter quidam Vrſus vna cum vxore ſua, Venera nomine, obtulerat eam, cum omnibus rebus ſubſtantiæ ſuæ in Eccleſia ſancti Benedicti, quæ conſtructa eſt, iuxta Beneuentum in prædicto loco Pantano: cella huius cœnobij, iudicante prædicto Heroico recollegit eam. Per hos etiam dies Adelchis Princeps Beneuentanus, rogatus à Criſcio Præpoſito ſanctæ Sophiæ, per præceptum conceſſit huic Monaſterio totam omnino ſubſtantiam Potonij cuiuſdam nobilis cum omnibus rebus, ac pertinentijs ſuis. Idem quoque Præpoſitus alio præcepto acquiſiuit ab Aione Principe cuncta, quæ Poto Gaſtaldeus filius prædicti Potonis poſſidere videbatur, in pertinentijs Alifanis, & Teleſinis, ad opus videlicet, & vtilitatem Monaſterij huius. De terris nihilominus præfati ſancti Benedicti de Beneuento, quæ ſunt in Valle de Caudis, idem Præpoſitus in præſentia Principis Adelchis ſuper Rodelgrimo quodam, qui eas fraudulenter retinebat proclamans, protinus illas recepit: data ab eodem Principe publica iuſſione, ne quis eſſet deinceps, qui abſque noſtri Abbatis licentia aliquas terras noſtri Monaſterij aliquo modo reciperet: propterea, quia prædictus Rodelgrimus, decepto Amelfrid Monacho noſtro: inſcio Abbate, quaſi ſub libello eaſdem terras receperat. In præſẽtia quoque Ludouici Iudicis proclamauit

Digitized by Google

clamauit super Guandelmario quodam infantulo de vna curte Monasterij sanctæ Sophiæ, in loco, qui dicitur Fassone, prope Beneuentum: quam idem Infantulus retinebat, eiusq; illam iudicio recollegit. His etiam diebus Benedictus, & Sichardus germani fratres de Salerno obtulerunt in hoc Monasterio omnem hæreditatem suam, quam habebant apud Theanum in loco, qui dicitur Scatunianus, & Purpuranus cum omnibus ex integro pertinentijs eius.

CAPVT XXXIX.

NON multo post igitur, receptis viribus Saraceni Tarentum obtinentes, exinde Barium, cæteraq; confinia acrius infestare cęperunt. Interea Salernitani, Amalphitani, Neapolites, & Caietani, fœdus cum Saracenis componentes, Romam nauali-bus deprædationibus angustabant, propter quod Carolus tunc Imperator, Iulictę scilicet filius, à Ioanne octauo Papa multis Epistolis interpellatus, Lambertum Ducem, & fratrem eius Guidonem illi in auxilium destinauit, cum quibus idem Apostolicus Neapolim, Salernumq; profectus est: sed Guaiferius Salernitanus Princeps in omnibus Papæ obtemperans, & fœdus Saracenorum dirupit, & ex eis plurimos trucidauit. Sergius verò Dux Neapolitanus nolens se ab eis alienare, mox ab Apostolico excommunicatus est: ac non multo post, vindice Deo, à fratre proprio Athanasio Episcopo captus, atque excæcatus, Romam transmissus est. Idē verò frater eius Athanasius Dux in loco illius effectus, pace cum Saracenis firmata, eosq; iuxta Neapolim collocans, tàm Beneuentum, quàm Capuam, atque Salernum, Romam quoque, necnon Spoletum deuastare cum eis acriter cępit, multaq; tunc temporis Monasteria, & Ecclesiæ cum villis, & vrbibus incensa, ac desolata sunt.

ADNOTATIO.

EA, quæ hoc capite narrat Leo, contigerunt sedente in Petri cathedra Ioanne octauo, anno Pontificatus eius

Digitized by Google

Anno 877 *quinto, Domini verò octingentesimo septuagesimo septimo. Sed sciendum, duos fuisse in Ecclesia Neapolitana Episcopos Athanasij nomine insignitos, sibiq. inuicem succedentes. Primus fuit vir sanctissimus, cuius nepotes fuere Sergius hic Dux Neapolitanus, & Athanasius frater eius, qui eum luminibus priuauit, vt Leo in præsenti docet. Ille ergo prior Athanasius, quem ciues Neapolitani eximiè colunt, atque vt patronum venerantur, quiq, diram persecutionem à præfato Sergio Duce diù perpessus est, anno Christi octingentesimo septuagesimo secundo, Adriano secundo sedente, anno eius quinto, idibus Iulij migrauit ad Dominum, ascriptusq. est eo die in Martyrologio Romano his verbis. Neapoli in campania sancti Athanasij eiusdem ciuitatis Episcopi, qui ab impio nepote Sergio multa passus, Verulis confectus ærumnis, migrauit in cœlum, tempore Caroli Calui. Huius obitum describens Petrus Diaconus Casinensis, eius vitæ scriptor, sic ait: Post hæc vir sanctus ab Adriano Papa vale faciens, ad Ludouicum Imperatorem tunc in Sabinis remorantem profectus, & ab eo cum ingenti honore susceptus, & cum eo Romam regressus, hortatu iam dicti Apostolici cum Imperatore ad Saracenos expugnandos, & sedi suæ restituendus profectus, ad ciuitatem Verulanam deuenit: in qua tertio Kal. Iulij celebrauit diem Apostolorum. Peracta missa cæpit febribus anhelare, & perfractus ab eadem infirmitate, Deo dignus, & charus Athanasius è carnea subtractus est fece, & suo Creatori nouissimum reddidit Spiritum, in Oratorio sancti Quirici, quod bis senis millibus à Monasterio sancti Benedicti in Cassino distat, idibus Iulij, indictione quinta, regnante Basilio Imperatore Constantinopolitano. Præfatus autem venerabilis vir ante Episcopatum vixit annos decem, & octo (ita illorum temporum sacrorum canonum contemptus ferebat, & corrupta Ecclesiastica disciplina fieri sinebat) in Episcopatu verò sedit annis viginti duobus, & in angustijs huius sæculi fuit mensibus viginti vno. Inde portatus est ad montem Cassinum flentibus omnibus, sed exultantibus Angelis. Quem suscipiens omnis sancta congregatio illius Monasterij, dignè, & decentissimè sanctissimum eius corpus condidere, in Ecclesia Beati Principis Apostolorum, quæ ab Archisio*

Digitized by Google

chiſio Rege conſtructa eſt, & iungitur Baſilicæ ſancti Benedicti. Vbi exuberant multa mirabilia per eum ad laudem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vſque in præſentem diem. Hæc Petrus Diaconus.

CAPVT XL.



IS diebus Capuani expulſo Landulpho quodam Canonice in Epiſcopatum electo, Landenolfum quendam de ſuis nobilibus coniugatum, atque Neophytum, ſibi Epiſcopum elegere, multisq; precibus præfatum Papam decipiunt, vt illis Epiſcopus ſaceraretur. Qua propter venerabilis Abbas Bertharius, & Leo Epiſcopus Theanenſis Romam profecti cæpere obſecrare ſummum Pontificem, vt hac in re nullo modo flecteretur, vnde grauis in Populo Capuano ruina, & multa ſanguinis effuſio fieri deberet. Et expreſſius, inquit Abbas, ò vir Apoſtolice noueris, quia ſi hoc conſenſeris, maximum profectò ignem, & vſque ad te pertingentem accendis. Et primo quidem Apoſtolicus tanti viri conſtantia territus eſt; poſtremò tamen præualuit iniquiras, & prædictus Neophytus eſt in Epiſcopum conſecratus. Hac ciuili diſcordia Saraceni opportunitatem nacti, rurſus vniuerſa diripiunt, iterum cuncta deuaſtant, propterea idem Apoſtolicus bis Capuam eſt venire coactus. Videns igitur palam ſibi contigiſſe, quæ noſter Abbas prædixerat, valde pœnituit, ac demum habito conſilio, Landulfum (quem ſupra expulſum retulimus) in Eccleſia Beati Petri Apoſtoli in Capua vetere Epiſcopum conſecrauit. Landenulfum verò Eccleſiæ Capuanæ præeſſe conſtituit, cũctumq; Epiſcopatum inter vtrũq; diuidi æqua lance mandauit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XLI.

PER hos dies ſupradictus Princeps Guaiferius languore correptus, Monachus factus eſt, rogans ſe ad hoc Monaſterium ferri, ſed quoniam propter Saracenorum incurſionem hue deferri non potuit, defunctus, in Monaſterio noſtro apud Theanum corpus ſuum humatum eſt.

CAPVT XLII.

POST HAEC Pandenolfus, qui tunc Capuę pręerat, in Papæ fidelitate conſiſtens, rogauit eum, vt ſubderet dominatui ſuo Caietam. Nam Caietani eo tempore Romano tantum Pontifici ſeruiebant, quod prædictus Papa dum conceſſiſſet, cępit idem Pandenolfus, ita Caietanos acriter incurſare, vt vel vſque ad Molas illis egredi non daretur. Docibilis quidam tunc illis in ducem præerat, qui tantum dedecus ſibi, ſuiſq; illatum minime ferendum ducens, miſit Agropolim, & Saracenos ibi degentes aſciſcens, primo conduxit eos marino itinere ad Lacum Fundanum, in locum, vbi ſancta Anaſtaſia vocatur, & inde per fluuium aſcendentes vſque Fundis, ibi quaſi de vagina gladius, ſcaphis egreſſi, & cuncta in circuitu depopulantes, tandem Caietam peruenerunt, & in Formianis collibus ſua caſtra componunt. His Papa auditis, illico pęnitentia ductus, blandis alloquijs, & Epiſtolis, necnon & pollicitationibus multis cępit conuenire Caietanos, quatenus ſibi reconciliarentur, & à Saracenis ſequeſtrarentur. Cuius demum monitis Docibilis obſecundans, rupto fœdere cum Saracenis bellum inijt, in quo bello Caietanorum plurimi, & cęſi, & capti ſunt. Rurſus tamen Saraceni pacem à Docibile poſtulantes, accipiunt, redditisq; captiuis, in Gariliano ab eodem Docibile ad habitandum directi ſunt: vbi per quadraginta fermè annos degentes, innumera circumquaque mala geſſerunt, multumq; Chriſticolarum ſanguinem effunderunt.

Digitized by Google

funderunt. In quo videlicet loco frequenter à diuersis nostris Principibus requisiti, & oppugnati, sed iudicio Dei, vsque ad prædictum tempus in expugnati mansere.

CAPVT XLIII.

PER idem tempus Monasterium Beati Patris Benedicti, vbi sacratissimum eius corpus humatum est, à prædictis Saracenis inuasum, destructum, atque incensum est, pridie nonas Septembris, anno incarnationis Dominicæ octingentesimo octogesimoquarto, indictione secunda. Nec multo post vndecimo videlicet Kal. Nouembris, Monasterium maius, quod deorsum erat, similiter occupauere, deuastauere, & incendere, multosq; inibi perimentes, ipsum etiam sanctum, & venerabilem Abbatem Bertharium iuxta altarium Beati Martini gladio trucidauere. Cumq; eandem Domini Saluatoris Ecclesiam, diuersis in locis, igne submisso exurere molirentur, Dei iudicio, id perficere nequiuere, sicq; ea tantum de toto hoc Monasterio Saracenorum flammis erepta, illi Monasterij spolijs onustati, lætantes, triumphantesq; Garilianum reuersi sunt. Monachi verò quicquid suppellectilis, vel thesauri, seu & muniminum huius Monasterij surripere potuerunt assumẽtes, vna cum Donno Angelario tunc temporis eorum Præposito, Theanum habitaturi proficiscuntur: eundemq; Angelarium sibi constituentes Abbatem in cella, quæ ad Beati Patris Benedicti honorem dudum ibi constructa fuerat, manere cepere, Anno & indictione suprascripta. Sepultus verò est supradictus sanctus martyr Christi Bertharius sursum iuxta Ecclesiam sancti Benedicti in capitulo Fratrum.

Anno 884

Monachi Cassinenses Theanum proficiscuntur.

CAPVT XLIV.

NON autem videri superfluum est, si hoc in loco memoratorium, quod prædicti Abbatis Bertharij studio gestum reperimus de rebus, & cellis huius Monasterij apud Marchiam, in Theate dumtaxat, & Penne constitutis, quæ Beato Patri Benedicto à san-

Digitized by Google

à ſanctæ memoriæ Regibus, Carolo, Pipino, Lothario, atque Ludouico, ſeu à cæteris quibusq; fidelibus hactenus conceſſa noſcuntur, annectimus. Quandoquidem quæ ſpecialiter à ſingulis quibusq; collata ſunt, incenſis pleriſque eorum oblationibus ignoramus. Primum ſcilicet eſt Monaſterium ſancti Liberatoris, quod ſitum eſt in Comitatu Theatino ſupra fluuium Laentum, ad radicem montis, qui dicitur Maiella, cum Eccleſia ſancti Angeli, quæ eſt in latere montis plani, cum integro eodem monte, & cum caſtello ſancti Angeli cum vniuerſis ſuis pertinentijs, & curte, quæ dicitur caſale Prandi, & curte de Garifuli, & caſtello ſancti Petri, & curte ſancti Ianuarij, & Valle plana, & Luciano, cum omnibus omnino pertinentijs, ac rebus ſuis, intra hos videlicet fines. Ab vno latere finis Torrens, vbi dicitur Cripta latronis, qui eſt ſub ipſo monticello, vocabulo Saracenico, qui modo nominatur prætorium, & quomodo aſcendit inde ad ipſum Staphilum de Maiella, qui diuidit inter regalia, & cauſam ſancti Benedicti. De alio latere quomodo deſcendit inde in aquam Fraſſiningam, & ſicut mittit in Riuum, qui dicitur Baccinium; hinc verò ab ipſo foſſato in puteum de Capetano, inde in foſſatum ſancti Ianuarij, & in Roſentem. De alio latere finis Biſara, inde in viam, quæ vadit in lacunam ſupra ſanctum Donatum, hinc in Ficarium, inde in foſſatum de ſancta Lucia, & aſcendit per aquam frigidam in limitem de monte plano, & ſicut vadit ſub ipſis limitibus in foſſatum Garifuli, & ita mittit in Laento. Inter quos vtique fines nullam omnino ſibi reſeruationem prædicti Reges facere, quia tota hæc pertinentia regalis fuit, excepta Eccleſia ſancti Vitalis cum pertinentia decem dumtaxat modiorum, quæ pertinet ad Epiſcopum. Deinde Eccleſia ſanctæ Mariæ in Baccinio cum pertinentia ſua. Eccleſia ſancti Felicis in Paſtoricio cum finibus, & pertinentijs ſuis, quæ habet fines ab vno latere flumen Piſcariæ, de altero Lauinum, de altero Ripas de Turri, cum ipſa curte, ibi eſt Eccleſia ſancti Benedicti; de altero verò fontem de Troia, quomodo deſcendit in Lauinum. Eccleſia ſancti Viti ſupra flumen Lauinum. Eccleſia ſancti Heliæ in Sclangario, cum pertinentia ſua, quæ eſt viginti millia modiorum.

Monaſterium ſancti Liberatoris.

Bona, quæ obtulit Yſelgarda Comitiſſa

Digitized by Google

dorum. Curtis de Caromanico. Monasterium sancti Comicij iuxta riuum Arullum, cum multis possessionibus. Ecclesiam sancti Fœlicis in Puluerio, tum medietate ipsius curtis per fines suos, ideſt ab vno capite montem, ab altero prædicta Piscaria, ab altero Terra sancti Thomæ, ab altero Rosentem, quomodo mittit in Piscariam. Quæ omnia Yselgarda Comitissa obtulit Beato Benedicto. Ecclesiam sancti Calixti, sancti Mammetis, cum tota curte de Iliano, sancti Marci, sanctæ Mariæ in Pontiano cum terræ modijs sexcentis. Insula, quæ est intra Pomarium, & castrum, quod dicitur Calcaria, cum terra modiorum circiter quadringentorum. Ecclesia sancti Eleutherij, & sancti Pauli, in pertinentia de Boclanico, loco qui dicitur Rupi, cum terra septingentorum octoginta modiorum. Ecclesia sancti Erasmi in Cerretu plano, cum pertinentijs, & finibus suis, ac molendinis omnibus, quæ intra ipsos fines constructa sunt, cum Ecclesia sancti Saluatoris, & sancti Martini, Ecclesia sancti Benedicti, & sanctæ Mariæ, & sancti Comicij, & sancti Siluestri in loco qui dicitur Orni, cum omnibus finibus, ac pertinentijs earum. Hanc Ecclesiam sancti Siluestri construxit quidam Rainedius, & obtulit eam Beato Benedicto cum omnibus pertinentijs suis intra hos fines. Ab vno latere ipsa Benna, ab altero latere septem viæ. Ab altero alia Benna, quæ se simul coniungunt. Fara maioris, & Fara, quæ dicitur Binna cum finibus, & pertinentijs earum. Maio etiam, qui fuit consanguineus Poteriti Præpositi sancti Liberatoris, sub prædicto Abbate, obtulit in hoc Monasterio eamdem Faram, quæ continens est insimul quinque millium octingentorum modiorum terræ. Curtem sancti Calixti cum omnibus suis, Ecclesiam sancti Petri in loco, qui dicitur Mallianellum cum omnibus pertinentijs, ac finibus suis, ideſt à capite Fossatum della vite, à pede viam de ipso puteo, ab vno latere Bennam, ab altero fluuium de Argelli, quàm etiam prædictus Malo hic obtulit. Intra quos fines est Ecclesia in honore sancti Mauri, & Monasterium sancti Renati, quod situm est inter Antonianum, & Pizzum coruarium, cum omnibus pertinentijs suis. Ecclesia sancti Calixti supra ipsum Laentum, in loco qui dicitur

Vallis

Vallis, cum terra modiorum ſex millium ſexaginta. Eccleſia ſanctæ Mariæ ſupra Faram de Laento, cum pertinentia ſua. A capite videlicet via, à pede Laentum, ab vtroque latere foſſatum. Eccleſia ſancti Sauini in Treuanico, & ſancti Clementis in Plombata. Eccleſia ſancti Saluij ibidem. Qui videlicet Saluius ex Campania natus, huius Monaſterij extitit monachus, & tenuit prædictam Eccleſiam ſancti Clementis in obedientiam, vbi cum defunctus fuiſſet multa mirabilia Deus ad ſepulchrum illius eſt operatus. Sanctæ Mariæ in Fluuio Foro, loco qui dicitur Cannetum, cum terra modiorum quatuor millium ſexaginta. In ipſa aqua de eodem Foro molendina quatuor. Eccleſia ſancti Petri in Iollianu, cum mille quadringentis modijs terræ. Monaſterium ſancti Seuerini. Eccleſia ſanctæ Mennæ in pertinentia de Ripe. Sancti Andreæ in colle de Alue. Sancti Petri in loco, qui dicitur Ari. Curtis, quæ vocatur Feneſtre. Eccleſia ſancti Angeli ante ciuitatem Ortonam, cum modijs terræ octingentis. Caſtellum de Vngo cum tota pertinentia ſua, & intra ipſam pertinentiam Groſſe, & medietas de ciuitate Tazze, cum tota pertinentia de Rapini, & Comino. Eccleſia ſanctæ Crucis in pertinentia de ipſa Roma, cum mille quingentis terræ modijs, & medietatem ipſius caſtri de Caſale, cum pertinentijs ſuis. Monaſterium ſancti Pancratij cum tota pertinentia ſua. Caſtellum de Preta, & Geſſi, & Ciuitella, & Vallis ſancti Martini, cum omnibus pertinentijs eorum. Eccleſia ſancti Petri in ciuitate Theatina vetere, & ibidem iuxta, Eccleſia ſancti Pauli. Eccleſia ſanctæ Theclæ intra eandem ciuitatem nouam cum ipſa porta, quæ reſpicit ad Orientem, quæ hactenus porta monaciſca vulgo vocatur. Eccleſia ſancti Theodori, & Eccleſia ſancti Saluatoris intra ciuitatem Aternum, cum medietate de ipſo portu, quem ſupradicta Yſelgarda Comitiſſa obtulit ſancto Benedicto.

S. Saluius Monach. Caſſinas.

Yſelgarda Comitiſſa

In Comitatu verò Pennenſi Eccleſia ſancti Fœlicis in Stabulo: campus de Gaie: Monaſterium ſancti Benedicti in Lauriano, & ſanctæ Scholaſticæ iuxta fluuium, qui dicitur Tabem, cum integra curte de Moſcufo, & curte de Gomberuti, & Eccleſia ſancti Angeli in Galuanico, cum integra ipſa

Digitized by Google

ipsa curte, & medietate de castro Laureti, ab ipsa videlicet Pila, quæ in eiusdem castelli medio sita est, quomodo descendit in fossatum de Rosicele, cum Ecclesia, quæ ibi constructa est in honore sancti Fœlicis, & vsque Triuium, quod est super sanctum Fœlicem, & sicut pergit per ipsam Vallem in fossatum de Doreniano, & sicut ipsum fossatum descendit in flumen Tabe, & qualiter per ipsum flumen ascendit vsque ad Paternum, vbi est Ecclesia in honore sanctæ Mariæ, & sicut rectè ascendit in ipsum fontem de Laureto, & sic venit ad prædictam Pilam: intra quos fines nulli omninò aliquid pertinet, nisi tantum Monasterio Cassinensi. In Colle alto sex peccię de terra per maximæ: medietas villæ de Lauerano: medietas de Podio Pollecanti: tertia pars de castello Cese: medietas castri de colle Maio: Ecclesia sancti Martini in Genestrula cum tota curte: Ecclesia in Salaiano cum mille septingentis modijs terræ: quarta pars de ciuitate Quana: medietas curtis de Viculo: curtis de Carpeneto cum montanis, & planitijs magnis: in pertinentia de Ciuitella, tria millia modiorum terræ: Monasterium sancti Petri in Castroniano, cum Ecclesia sanctæ Ciciliæ, cum omnibus pertinentijs suis, & plurima alia, quæ hic scribere supersedemus.

Quæ videlicet omnia vsque ad id tempus Abbates huius loci, siue ad ius Monasterij retinebant, siuè libellario nomine ad censum nonnullis concesserant.

CAPVT XLV.

ANGELARIVS Abbas à Beato Benedicto vicesimus, sedit annis sex. Hic (sicut supra iam diximus) de Præpositura huius Monasterij Abbas apud Theanum effectus, post biennium cæpit paulatim restaurare Monasterium Domini Saluatoris, quod à Saracenis incensum superius diximus. Fuit autem temporibus Aionis Principis Beneuentani, & Stephani quinti Papæ, & successoris eius Formosi, quem videlicet Formosum, Stephanus Papa, qui ei succes-

Formosus Papa.

ſucceſſerat, ſepulchro ſuo exthrai, abijciq; mandauit; cunctasq; ipſius ordinationes irritas eſſe ſtatuit, pro eo ſcilicet, quod cum Oſtienſis (aliàs Portuenſis) Epiſcopus eſſet, contra ſanctorum canonum decreta, Apoſtolicam ſedem inuaſerat. Sub hoc Abbate oblata eſt in hoc Monaſterio terra illa, quæ nuncupatur Brezze, prope Capuam, quod eſt pratum magnum, & ſilua à quodam Caſtulo eiuſdem loci habitatore. Hermefrid quoque ciuis Aſculanus, vir dines Subdiaconus officio, obtulit ſeipſum per capillos capitis ſui Præpoſito noſtro nomine Vuamelfrid, cum omnibus omnino mobilibus, & immobilibus ſuis de partibus illis. Quidam etiam Ingius nomine de Beneuento expeditionem Romæ facturus, obtulit huic ſancto cœnobio res ſuas. Id eſt curtem vnam de loco, qui dicitur Turri: aliam de loco, qui dicitur Murete. Aliam verò in loco Mattici, cum vniuerſis finibus, ac pertinentijs illarum. Sed & Vvalamir quidam eiuſdem ciuitatis indigena ſeipſum in hoc loco ad monachatum tradens, obtulit in Eccleſia ſancti Benedicti de Beneuento, vbi dicitur ad Xenodochium, cella huius cœnobij: curtem vnam magnam in finibus de Ariano: loco, qui dicitur Tricium, cum omnibus ex integro curtis ipſius pertinentijs. Huic Abbati Adelmarius quidam Capuanus vendidit integram curtem ſuam in loco Anglena prope Eccleſiam ſancti Vincentij nobis pertinentem, cum campis, & ſiluis, & pratis, & terris omnibus ad ipſam curtem pertinentibus.

Athanaſius iunior Epiſcopus Neapolitanus.

Eodem tempore Athanaſius Neapolitanus Epiſcopus manifeſtauit ſe Monaſterio huic de obedientia noſtra in caſa Gentiana, vt nullam ibi poteſtatem, neque ipſe, neque ſucceſſores ſui habeant, vel licentiam in ea aliquem ordinandi, vel conditionem ponendi; ſed ſicut antiquitus nobis pertinuit: ita deinceps in noſtra ex integro poteſtate, & ordinatione rediret. Per idem tempus Laurentius Diaconus, & monachus noſter, Præpoſitus Monaſterij ſanctæ Mariæ de Cingla: fecit concambium cum quodam Landoario Capuano de quibuſdam Terris in Caluo, & Calinulo, cum licentia, & conſenſu præfati Abbatis, & Radelchiſæ Abbatiſſæ. Idem quoque fecit, & Ioannes Sacerdos, & monachus,

ac

Digitized by Google

ac Præpositus præfati Monasterij de Cingla de quibusdam alijs Terris eidem Landoario, per licentiam nihilominus, & consensum eiusdem Abbatis Angelarij, & Abbatissæ Gaitrudæ. Prædictus autem Abbas non multo post, defuncto his diebus Episcopo Theanensis Ecclesiæ: in eadem ciuitate à clero, & populo electus, & ordinatus est. Vbi etiam & defunctus est, & sepultus nonis Decembris.

ADNOTATIO.

ADmonendus mihi est Lector, ne forte nominum æquiuocatione decipiatur, Formosum Papam, de quo hic fit mentio, sediſſe inter duos Stephanos, sextum videlicet, & septimum, quos plerique (inter quos est Leo noster) quintum, & sextum numerant, ea ratione, quam supra in Adnotatione super caput octauum retulimus. Vnde rectè asserit Leo, Stephanum Formosi successorem ea commisisse, quæ hic de ipso narrantur: de quibus consule Cardinalem Baronium tomo decimo anno 897. Ex his ergo cessant ea, quæ aduersus Leonem dicuntur à Baronio eodem tomo anno 891. Argumentatur enim iuxta ea, quæ in Chronico Cassinensi impresso perperam scripta legerat. Baronius tom. 10.

CAPVT XLVI.

RAGEMPRANDVS primo & vicesimo loco Abbas electus, in eodem Monasterio Theanensi, sedit annis nouem, mensibus decem. Qui videlicet Abbas Ioannem Papam nonum, vti sibi more prædecessorum suorum priuilegium faceret petijt, & accepit. Hoc præsidente, Adelgarius quidam nobilis obtulit Beato Benedicto apud Theanum cum oblationibus Herchempertum filium suum, docilis ingenij puerum. Quo tempore Græcis, ac Neapolitanis Capuam obsidentibus: idem Herchempertus cum alijs septem fratribus à Theano Capuam tendens, iuxta Anglenam omnes à Græcis exequitati, & spoliati pariter Anno 890

Digitized by Google

sunt, & famuli eorum capti, & famulis quidem argento redemptis, & quinque equis recollectis: ipse solus (sicut idem de se refert) cum magistro suo pedes remansit, sicq; ciuitatem intrauit. Post hæc cum Atenolfus Gastaldatum adeptus, omnia, quæ iuris nostri Monasterij erant in terra capuana Fratribus abstulisset: præfatus Herchempertus Romam hac de re ad venerabilem Papam Stephanum transmissus, & Apostolicam benedictionem detulit, & priuilegium sancto Cœnobio obtinuit, & supradicto Gastaldeo commonitorias litteras, vt vniuersa, quæ abstulerat protinus redderet, nisi excommunicationis vellet subire sententiam, attulit. Quas ille suscipiens, paruit, & omnia, quæ nobis abstulerat ex integro restitui iussit. Hic etiam Atenulfus eidem Papæ Stephano iam dudum per Maionem Abbatem sancti Vincentij suggesserat, vt si ei contra Saracenos Gariliano residentes ferret auxilium, ipse & Caietanos omnes, quos nuper ceperat, redderet, & ei fidelitatem firmissimam faceret. Sed quia Papa nequiuit implere, quod ille petierat, neque ipse quoque fecit, quod Papæ mandauerat. Theophilactus quoque Stratigo ijsdem diebus à Bario Theanum cum exercitu veniens, eosdem Saracenos nisus est aggredi: sed nil præsumens, ad propria repedauit. Hic Abbas concessit Ageltrudæ Augustæ, quæ fuit mater Lamberti Regis libellario more, diebus tantum vitæ ipsius, duas cellas huius Monasterij, cum omnibus rebus suis in finibus Lombardiæ: vnam in loco, qui dicitur Laude, & alteram in Persiceta: vnde per singulos annos mittebat illi eadem Augusta, census gratia tres libras argenti. Fecit etiam libellum Gotfrido cuidam Marsicano, de sancto Gregorio in Seruiliano cum seruis, & ancillis, & omnibus omnino rebus, ac pertinentijs eius in eodem Comitatu Marsorum: pro quo annualiter recipiebat censum tritici modia quindecim, & quindecim modia de vino, & pisces centum, in mense Octobrio. Per hos dies Sichelfrid quidam Capuanus reddidit huic Monasterio inclytam curtem in loco Patenara, quàm auus eius à Bassatio Abbate per scriptum conuenientiæ retinebat.

C A-

Digitized by Google

CAPVT XLVII.

IVVS autem Abbatis septimo anno, indictione decimaquarta. Monasterium, quo in Theano Fratres degere cęperant, occulto Dei iudicio ab igne crematum est, cum omnibus opibus suis. Vbi etiam & regula, quam Beatus Benedictus manu sua conscripserat, necnon & sacci, in quibus iussu Dei, cœlitus eidem Patri Benedicto escæ delatæ sunt: insuper & plurima huius cœnobij munimina; plurima quoque præcepta donationum à singulis Imperatoribus, Ducibus, atque Principibus eidem Monasterio collata, incensa sunt. Inter quæ etiam præcepta, quæ de casa Gentiana facta fuerant pariter sunt ab igne consumpta. Namq; temporibus Ioannis Abbatis, qui tertius ab hoc Ragemprando fuit, cum die quadam ante eundem venerabilem Abbatem exortum fuisset inter Fratres colloquium à quibus Principibus prædicta casa Gentiana huic Monasterio concessa fuisset. Quidam Maio Presbyter, atque Grammaticus, homo senex, & veracissimus: hoc exinde se nosse certò, certius affirmabat. Aiebat, namq; præfato Donno Abbati, sicut legi, inquit, in tribus præceptis donationum, quæ hic fuere in scrinio Donni Angelarij Abbatis. In primis Gisulfus Dux concessit Donno Petronaci Abbati in Monasterio sancti Benedicti territorium Gentianæ. Postea verò Arichis Princeps similiter concessit Theodemario Abbati partes maiores ibidem in Gentiana. Iterumq; Grimoald filius eius per præceptum donationis concessit sancto Benedicto omnia Donnicalia sua, cum seruis; & ancillis in eodem loco casæ Gentianæ; & cellam sancti Agapiti, & plurima alia, quæ modo non recordor. Similiter etiam in eisdem præceptis continebatur donatio ipsorum Principum de portu Traiecti, & de portu Vulturnensi: sed & de Piscaria Lesinensi. Hæc, inquit, omnia ego legi, & in alijs membranis ego renouaui ex iussione Donni Angelarij Abbatis. De supradicto itaque incendio Theanensis Monasterij, quicquid a Fratribus de thesauro Ecclesiæ potuit, quomodolibet eri-

Monasterij Theanensis cōflagratio. Anno 897

Digitized by Google

pi: in Episcopio eiusdem ciuitatis repositum est. Vnde postmodum non parua eiusdem thesauri pars in Ecclesia ipsa remansit.

CAPVT XLVIII.

Anno 891

HIS temporibus Symbaticius Patritius veniens à Constantinopoli, obsedit Beneuẽtum per menses circiter tres, cepitq; illam decimoquinto Kal. Nouembris, anno Domini octingentesimo nonagesimoprimo. Completis videlicet trecentis viginti annis à Zottone primo Duce Beneuenti. Per cuius temporis spatium Langobardorum tàm Duces, quàm Principes eandem ciuitatem tenuerant. Hic Symbaticius cum esset Imperialis Prothospatarius, & Stratigo Macedoniæ, Thraciæ, Cephaloniæ, atque Longobardiæ: Entilma (id est mandatum, siue priuilegium) fecit prædicto Abbati de Monasterio sanctæ Sophiæ de Beneuento, & sanctæ Mariæ de Cingla, & sanctæ Mariæ de Plumbariola, terribiliter ex parte Imperatorum præcipiens, nequis esset, qui in causis, ac possessionibus prædictorum cœnobiorum Cassinensi cœnobio subiectorum, aliquo modo, aliquam iniustitiam, seu violentiam inferre præsumeret: quod si aliquis in eis delinqueret, iram Imperatoriam pro certo se experturum sciret. Post hunc Symbaticium dominatus est Beneuenti Georgius Patritius, qui cum annis tribus, & nouem mensibus in eâ sedisset, veniens Guido Dux, & Marchio, expulit inde Græcos, & præfuit ibi annis fermè duobus. Post hunc Radelchis annis duobus: deinde præfatus Atenulfus ex Capuano Gastaldatu iam Comes, cum filio Landulfo, & cæteri deinceps per generationes suas, in ea Principatum tenuere per annos circiter septuaginta septem.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XLIX.

INTEREA præfatus Atenulfus, vna cum Gregorio Neapolitano, necnon & cum Amalphitanis, non paruo exercitu aggregato, Garilianum supra Saracenos venit, & constructo de nauibus ponte iuxta Traiectum, in loco, qui Setra vocatur, transiens expugnabat eos. Ibi igitur illis consistentibus, quadam nocte dum minus caute suas custodias agunt, repente Saraceni cum Caietanis super eos irruunt, deq; illis plurimos sternunt: reliquos vsque ad pontem acrirer insequuntur. Sed ibi tandem nostris fortiter resistentibus, Saraceni vertere terga, & suis se castris tueri coguntur. Obijt supradictus Abbas octauo idus Nouembris. Anno 899

CAPVT L.

LEO vicesimus secundus Abbas, similiter apud Theanum, sedit annis quindecim, mensibus septem: temporibus Leonis Imperatoris, & Papæ Christofori, qui de Papatu expulsus, & monachus factus est, necnon & Sergij tertij Papæ, à quo idem Abbas priuilegium de more recepit. Acquisiuit etiam & à præfato Principe Atenulfo præceptum confirmationis omnium oblationum, seu concessionum, ac possessionum huius Monasterij propter id vel maxime, quod & prius in hoc loco à Saracenis, & denuo verò apud Theanum munimina huius cœnobij igne consumpta essent. Huius Abbatis interuentu concessus est ab eodem Principe mons sancti Eleutherij in Monasterio sanctæ Mariæ de Cingla, pro pascuis videlicet animalium ipsius loci, necnon & pro lignis faciendis ad diuersas vtilitates. Fluuius etiam, qui dicitur Ete, ab ipso ortu suo vsque ad fluuium Vulturnum, & deinceps ipsum Vulturnum vsque in pedem prędicti montis sancti Eleutherij: quemadmodum ad ius palatij pertinuit, ad

Digitized by Google

faciendum in ipsis quicquid eidem Monasterio necessarium fuerit. Hic Abbas quinto anno ordinationis suæ cepit reædificare hoc Monasterium, quod videlicet per vnum, & viginti annos penitus fuerat destitutum. Huic Guaimarius Salernitanus Princeps per præceptum concessit curtem vnam magnam, in loco, qui dicitur Rota, cum casis, & siluis, & arbustis, vineis, & castaneis; seruis quoque & ancillis, & cum omnibus eidem curti ex integro pertinentibus. Hic idem Guaimarius alio præcepto concessit in hoc Monasterio medietatem curtis in finibus Sarni, loco vocabulo Lanciaria, quæ fuit Agenardi, huius videlicet medietatem idem Agenardus iam Beato Benedicto obtulerat, cum omnibus ad eandem curtem pertinentibus. Hic fecit libellum cuidam Adelario ciui Romano de Ecclesia sancti Benedicti, quæ ibidem nobis antiquitus pertinuit, ea conditione, vt quoties, vel Abbas, vel Monachi nostri Romam pro aliqua vtilitate perficienda perrexissent, honorabiliter in eadem Ecclesia reciperentur, quamdiu ibi remorari necessarium esset; & omni anno pro censu sexaginta denarios Monasterio nostro transmitteret. Defunctus verò est prædictus
Anno 915 Abbas decimo Kalendas Septembris: vterque autem, Ragemprandus videlicet, atque Leo, in ipso Theanensi cœnobio, vbi commorati sunt, ibi & defuncti, & sepulti sunt.

ADDITIO ex Petro Diacono Cassinensi.

TEmpore, quo Ludouicus Caroli filius in seniori Roma Augustale sumpsit Imperium, Ioanne Octauo Papa in sede Apostolica Præsidente; in Cassinensi verò Ecclesia Leone Abbate cathedram gubernante, primo anno ordinationis eius; Dominica verò Incarnationis anno nongentesimo, indictione tertia, mensis Augusti die prima. Saraceni à Babilonia, & Africa ad instar examen apum, cum Abraime impÿssimo Rege suo, Siciliam intrarunt. Inuadentes itaque pacatam Insulam, quaqua versum impietatis agmina tendebant, omnia deuastabant, depopulabant, incendio, & homicidÿs miserandum in modum cuncta tradentes. Iam verò quis digne referre valeat quanti tunc Casinenſium monachorum
Anno Domini 900.

eborum in Sicilia habitantium, ab illis diuersis pœnarum generibus extincti fuerint? Non enim sexus infirmior paganorum crudeles animos mitigabat, & ibi ira exagitabantur maiori, vbi ministros inueniebant diuinitatis. Senectus etiam, & veneranda canities, nullam sibi ab hostibus misericordiam vendicabat. Infantes quoque, qui nuper nati erant ab vberibus maternis pagani rapientes, elidebant ad terram. Sanctarum præterea Ecclesiarum, & domorum ædificia, quæ discipuli beati martyris Placidi in possessionibus eius extruxerant diruentes, solo æquarunt; vt nunc antiqua speciositas, nec quia fuerit prorsus appareat. Vrbes etiam Panormum, & Syracusas ceperunt; & antiquam Romanorum Coloniam in seruitutem redegerunt. Episcopos verò, Presbyteros, atque Diacones, reliduosq. de cunctis populis in captiuitatem, & miseram seruitutem deportandos sanxerunt. Post tot, tantasq. direptiones, occisiones, incendia, & captiuitates, sæuissima gens Saracenorum ad Messanam ciuitatem expugnandam deuenit. Cumq. Monasterium beati martyris Placidi ingressi fuissent, euaginatis gladijs monachos aggrediuntur; illosq. Christum negare, & nefandam Religionem venerari compellunt. Quod dum contemnerent, omnes in eodem loco, vna cum Monachis Casinensibus, qui ibi ab Abbate suo directi fuerant, Saracenorum gladijs occisi sunt, anno Domini nongentesimotertio, indictione sexta. Illis autem hoc ordine pro fide Christi iugulatis, Monasterium omne, præter Ecclesiam sancti martyris Placidi, à Saracenis destructum est. Horum autem martyrum passiones nosse, qui cupit, Constantinopolitanæ Vrbis bibliothecas perlustret, ibi quanta tormenta substinuere, facunde satis descriptum inueniet. Hæc summatim ex supplemento, siue auctario Petri Diaconi ad acta sancti Placidi, desumpsimus. Huic porrò historiæ astipulantur chronologiæ, & Græcorum historiæ, quibus habetur, per id tempus innumerabiles Saracenorum copias ab Abramo, vel Abraimo in Siciliam missas, siue aduectas, totam Insulam penitus absumpsisse, & in diuturnam seruitutem redegisse. Consulendus Abbas Maurolicus lib. 3. Sicanicæ historiæ fol 88. Anno 903

His Monachis tertio loco pro fide Christi occisis, nulli alij

Digitized by Google

Benedictinæ familiæ succesſerunt; & Barbaris Siciliam, & religionem diutino, impioq. dominatu præmentibus adeò memoria ſanctorum Placidi, & ſociorum eius excidit, vt Normanni, qui eiectis Saracenis, noui & peregrini incolæ Siciliam coluerunt, templum á Placido extructum, ac ſancti Ioannis Baptiſtæ eo viuente appellatum, mortuo autem, & inter martyres relato, ſancti Placidi nuncupatum, nouo nomine ſancti Hyacinti nominarint: vt noſtra etiam ætate, antequam ſacræ reliquiæ inuenirentur, non ſatis explora-tum eſſet, quis certus martyrij, quis ſepulturæ locus eſſet.

CAPVT LI.

PER idem tempus cernens præfatus Princeps, non ſine manu valida, & brachio extento Saracenos poſſe de Gariliano expelli, Landulphum filium ſuum ad Leonem Imperatorem Conſtantinopolim deſtinauit: ſuggerens omnia, quæ per tot annos ab Agarenis perpeſſi fuerant mala; orans, & ſupplicans, vt dignaretur quantocius afflictæ, ac deſolatæ ab eiſdem Saracenis patriæ ſubuenire, atque vt illos de Gariliano valeant extirpare, auxilium exercitus ſui non dedignetur illi tranſmittere. Quem Imperator honorificè ſatis recepit, & cuncta, quæ ſuggeſſerat benigne ſe impleturum ſpopondit. Cum interim prædicto Atenulfo defuncto apud Capuam, Landulfus impetrata ab Auguſto licentia reuertitur, atque à fratre Atenulfo multo cum honore recipitur. Imperator autem ſuæ ſponſionis non immemor, Nicolaum Patritium, cui Picingli cognomen erat, conſequenter aſciſcens, cum valida Græcorum manu ad has partes tranſmiſit, eiq; vt Saracenos præcipuè Gariliano degentes, funditus delere ſatageret, mandatis Auguſtalibus imperauit. Veniens igitur prædictus Patritius, & fortitudine valida, & prudentia maxima cumulatus, eos primum, quos familiares ſibi, ac fœderatos Saraceni habebant, ideſt Gregorium Ducem Neapolitanum, & Ducem Caietæ Ioannem, patritiatus illis honore ab Auguſto deferens,

Digitized by Google

rens, ab eis disiungere studuit. Deinde coniunctus prædictis fratribus Landulfo, & Atenulfo Principibus Capuanis, aduocato etiam Guaimario Principe Salernitano: Apulis quoque, & Calabris omnibus transmarino exercitui additis, castra supra Saracenos iuxta Garilianum ex ista parte metatus est. Quo cognito Papa Ioannes decimus, qui ex Episcopatu Rauennate triennio ante Romanam sedem inuaserat, vna cum Alberico Marchione, cum valida pugnatorum manu superueniens, ex altera nihilominus parte consedit, & ita eos hinc inde per tres menses continuos obsidentes ad extremitatem vltimam perduxere. Cumq; iam Saraceni fame nimia laborarent, neque vllo ingenio, vllo vnquam modo se euasuros nostrorum manus sperarent, ipsamq; iam mortem præ oculis cernerent, consilio tandem supradictorum Ducum Gregorij, atque Ioannis omnes domos suas incendunt, sicq; facto vnanimiter impetu fugientes per montes, siluasq; proximas disperguntur. Quos nostri instantius persequentes, vix paucissimis de tanta multitudine euadentibus, omnes interemere, atque hoc modo auxilio, & misericordia Dei, funditus de partibus istis eliminati sunt. Anno incarnationis Dominicæ nongentesimo quintodecimo, indictione tertia, mense Augusto. Ioannes Papa Decimus. Anno 915

CAPVT LII.

IOANNES Abbas vicesimustertius a Beato Benedicto, sedit annis decem, & nouem, & mensibus septem. Hic nobilium Capuanorum ortus familia, eo tempore quo præfatus Abbas Leo decessit, Archidiaconi officio in Capuana Ecclesia fungebatur: religiosis valde, & honestis moribus præditus. Sed cum aliquanto tempore congregatio Monachorum, quæ Theani consistebat, pastore esset proprio destituta, nec inueniretur inter eos aliquis huiusmodi, qui tantæ Prælationi esset idoneus: tunc Landulfus, & Atenulfus Capuani Principes ineuntes consilium: præfatum Archidiaconum adiere, eumq; tàm monitis, quàm precibus, vt eiusdem congregationis

Digitized by Google

gationis regimen reciperet, compulere. Quo tandem annuente, mox monachus factus, nec multo post à Fratribus vniuersis, iuxta morem electus, atque à supradicto Donno Ioanne Papa honorificè consecratus est. Factus itaque Abbas, cœpit monere Fratres, vt relicto Theano, Capuam habitaturi secum pariter pergerent. Quæ videlicet ciuitas, & circumpositarum ciuitatum primaria esset, & in ipsa Domini eiusdem patriæ Principes habitarent. Qui obsecundantes eius imperio: Capuam omnes simul haaitaturi profecti sunt. Verùm in eadem ciuitate Monasterium adhuc non erat ædificatum, sed in eo loco, vbi nunc constructum est, iuxta portam scilicet sancti Angeli perparua nimium, & exilis erat Ecclesia, ac secus eam alia similiter parua, vilisq; domuncula stabat de lignis contexta, vbi tres tantum, aut quatuor Fratres vetuli morabantur. Hunc siquidem locum Maio Abbas sancti Vincentij, nepos videlicet illius, sub quo Monasterium sancti Vincentij destructum est, olim à Principibus acquisierat, & eandem, quam diximus Ecclesiolam, atque domunculam ibi construxerat. Sed cum post eum Godelpertus Abbas factus fuisset, locutus cum prædicto Abbate Ioanne, permissione, seu licentia præfatorum Principum, concambiauit cum eo ipsum locum, recipiens scilicet pro eo alium locum tantundem ambitus, vbi prius idem Ioannes Abbas Monasterium suum ædificare statuerat; & consequenter ipse Godelpertus ad Principes iam dictos accedens, acquisiuit ab eis alium locum iuxta ipsam ciuitatem, & super ipsum fluuium Vulturnum: & cœpit ibi ædificare Monasterium in honore sancti Vincentij, & monachos, qui per diuersa dispersi fuerant congregare, & res atque possessiones ipsius Monasterij iam dudum perditas recolligere. Noster autem Ioannes, tam propinquorum, quàm amicorum non paruis adiutus solaciis, cœpit nihilominus, in eodem, quo diximus loco, Monasterium in honore Beati Patris Benedicti à fundamentis construere, atque intra non multum tempus magnam, pulchramq; Ecclesiam: necnon, & officinas, diuersis Monasterij officijs congruas decenter fecit, ibiq; quinquaginta, & eo amplius monachos victuros regulariter aggregauit. Cuius

Digitized by Google

ius etiam studio, & cura (Dei præcedente gratia) factum est, vt ipsum Monasterium subito allevatum, atque diuersis intus, & exterius opibus ditatum sit. Fecit siquidem ibi inter cætera idem Abbas, codicem missalem vnum cum tabulis argenteis deauratis, & gemmis. Euangelium quoque simili opere decorauit. Altarium verò vndique in circuitu argento vestiuit. Crucem etiam pulcherrimam cum gemmis, ac smaltis ad procedendum fecit. Ceroferaria argentea duo: vrceolum quoque cum aqua manili suo similiter argenteum. Vascula de auricalco, vel ære ad diuersos vsus appendentia libras sexcentas. Codices Ecclesiasticos totius anni diuersos, & multos. Planetas, Pluuiales, & Albas, necnon Dalmaticas, vniuersamq; tàm in Ecclesiasticis, quàm & in familiaribus vsibus suppellectilem sufficientissimè præparauit.

Hoc tempore satis mirabile signum in eodem Monasterio contigit. Nam altare maius ipsius Ecclesiæ ab hora diei tertia, vsque ad mediam ferè noctem tantam aquarũ abundantiam guttatim instar sudoris effudit, vt omnia indumenta eiusdem altaris madefierent. Mirabile signum.

CAPVT LIII.

APVD Cassinum verò post renouationèm totius maioris Ecclesiæ, cum aliquot Ecclesiastica ornamenta idem Abbas fecisset. Altarium quoque maius, vbi corpus sãcti Patris Benedicti humatum est, marmoreis tabulis albissimis induit. A prædictis etiam Principibus Lã Iulfo & Atenulfo præceptum confirmationis totius Abbatiæ suscepit. Necnon & aliud de curte Petræ Mellariæ, cũ integro Gualdo, & Castaneo, omnibusq; pertinentijs suis, & quatuor Aldiones cum filijs, ac filiabus suis cum vniuersis eorum. Sciendum autem quoniam prædictam curtem de Petra Mellaria procambio nobis dedere præfati Principes, & recepere à nobis curtem de Pantano prope Beneuentum, & obtulerunt eam in sancta Sophia, quæ videlicet obedientia erat Monaste-

Digitized by Google

Monaſterij huius. Hic fecit libellum Adelberto filio Rainerij de Raſtello, de aliquot curtibus huius Monaſterij in Comitatu Mutinenſi: fundo, qui dicitur Perſiceta, ad iugera octingenta, reddentibus per annos ſingulos cenſum ſeptem ſolidorum. Alium etiam libellum fecit eidem Adelberto de quibuſdam poſſeſſionibus huius loci in fundo Adili: quique Adelpertus poſtmodum obtulit perſcriptum in hoc Monaſterio aliquot alias curtes ſuas, quæ in eodem fundo Adili,
Anno 936 tunc poſſidere videbatur. Obijt autem pridie Kalend. Aprilis, & apud Capuanum Monaſterium decenti eſt ſepultura reconditus. Circa hos dies expulſus eſt à Romanis ſupradictus Papa Ioannes inuaſor Apoſtolicæ ſedis, & Leo ſextus ordinatus.
Leo Papa ſextus.

CAPVT LIV.

Anno 936 ADELPERTVS viceſimuſquartus Abbas, anno Domini nongenteſimo trigeſimoſexto, die ſexto poſt depoſitionē ſui Prædeceſſoris ab vniuerſis Fratribus ordinatus, ſedit annos nouem, ibiq; apud Capuam, commoratus eſt, & defunctus. Fuit autem temporibus Stephani ſeptimi Papæ, & Ioannis Papæ vndecimi, qui fuit filius Sergij Papæ.

Anno 939 Quarto Abbatis huius anno, indictione duodecima venientes innumerabiles Hungari ſuper Capuam, omnia in circuitu ipſius deprædati ſunt. Similiter etiam Beneuenti fecere, vſque Sarnum, ac Nolam diſcurrentes, & deuaſtantes omnia, cunctamq; Liburiam peragrantes: iterum Capuam reuerſi per duodecim dies in campo Galliano commorati ſunt. Quo videlicet tempore multos de noſtris hominibus captiuos duxere. In quibus recolligendis multa expendimus, quorum hæc ſumma eſt. Coronam de argento magnam cum catenis argenteis. Pocula argentea quatuor. Thuribulum argenteum deauratum. Cochlearia argentea tria penſo libræ vnius. Tarenos viginti. Planetam diarodinam de bizantijs quindecim. Aliam planetam cum liſtis argenteis de bizantijs ſexdecim. Aliam planetam cum leonibus. Pannum de altare diarodinum de bizantijs ſexdecim.

Tape-

Digitized by Google

Tapeta optima sexdecim pro bizantijs sexagintaseptem. Pannum admasurum pro bizantijs octo. Hostiales tres pro bizantijs tredecim. Astaneas duas pro bizantijs octo. Pulvinaria serica tria pro bizantijs decem. De hinc victoria tanta elati, & præda tam magna onusti, Marsorum regionem ingressi, similia facere cępere incendentes, ac depopulantes vniuersa. Omnipotentis itaque nutu, Marsi, ac Peligni simul conuenientes, positis insidijs irruerunt super eos, & vniuersos ferè interficientes, ingentem nimis prædam, in auro, & argento, pallijs, ac tapetis, necnon & diuersi generis animalibus, de illorum manibus extorsere. Quotquot autem illorum euadere Marsorum gladios potuere, fuga dilapsi, in sua reuersi sunt.

CAPVT LV.

HVIC Abbati, Ioannes Consul, & Dux Neapolitanorum suo prȩcepto confirmauit, atque concessit Ecclesiam sanctę Ceciliæ intra Neapolim sitam, in platea, quæ cognominatur Palmarum, antiquitus huic nostro Monasterio pertinentem, cum vniuersis omnino pertinentijs eius. Necnon & cellam sancti Seueri in Surrento, cum omni pariter substantia, ac pertinentia ipsius. Sed & cellam nostram de casa Gentiana, cum Gualdo, & terris, & siluis, & omnibus omnino nobis in eodem territorio pertinentibus, & vt in tota ciuitate Neapoli nullum plateaticum, siue portaticum Monachi aliqualiter darent. Eodem tempore Agelmundus quidam nobilis de Vicalbo, obtulit huic Monasterio curtem suam, quæ dicitur de Pranduli, cum omnibus pertinentijs eius. Aliam quoque curtem in Patenara cum vineis, & pratis, omnibusq; pertinentijs suis. Necnon & omnia, quæ illi iure hæreditario pertinebant, tàm in ciuitate Sorana, quàm & in Castello, qui dicitur Sclaui. Sub hoc Abbate, Ioannes Præpositus sancti Liberatoris fecit libellum de rebus huius Monasterij apud Marchiam in Manuplello, & Oliueto, & Turri, & in alijs diuersis locis. Pro quibus

Digitized by Google

quibus recepit ſolidos ducentos, & centum modia de terra in villa Gualeiani. Similiter etiam, & Garipertus Præpoſitus, diuerſarum per Marchiam cellarum ab hoc Abbate ordinatus, fecit libellum de quibuſdam caſis nobis pertinentibus in Larino. Hic ipſe Abbas fecit libellum cuidam Grimoaldo de Camerino de omnibus rebus huius Monaſterij, quæ ſunt in pertinentia Termulenſi intra Bifernum videlicet, & Aſinaricum fluuios, & villa de Guilliolifi, & mare, receptis ad præſens pro pretio ſolidis centum; pro cenſu verò annuali ſolidis octo.

CAPVT LVI.

DALDOINVS Abbas, genere Francus, viceſimuſquintus à Beato Benedicto. Fuit temporibus prædictorum Principum Lādulfi, & Atenulfi. Iſte recepit priuilegium à Donno Marino Papa ſecundo, de conſuetudine Monaſterij huius. Præfuit annis duobus. His temporibus, ſico Epiſcopus Capuanus, contra diuina, humanaq; ſtatuta agere non formidans, Eccleſiam ſancti Angeli, (quæ tunc ad arcum Dianæ appellabatur, quia templum eiuſdem Dianæ inibi fuit, nunc verò ad formam dicitur) quam prædeceſſor ſuus ex longo iam tempore Monachis noſtris ad Monaſterium ibi conſtruendum conceſſerat, violenter auferens, cuidam Diacono ſuo in beneficium dedit. Quod cum auribus prædicti venerabilis Papę Marini per eundem Monachum intimatum fuiſſet, mox Apoſtolicæ auctoritatis litteras Epiſcopo præfato tranſmiſit, quibus acriter in illum inuectus, & de canonum ignorantia, & de inſcitia litterarum, & de familiaritate ſæcularium, & de præſumptiua tranſgreſſione prædeceſſoris ſui conſtitutorum, eum diſtrictè redarguit. Mandat etiam, vt ſine aliqua mora, præfatam Eccleſiam monacho illi reſtituat, vt in ea (ſicut ab anteceſſore ſuo, ſub anathematis etiam obligatione diſpoſitum fuerat) Monaſterium fiat, quod videlicet Monaſterium tàm ab ipſius Epiſcopi, quàm & ab vniuerſorum ſucceſſorum ſuorum,

ex

Digitized by Google

ex tunc, & deinceps inquietudine, & molestia liberum, sub custodia, & potestate Monasterij sancti Benedicti, quod tunc in Capua erat, perpetuo permansurum constituit. Diaconus verò, cui prædictus Episcopus eandem Ecclesiam concesserat (præterq; in seruitio altaris) ab omni consortio eiusdem Episcopi priuatum esse percensuit. Quod si omnibus his aliquatenus inobediens esset, & Sacerdotali se honore priuatum, & excommunicationis vinculo innodatum sciret. Hugonis quoque, & Lotharij Regum, de vniuersis huius loci possessionibus ad hunc Abbatem, præceptū confirmationis habetur. Quiq; Reges eo tempore præceptum proprium Monasterio sancti Angeli de Barregio facientes, idq; ab Agarenis desolatum, ad pristinum statum reuocare volentes: vniuersa, quæ inibi priores Reges, eidem regia donatione contulerant, firmauerunt. His porrò temporibus cum Cinglensis Ecclesia à Saracenis deuastata fuisset, Ioannes eiusdem cellæ Præpositus, quidquid suppellectilis, vel thesauri quoquomodo surripere potuit assumens, cum consensu Abbatis nostri, Capuam pergit, atque ibi Monasterium construere cepit. Quo etiam tempore venerabilis Papa Marinus eandem Ecclesiam sanctæ Mariæ de Capua cum omnibus possessionibus suis Cassinensi cœnobio per priuilegium ex integro confirmauit. Quod id ipsum similiter confirmauerunt, Ioannes quintusdecimus, Benedictus octauus, Benedictus nonus, Leo, ac Stephanus nonus: Abbatibus nostris Balduino, Aligerno, Mansoni, Atenulfo, Theobaldo, ac Friderico.

CAPVT LVII.

DER idem tempus, cum Monasterium sanctæ Sophiæ de Beneuento Principum violentia, per annos aliquot, ab hoc cœnobio subtractum fuisset, Hic idem Abbas ostensis Romanorum Pontificum, Regumq; præceptis, qui prædictum Monasterium in hoc loco firmauerant, recollegit illud, & sub ditione Monasterij huius redegit. Posthæc cum à supradicto Donno Marino

Digitized by Google

no Papa Romæ euocatus fuisset, eiq;, quoniam magnæ prudentiæ, ac potentiæ videbatur, Abbatiam sancti Pauli idem Pontifex commisisset, rursus à Principibus Monasterium sanctæ Sophiæ peruasum, & à nostra ditione subductum est. Sub his fermè diebus, cum defuncto Marino, Agapitus in sede Apostolica successisset, eiq; super hoc idem Abbas conquestus fuisset, scripsit protinus prædictis Principibus idem Apostolicus, increpans eos acriter, cur talia agere præsumpsissent: monens pariter, & obsecrans, vt idem Monasterium præfato Abbati fine aliqua mora ex integro restituerent. Quod si aliter facerent, scirent se vinculo anathematis innodandos. Huius imperio parens protinus Atenulfus Princeps, & ipsum Monasterium Abbati nostro restituit, & per suum præceptum, quemadmodum à Donno Arichis primitus hic oblatum fuerat, cum omnibus, quæ ibi postmodum à singulis Principibus concessa sunt in hoc cœnobio, in perpetuum confirmauit. Quo etiam tempore octo familias liberorum hominum in cella sancti Benedicti de Caudis ab eodem Abbate rogatus concessit. Necnon, & aliud præceptum illi de totius Abbatiæ pertinentijs fecit.

ADNOTATIO.

ARnoldus Vuion capite octauo, partis primæ sui ligni vitæ, Abbatem hunc Balduinum, ob insolentiam Abbatia pulsum fuisse dicit: in quo omninò corrigendus est, cum ex hoc capite constet Præfectum fuisse à Marino secundo Abbatiæ sancti Pauli de Vrbe post obitum Ioannis, qui eidem Monasterio à sancto Odone Cluniacensi Abbate, Leone septimo iubente, fuerat institutus. Sub hoc Abbate Balduino factus est Monachus Aligernus Neapolitanus in eodem Monasterio sancti Pauli, vnde postea Cassinum translatus, Casinensis Abbas effectus est, vt docet Leo libro secundo capite primo. Hæc omnia notanda sunt pro confirmatione cuiusdam historiæ, quæ habetur infra libro secundo cap. 47.

C A.

Digitized by Google

CAPVT LVIII.

CIRCA hos dies, cum Monasterium quoque nostrum, quod tunc Capuæ erat, sub sua iam ditione cupiditatis, seu lucri gratia, Principes redegissent, & hac occasione Fratres ibi degentes omninò sæculariter viuerent: cognito hoc supradictus Papa Agapitus, per suggestionem nostri Abbatis; mandat confestim præfatis Principibus Apostolicæ auctoritatis acres nimium litteras, redarguens vehementer, & increpans eorum nequitiam, cur tantum nefas committere ausi fuissent; præcipiens insuper, vt nullam vlterius in eodem Monasterio dominationem exercere præsumerent. Monachi verò vniuersi ad proprium cœnobium Cassinense relictis ibi duobus tantum, aut tribus senibus Fratribus, cum omnibus Monasterij rebus protinus reuerterentur: ibidem sub Abbate proprio regulariter Domino seruituri. Quod si vel Principes, vel certè Monachi aliter agere præsumerent, aut aliquis, aliquid de rebus eiusdem Monasterij inuadere, vel aliquam inde ordinationem absque consensu Abbatis facere attentarent, nisi resipiscerent: auctoritate Apostolica excommunicandos. Aliud etiam priuilegium acquisiuit præfatus Abbas ab eodem sancto Pontifice de Monasterio sancti Stephani iuxta Tarracinam, quod Beatus Benedictus (sicut in vita ipsius legitur) per visionem mirabiliter apparens, ædificari monstrauerat.

CAPVT LIX.

MAIELPOTVS Abbas vicesimus sextus, sedit annis sex. Fuit temporibus Imperatoris Constantini. Hic de Præpositura Monasterij huius Abbas effectus, recepit à prædicto Principe Landulfo præceptum de omnibus generaliter rebus, & possessionibus huius Monasterij. Nec non de terris, & fundis in Liburia, loco qui dicitur ad Tre-

Digitized by Google

sone, tam nostro Monasterio, quàm & eius palatio in loco ipso pertinentibus. Aliud etiam præceptum fecit prædictus Princeps eidem Abbati specialiter de aqua Saonis fluuij, & cæterarum aquarum cum ripis, & limitibus suis; & de fœminis liberis, quæ essent seruis Monasterij copulatæ: necnon, & de pertinentia Abbatiæ totius. Sub hoc Abbate, Leo quidam Presbyter ciuitatis Larinensis, qui postea Episcopus factus est, obtulit huic Monasterio Ecclesiam sancti Benedicti, quæ sita est intra eandem ciuitatem, cum omnibus rebus, & pertinentijs suis, quàm etiam postmodum, tempore Aligerni Abbatis, præfatus Princeps Landulfus in hoc Monasterio suo præcepto firmauit. Similiter etiam quidam Ioannes Monachus natione Capuanus obtulit in hoc loco Ecclesiam sancti Viti, quæ constructa est in monte sanctæ Agathæ supra Capuam, prope locum, qui dicitur Ferruzanum, cum ipsa aqua, & molendinis; & cum omnibus omninò eiusdem Ecclesiæ pertinentijs, necnon, & vniuersis mobilibus, & immobilibus suis. Hic fecit libellum cuidam Aregisi Theanensi de Ecclesia sancti Adiutoris de Alife, cum omnibus pertinentijs eius, & cum silua, quæ dicitur Catulisca, & cum alijs nonnullis possessionibus, quas in eiusdem ciuitatis territorio tenere videbamur: receptis ab eo præter annualem censum bizantijs quatuor. Cuidam etiam Vrso Iudici fecit libellum in annis quindecim, de omnibus aquis, & piscarijs, seu terris de tota pertinentia Lesinensi: pro tribus bizantijs, & quadringentis anguillis bonis, per singulos annos mense Nouembrio. Basilius quoque imperialis Protospatarius cum esset apud Salernum, ad euntibus illum Monachis nostris chartulam restitutionis, & confirmationis fecit: de omnibus pertinentijs Monasterij huius, per totam Apuliam, quas eo tempore perditas habebamus. Idem Ecclesiam sancti Benedicti de Lesina, cum omnibus pertinentijs suis, & casas aliquot dirutas intra eandem ciuitatem, Piscariam de Lauro, & aliam piscariam ibidem. In Asculo casam solariatam, & curtes, & puteos. Ad Meleſſanam curtes, & puteos. Ad sanctum Ioannem in Ruliana curtes. Ad sanctum Decorentium terras. In Canusio vetere Ecclesiam sancti Benedicti, & molendinum,

Digitized by Google

lendinum, & curtes. In Mineruio ſpeluncam, vbi eſt Eccleſia ſancti Saluatoris, & terras. In Andria vineas, & oliuas. In Riuo, qui dicitur de monacho curtem. Hæc omnia præfatus Baſilius reconſignari fecit Fratribus noſtris: confirmans eadem per chartam proprio ſigillo bullatam.

Poſt tranſitum igitur ſupradicti Abbatis, cum conueniſſent in capitulo Monaſterij Capuani Donnus Aldebertus egregius Præſul Eccleſiæ Capuanæ, & Donnus Ardericus Epiſcopus. Leo quoque venerabilis Abbas ſancti martyris Chriſti Vincentij, necnon & nobiliſſimi Iudices prædictæ ciuitatis, Arechis, & Saldelfrid, & Adenulfus Caſtaldeus, octauo Kalend. Nouembris omnibus vnanimiter annuentibus, atque laudantibus, electus eſt ab vniuerſis Fratribus, cum maximo gaudio, atque lætitia in Abbatem, Donnus Aligernus Præpoſitus tunc Monaſterij huius, vir venerabilis, & valde honeſtus, & tam diuina, quàm ſæculari prudentia præditus. Anno 970

CAPVT LX.

HOC loco qualiter Regnum Italiæ à Francis ad Theutonicos ſit tranſlatum, non videtur ocioſum compendioſe perſtringere. Poſt mortem Ludouici filij Lotharij (de quo ſuperius plura iam diximus) qui videlicet cum fratribus, Lothario, & Carlitto Francorum Regno partito: Italiam felici ſorte per tempus aliquot retinuerat. Inuaſit Regnum Italiæ Berengarius Forojulienſis, filius Eberardi Marchionis: ſed mox in ipſis ſuis primordijs, à Guidone filio Guidonis Comitis, duobus prælijs ſuperatus, Veronam tandem aufugit. Tunc temporis defuncto ſupradicto Agapito Papa ſecundo, Ioannes vndecimus natione Romanus Alberici Romanorum conſulis filius, illi in Pontificatu ſuccedit. Guido autem cum per annos circiter ſex, Regnum obtinuiſſet, vomitu cruoris extinctus, tradidit illud filio ſuo Lamberto. Quo etiam ſimiliter poſt ſex annos defuncto: Ludouicus filius Boſonis Regis Prouinciæ regnauit per annos tres. Contra quem rurſus filius Regis Burgundiæ Rodulfus nomine Italiam venit. Poſt

Digitized by Google

hæc ſupradictus Ioannes Papa vndecimus, iunctus cum magnatibus Italiæ: depulit ex ea Rodulfum, & mittens inuitauit Hugonem Aquitaniæ Ducem, qui tunc, & prudentia maxima, & virtute multa pollebat. Qui Rex protinus ordinatus, vna cum filio Lothario ſtrenuè ſatis, ac viriliter Italiæ Regnum per aliquot annos obtinuit. Cum hoc Hugone venit Italiam, Azzo Comes, auunculus Berardi illius, qui cognominatus eſt Francicus, propinquus eiuſdem Regis, à quo videlicet Marſorum Comites procreati ſunt. Non multo poſt præfatus Hugo, coronato filio, & nobiliſſima illi coniuge Adelaide, ex proceribus Tuſciæ coniuncta, cum ab eodem (vtpote ſenex) aliquas iam cepiſſet moleſtias, atque ingratitudines pati, relicto ei Regno: ipſe Burgundiam, cum omni theſauro ſuo, & vniuerſis diuitijs, receſſit, ibiq; Monaſterium de proprijs ſumptibus ditiſſimum conſtruens, quod ſanctus Petrus de Arle nuncupatur: in eodem Monachus eſt effectus. Lotharius deinde poſt quatuor ferme annos in ſubitam phreneſim incidens, vltimam diem expleuit: & ita ipſe Francorum Regibus deinceps in Italia regnandi terminum dedit. Quo defuncto vxor eius Adelais ad Azzonem propinquum ſuum in Canuſam, Arcem valde munitiſſimam confugit. Cùm interea prædictus Berengarius cum filio Alberto ſtrenuiſſimo valde viro, rurſus Regnum inuadere cupiens, ac per hoc prædictam Reginam capere modis omnibus ſatagens, per triennium fermè, præfatam arcem obſedit. Azzo interim cum Regina conſilio habito, nuntium ad Ottonem Saxoniæ Ducem, Hungarorum tunc victoria glorioſum, tranſmittunt. Qui ei omnia, quæ circa illam gerebantur referret, eumq; oraret, quatenus ad Italiam confeſtim tranſire, eosq; de Berengarij obſidione liberare: Reginamq; ipſam in coniugium ſimul cum Regno deberet recipere. Iam ferè prædicta Arx ad deditionem hoſtium cogebatur, cum ecce diſpoſitione Dei: tranſmiſſus à Regina nuntius ſubito redijt. Et quoniam propter diligentiſſimam obſidionem, nullus illi in Arcem dabatur ingreſſus: litteras, & annulum, quem à Duce detulerat, callidè ſatis ſagittæ inſeruit, & arrepto arcu nemine id ſuſpicante, in Arcem illa traiecit. Tenor itaque litterarum huiuſmodi

Digitized by Google

di erat, quod idem Dux cum exercitu iam transitis Alpibus Veronam veniſſet, eiusq; filius Litulfus Mediolanum ſe præceſſiſſet: in proximo illis venturo auxilio viriliter agerent: ſe, tam de coniugio, quam de alijs Regni vtilitatibus, pro illorum voto auxiliante Deo facturum. E veſtigio igitur Duce veniente, & fugato Berengario, atque Alberto: ſoluta obſidio eſt; captis duabus eius filiabus, atque in Theutonicam terram tranſmiſſis exilio, moxq; Adhelaidis coniugium Otto ſortitus, Theutonicis Regibus ex tunc, & deinceps in Italia regnandi initium extitit; ac non multo poſt Romam ingreſſus coronam Imperij de manibus Ioannis duodecimi Pontificis Romani, recepit. Anno videlicet incarnationis Dominicæ nongenteſimo ſexageſimoſecundo. Anno 962

Nos itaque iam (ſicuti in præfatiuncula huius operis dixiſſe reminiſcimur) tempus eſt, vt primo huic libello terminum demus. Nam ita certè libri termino Lectoris refocillatur intentio, ſicut viatoris labor hoſpitio.

Simul etiam dignum exiſtimamus, vt reſtauratio: immo (vt ſic dicamus) reinchoatio tanti Monaſterij, vna cum nouo Abbate ſui libri inchoationem, ſeu exordium, (annuente Domino) habeat, & ſequentia tempora, ſequentis quoque libri narratio, proſequatur.

ADNOTATIO.

Quæ hoc capite narrat Leo, per anticipationem dicta ſunt; contigerunt enim poſt electionem Aligerni Abbatis, de quo agere incipiet libro ſequenti cap 1. ſed ne filum hiſtoriæ illius interrumperet, placuit Leoni hæc in calce huius libri reponere. Deo gratias.

Finis Libri Primi.

Digitized by Google

CHRONICI CASSINENSIS

Liber Secundus.

CAPVT PRIMVM.

ALIGERNVS Abbas ſeptimo, ac vicesimo loco à Beato Benedicto in hoc Monaſterio feliciter ordinatus, ſedit annis triginta quinque. Fuit autem temporibus primi, & magni Ottonis Imperatoris, de quo ſupra diximus, & filij eius ſecundi Ottonis. Principum verò Capuanorum Landulfi, & Pandulfi filij eius, cui cognomen caput ferreum fuit, & fratris eius Landulfi, & item filij Landulfi. Romanorum quoque Pontificum à Ioanne duodecimo, vſque ad Ioannem quintumdecimum. A quibus ferme omnibus diuerſis temporibus, nihil negligens, tam priuilegia, quàm præcepta recepit. Inter quæ quintusdecimus Papa Ioannes ad honorem, & reuerentiam huius loci, hoc in ſuo priuilegio, ſuper cæteros auctoritate Apoſtolica addidit. Interdicẽs omnibus Epiſcopis, vt nulli liceret ab vniuerſis populis huic Monaſterio ſubiectis, vel ab omnibus vbiq; terrarum ſibi pertinẽtibus Eccleſijs, decimas viuorum, aut defunctorum oblationes per quamlibet occaſionem auferre.

Hic itaque, Neapolitanus genere, in Monaſterio S. Pauli apud Romam ſub prædicto Abbate Baldoino Monachus factus eſt: poſtmodum autem ab eodem Abbate huc tranſlatus, atque poſt tranſitum Maielpoti, vt ſupradictum eſt, de Præpoſitura huius loci, Abbas effectus, ſuper id, quod Leo, atque Ioannes, Monaſterij huius Abbates, olim inceperant,

Digitized by Google

rant, restaurare cœpit hunc locum. Qui nimirum à tempore Abbatis Bertharij, quo à Saracenis incensus est, per septem, & sexaginta circiter annos vsque ad se neglectus, ac destitutus, & quasi desolatus pœnitus fuerat. Iam tamen paulo ante, sub Baldoino scilicet Abbate, Monachi nostri, qui eatenus primo apud Theanum, postmodum verò apud Capuam commorati fuerant, præcepto Agapiti Papæ secundi ex parte reuersi erant, sicuti iam supra relatum est. Non tantum autem Monasterium, sed & cuncta in circuitu ipsius planicies, ita tunc erat Saracenorum infestatione destituta, vt rarus, immò ferè nullus inueniretur, qui seruis Dei ibi degentibus, aliquod obsequium exhibere deberet. Super hæc præterea Theanenses Comites vsque ad monticellum Monasterio proximum, qui Torocellus dicitur: res eiusdem Monasterij inuadendo peruenerant. Aquinenses verò, quibus Adenulfus quidam, cognomento Megalus, in Gastaldeum præerat, ab ipso ferè Casino, qui non integris duobus millibus à ciuitate sancti Germani abest: totam (vt vulgo loquar) Flumeticam, cum vniuersis adiacentijs retinebant. Cœpit igitur prudens Abbas Monasterij possessiones, quas antiquitus possederat vbiq; terrarum, & maxime contiguas quasque, & in vicinia positas, solerter inquirere, & ab his, qui bellicis eas temporibus diripuerant, inuentis, atque ostensis concessionibus, ac præceptis eorum, qui hic illos dudum tradiderant, cœnamine toto repetere. Sed cum videret se nullis precibus, nullis rationibus, irrationabilium latronum, posse ad ea restituenda animos inclinare, Capuano Principi Landulfo super ista conqueritur. Quo cognito aduersarij, & eius studio, ac diligentia vehementer offensi, cernentes se, cum illius sollicitudine non posse quiescere: meditabantur in dies qualiter, vel eum caperent, vel certè illi molestias, quas possent, inferrent. Agebantur autem hæc omnia nutu, ac dispositione Dei, qui eius captionem, ac dedecorationem, ad loci huius prouidebat fieri restaurationem. Cum igitur quadam die in construenda Rocca, quæ Ianula nuncupatur, & Ecclesiæ Beati Germani desuper imminet, operam daret: subito præfatus Adenulfus, qui & Megalus cum militibus aliquot

Digitized by Google

superueniens, eundem Abbatem vi cepit, atque Aquinum veluti prædam maximam asportauit. Ibi verò in spectaculo publico, Vrsino illum tergore vestiens, canes ei vndique, sicuti reuera vrso, ad circumlatrandum immisit, & iniurijs plurimis virum honorabilem, vir nequissimus dehonestauit. His prædictus Princeps auditis, & plurimum super tanti viri tanto dedecore indignatus, mandat protinus Adenulfo, vt Capuam vadat, coramq; se legali iudicio Abbati iustitiam faciat. Ille verò prospiciens se legaliter ob hoc morti debere succumbere, rebellare magis elegit, de Aquipensi satis munitione confidens, ad Principis Curiam ire contempsit.

CAPVT II.

PRINCEPS itaque tam suam, quàm & Abbatis vltum ire iniuriam statuens, Aquinum venit, eiusq; prætorium, in quo præfatus rebellis se munierat, obsidione, ac machinis circundedit. Videns igitur Adenulfus, se non posse Principis manus euadere, funem in collum suum misit, & per manus coniugis suæ ad Principis pedes se trahi præcepit. Quo facto statim eum Princeps, ita vt erat ligatus Abbati cum omnibus suis deliberauit; vt tam de ipso, quàm & de omnibus rebus ipsius, quicquid vellet efficeret. Ita Adenulfus cernens se captiuum, in potestatem captiui sui, iusto iudicio Dei venisse: mox charrulam renuntiationis de vniuersis, quas retinuerat Monasterij possessionibus, sponte satis, ac libentissime faciens, in manibus Abbatis remisit: sicq; posthæc cum omnibus suis libertati propriæ ab eodem Abbate gratuito restitutus est. Atque tali occasione res suas, iam dudum inuasas, Pater Benedictus paulatim recuperare, ac recipere cepit. Namq; non multo post, Theanenses quoque Comites diuinitus acti, similia de his, quæ ipsi retinebant renuntiationis scripto eidem Abbati fecerunt. Nihil itaque moratus idem Abbas, & tempus acceptabile minimè negligendum ducens, statim à prædicto

Digitized by Google

dicto Principe Landulfo, necnon & Pandulfo filio eius, præceptum libertatis, ac confirmationis totius ex integro Abbatiæ expetijt, & accepit, secundum terminos scilicet superius scriptos, quos Gisulfus Dux tempore Petronacis primo statuerat, & postmodum Carolus Imperator, tempore Theodemar imperiali præcepto firmauerat. Super quod etiam aliud specialius præceptum ab eisdem Principibus de castello sancti Angeli, & de Turre sancti Georgij, necnon & de omnibus castellis, siue turribus, quæ in pertinentijs Monasterij deinceps construi deberentur, singillatim sibi fieri postulauit. Itemq; aliud de Gualdo casæ Gentianæ, & aliud insuper de tota Piscaria Lesinensi cum ipsa Foce sua, & cum Ecclesia sancti Focatis, quæ ibi est, necnon, & de aliquot casis intra eandem Lesinam. Postmodum verò tam à prædicto Pandulfo, quàm & à Landulfo filio eius interueniente supradicto Adenulfo Gastaldeo, rursus aliud præceptum recepit de vniuersis finibus, ac pertinentijs Monasterij huius. Non tamen super omnia hæc, quoties dabatur occasio quiescere valebant veritatis aduersarij: sed nunc quidam de Aquino, nunc quidam de Pontecurno, necnon, & de Theano, de finibus huius Monasterij contendere nitebantur. Verum quoties cum nostris in placito se coniunxerunt, toties summis rationibus victi, quod fallaciter contendebant, refutare veraciter cogebantur. Vnde etiam contigit, vt hac occasione, plurima apud nos huiusmodi conflictorum, seu renuntiorum munimina habeantur.

Eo quoq; tempore idem Abbas ad Principes iam dictos accedēs, rogauit, vt darent cellæ nostræ Cinglensi locum foris portas sancti Angeli, ad Monasterium construendum ancillis Dei, quia Monasterium, quod intus erat, nimium strictum, & incompositum habebatur ancillis Dei ibi manentibus. Illi verò concedentes statuerunt locum foris murum ciuitatis, vbi castrum, & Monasterium construerentur: cuiq; concesserunt foris murum qualiter vadit vsque in flumen. Per idem tempus à Mariano quoque Imperiali Anthipato patritio, & Stratigo Calabriæ, atque Longobardię, prædictus Abbas sigillum recepit, vt securè, & absq; alicuius contradictione, seu impedimento liceret ei perquirere

quirere omnes hereditates, siue possessiones Monasterij huius, & recolligere eas, iuxta dumtaxat, & competenti ratione ostensa.

CAPVT III.

PORRO demum prudens Abbas à vicinis terris, quæ vastatę non fuerant, agricolis vndique mox euocatis, in possessiones illos Monasterij, quotquot cultoribus indigebant, cum vniuersis eorum familijs habitatores induxit: sancito, tam cum eis, quos ibi inuenerat, quàm cum eis, quos ipse conduxerat, libellari statuto, vt de tribus totius eiusdem terræ redditibus, hoc est tritici, & hordei, ac millij partem septimam: de vino autem tertiam annualiter Monasterio darent. Cætera in suis, suorumq; vsibus possiderent, quod vsque hodie stabiliter, ac perenniter obseruatur. Tali ergo modo habitatoribus diuersarum partium huius Monasterij terra ex maxima parte repleta, atque dispositа, ad reparandas, siue meliorandas Monasterij officinas, quemadmodum à prædecessoribus suis, Leone, & Ioanne, iam dudum inchoatum fuerat, animum posuit: Ecclesiamq; primitus totam, quam prædictus Ioannes construxerat, nouis trabibus, ac lignis cipressinis contignans, tegulis cooperuit: parietes verò illius vndique satis pulchrè depinxit, pauimentum etiam ante altare Beati Benedicti multimoda lapidum varietate constrauit. Ipsum quoque altarium argenteis tabulis in circuitu decorauit, necnon, & anteriorem faciem altaris Beati Ioannis argenteam fecit. Fecit etiam, & crucem argenteam deauratam, non modicam, & textum Euangelij vndique contextum argento inaurato, & smaltis, ac gemmis: coronas argenteas tres. Calices quoque, & thuribula, & varia Ecclesiastica ornamenta, necnon, & codices plurimos, & diuersos. Interea, & habitacula nonnulla eiusdem loci restaurans, ac si alter Petronax, cępit iuxta tenorem regulæ, & priscam Monasterij consuetudinem, cum Fratribus conuersari. Apud Capuanum verò Monasterium cum orna-

Obseruantia regularis.

Digitized by Google

ornamenta Ecclesiastica nonnulla, & campanas, atque cor-
dices aliquot effeciisset. In Ecclesia etiam titulum cum
confessione sua à parte Occidentali satis decorum adauxit,
atque depinxit.

CAPVT IV.

PER idem tempus, primus, ac magnus Otto tertij Imperij sui anno per interuentum coniugis suæ Adhelaidis Imperatricis generale præceptum huic Monasterio fecit: confirmans omnia, quæ hactenus per diuersa loca à quibuslibet hic fuerant tributa. Item post quatuor circiter annos Paulus Abbas sancti Vincentij eum adiens, eumq; ex parte prædicti nostri Abbatis efflagitans: aliud ab eo præceptum plenius de confirmatione totius Abbatiæ de more priorum Imperatorum obtinuit. Nec multo post per aliud præceptum idem Imperator Abbati nostro Monasterium sancti Angeli de Barregio, cum omnibus cellis, ac pertinentijs suis concessit. Quod videlicet Monasterium eo tempore Albericus Marsorum Episcopus in tempus vitæ suæ, per scriptum ab eodem retinebat Imperatore. Quiq; Imperator eidem Monasterio sancti Angeli præceptum de confirmatione omnium rerum ipsius, iam ante quinquennium fecerat. A secundo etiã Ottone cum præcepto cõfirmationis totius Abbatiæ, prædictum quoq; Monasterium, quod præfatus Marsorum Episcopus, in præsentia eiusdem Imperatoris, qui tunc apud Marsiam, in mõte vocabulo Cedici morabatur, chartulã renuntiationis illi de eodem Barregensi Monasterio faciens, quietum de cætero sub hoc Monasterio maneret, obtinuit. Cum idem Episcopus ante sex annos sua sponte prædictum sancti Angeli Monasterium, per oblationis suæ chartulam Beato Benedicto contulerit. De quo etiam Monasterio cum post aliquot annos Guinisius Marsorum Episcopus filius prædicti Alberici, quæstionem mouere voluisset, quod quasi Ecclesia sua præceptum Imperatoris inde haberet: à monachis nostris in placito Marsorum Comitum conuentus, atque confictus, tacere coactus est. Atque pro hac occasione tria Imperato- Anno 961

Imperatorum præcepta, quæ de eodem Monaſterio pater eius acquiſierat, nobis reddita ſunt. Eo tempore Benedicto Papa ſexto vita decedente, Benedictus Papa ſeptimus pro-
Anno 975 pinquus ſupradicti Alberici Romanorum conſulis, in Apoſtolicam ſedem inthronizatur.

CAPVT V.

Anno 954 SECVNDO huius Abbatis anno, qui eſt à natiuitate Domini nongenteſimus quinquageſimuſquartus: Beatiſſimi Apoſtoli, & Euangeliſtæ Matthæi corpus, quod primo apud Aethiopiam, vbi paſſus fuerat, poſtmodum autem apud Brittãniam per tempora diuerſa quieuerat: tandem eiuſdem ſancti Euangeliſtæ reuelatione repertum, atque in Salernum tranſlatum
Anno 957 eſt. Triennio autem poſt, duo ſoles in cœlo pariter viſi ſunt: & per duos dies menſis Iulij mare dulce factum eſt, à Neapoli vſque Cumas.

CAPVT VI.

TVNC temporis Benedictus Papa, cuius ſupra meminimus, quaſdam curtes ſuas in Comitatu Aprutij eidem Abbati per priuilegium conceſſit. Per hos etiam dies prædictus Princeps Pandulfus per præceptum ſuum conceſſit in hoc Monaſterio totam ſubſtantiam Arechis filij Ianiperti, quam habuerat in Theanenſi, tam intus, quàm foris, vna cum Eccleſia ſancti Silueſtri, quæ intra eandem ciuitatem conſtructa eſt, cum omnibus omninò pertinentijs eius. Aliud etiam præceptum fecit ei de aqua fluuij Saonis cum ripis ex vtraque parte poſitis. Huic Pandulfo proclamauit præfatus Abbas ſuper Bernardum Comitem de Aliſis: eo quod minabatur incendere, & deſtruere vnum caſtellum huius Monaſterij, de loco, vbi Curuara dicitur, & homines eiuſdem caſtelli prædari, & cædere. Qua propter idem

Digitized by Google

idem Princeps flexus clamoribus eius, sigillato præcepto constituit, vt siue prædictus Bernardus, siue quicunque homo sub sua ditione positus, aliquam molestationem, vel minimam, aut eidem castro, aut habitatoribus eius inferre præsumeret; componeret aureos bizantios mille, super illam dumtaxat compositionem, quam legibus est statutum componere. Gisulfus quoque Salernitanus Princeps filius Guaimarij maioris, vna cum Gemma vxore sua fecit chartam in hoc Monasterio de quarta parte omnium, quæ Lambertus Dux, & Marchio possedisse visus est in Comitatu Marsicano, & Balua, Forcone, Amiterno, necnon & Marchia Firmana, & Ducatu Spoletino: exceptis seruis, quos omnes libertate donauit, quæ videlicet omnia ex parte Itæ Principissæ Auiæ ipsius Gemmæ sibi in hæreditatem obuenerant. Sed & Borrellus Comes de Petra abundanti, fecit in hoc Monasterio chartam oblationis de Monasterio sancti Eustasij in finibus eiusdem castri, loco qui dicitur ad Arcum, cum omnibus omninò rebus, ac pertinentijs ipsius, & cum pertinentia terræ modiorum mille sexcentorum vigintitrium. Præterea quidam Ioseph Presbyter de ciuitate Larinensi, obtulit in hoc Monasterio Ecclesiam sancti Laurentij, quam ipse construxerat in hereditate sua, iuxta eandem ciuitatem, cum omnibus rebus, & pertinentijs suis. Quidam etiam Aquinenses viri nobiles filij Rodiperti Gastaldei, obtulerunt omnes res suas Beato Benedicto, in territorio Aquinensi, loco, qui Publica vocatur, Plana, & Montana perplurima. Hildebrandus quoque Comes de Sora, simul cum Fratribus suis fecerunt chartam sancto Benedicto de medietate Lacuum Taurini, & Iuliani, qui procedunt à Posta, cum omnibus pertinentijs medietatis eorum. Quos videlicet Lacus totos ex integro, vna cum Riuo de Carnello in hoc Monasterio Pandulfus, & Landulfus Principes, cum omnibus eorum pertinentijs firmauerunt. Sed & Rachis Gastaldeus de Vicalbo donauit Beato Benedicto curtem suam cum Ecclesia sancti Victorini, prope prædictos Lacus, vbi modo Posta vocatur, necnon & duo Gualda in finibus Vicalbi, vnum in loco, qui dicitur Silua plana; alterum in Monte albeato, cum omnibus finibus, ac pertinentijs

Digitized by Google

cinentijs ipſorum. Per idem tempus homines de Vicalbo acquiſierunt à prædicto Abbate Podium, vbi nunc eſt ciuitas ſancti Vrbani, quod huic Monaſterio antiquitus pertinebat, vt facerent in eo caſtellum, & reddiderunt in Vicalbo duplo tantum terræ, quam acceperant. Reſeruauit autem ſibi Abbas ipſam Eccleſiam ſancti Vrbani, cum pertinentijs proprietatis ipſius, & cum tota curte intra ciuitatem, in omni videlicet parte pedes centum. Hic idem Abbas dedit in cambium Aimerado cuidam de territorio Marſicano Eccleſias, & terras huic Monaſterio pertinentes ibidem, ideſt Eccleſiam ſanctæ Mariæ in Montorone, ſancti Abundij in Arcu, ſanctæ Mariæ in Oretino, Saluatoris in Auezano, & Antimi in Vicu, & recepit ab eo in Comitatu Theatino Eccleſiam ſancti Heliæ, & ſancti Viti, cum quinque millibus modijs de terra. Item dedit Eccleſiam ſancti Comitij, & ſancti Viti, & ſancti Heliæ in Theano, & recepit in eodem Comitatu Eccleſiam ſancti Geneſij, cum tribus millibus modijs terræ, & in Comino quinque millia, inter Atinam ſcilicet, & Vicalbum, & Furcam ſancti Eleutherij. Item de Eccleſia ſancti Fœlicis in Puluerio, modiorum terræ mille centum, tulit ſolidos centum; pro cenſu verò annuali ſolidos quinque. Per hos dies in placito Marſorum Comitum proclamante illo: refutata eſt ei ripa Fucini cum piſcaria ſua, ab ipſa videlicet Eccleſia ſanctæ Mariæ de Montorone, vſque in ſanctam Mariam de Palude, qui locus tunc Altoranum nuncupabatur. Necnon & duæ ſeruorum familiæ cum omnibus ſuis. Proclamauit etiam in placito Andreæ Marchionis miſſi Donni Ottonis Imperatoris, & Oderiſij Comitis deBalua, apud Sulmonam contra dictum Comitem Oderiſiũ, qui retinebat duas Eccleſias noſtras de Balua in Valle de Pettorano, ideſt ſancti Stephani, & ſancti Eleutherij, & facta inde manifeſtatione recollegit eas. Hic conuocatis aliquot hominibus de ciuitate Termulenſi, fecit cum eis conuenientiam, vt ædificarent ibi in pertinentia huius Monaſterij in loco, qui Ripa Orſa vocatur, iuxta fluuium Trinium vnum caſtellum, vbi ipſi habitarent, & laborarent ipſas terras nobis pertinentes, ita vt tertiam tantum partem huic Monaſterio de omnibus, quæ

ope-

Digitized by Google

operarentur, & de ipſo caſtello tribuerent; duas verò ſibi haberent. Per idem tempus Saldefrit Diaconus ciuitatis Leſinenſis, obtulit in hoc Monaſterio vnam Eccleſiam iuris ſui vocabulo ſanctus Martinus, conſtructa iuxta eandem ciuitatem in loco, qui dicitur Alchiſi, cum omnibus ornatibus, & pertinentijs eius. Id ipſum quoque fecerunt, Guarnerius, & Laidulfus, & Baſſo Larienenſes de Eccleſia ſancti Germani, in loco, qui dicitur Aquarola, apud Larinum. Eodem modo oblatæ ſunt huic Monaſterio tres Eccleſiæ in Lumiſano, ideſt ſancta Maria, ſanctus Petrus, & ſanctus Benedictus in loco Maccla bona, cum omnibus rebus, & pertinentijs earundem Eccleſiarum. Guido etiam Aſculanus obtulit curtem ſuam de Caſali, loco, qui dicitur Force, quę eſt terra modiorum circiter mille quingentorum: obtulit autem illam in Eccleſia ſancti Saluatoris de prædicto Aſculo, ad opus Monaſterij huius. Emmo etiam quidam Marſicanus obtulit huic loco hereditatem ſuam de Comino, quæ eſt centum modiorum terra, in loco, qui dicitur Ferrara ad Vicalbum. Circa hos dies Giſepertus Præpoſitus ſanctæ Sophiæ de Beneuento, ordinatus ſuper cauſas huius Monaſterij in Leſina, & Termole, recollegit ab Adelchiſo Lucerino Epiſcopo libellum, quem ei dudum Angelarius Abbas fecerat de omnibus, quæ in prędicta Leſina huic Monaſterio pertinebant: dimiſſa ei iterum per libellum medietate ipſius Faucis, & fluuio Lauri, vſque in quintumdecimum annum, cenſu auri libra vna per annum. Hic idem Giſepertus proclamauit in placito Termulenſi coram multis, qui ibi aderant nobilibus, atque Iudicibus, ſuper quodam Caſtelgardo, qui ei contendebat quandam curtem noſtram in eadem Termula, loco, qui vocatur Caſalemari ad ſanctum Georgium, quæ curtis appellatur de Theodoſio, quam videlicet curtem Deuſdedit Abbas noſter olim emerat ab Adelperto Auo eiuſdem Caſtelgardi quingentis ſolidis aureis, cum caſis, & terris, vineis, ſiluis, pratis, & aquis, ſimul cum ipſo paſcuo eius, quod habebat in Termoleto per deſignatos fines, ab vno capite riuus, qui decurrit à ſancto Georgio in Viuarium, & vſque Biſernum. Ab altero capite mare, à latere Biſernum, ab altero latere riuus viuus,

qui

qui decurrit in mare : & ita oſtenſa ratione ſua iudicantibus illis, manifeſtauit ſe inde prædictus Caſtelgardus perſcriptum : appoſita compoſitione mille ſolidorum, ſi hoc aliquando remouere voluiſſet. Conſtantius quoque Præpoſitus ſancti Benedicti de Lariano proclamauit in placito Maldefrid Comitis ſuper Azonem Epiſcopum ipſius ciuitatis, de Eccleſia ſancti Benedicti in Pettenari, quam idem Epiſcopus cum omnibus poſſeſſionibus eius ſibi vendicauerat, & oſtenſa ratione, ac iuſtitia noſtra, iudicante Comite, & Epiſcopo renuntiante, recollegit eam ; & quoniam deſtructa erat, à fundamentis eam reſtaurans, ibi Monaſterium, quod hactenus intra ciuitatem fuerat, eſſe conſtituit, ibiq; cum monachis religioſe viuere cępit.

CAPVT VII.

HIC Abbas fecit libellum de monaſterio ſanctæ Mariæ in Luco, Rainaldo Comiti Marſorum: ſecundum illas ſcilicet pertinentias, atque fines, quibus Gualterius Saterdos, & monachus eandem Eccleſiam à Doda Comitiſſa ſibi oblatam in hoc Monaſterio ante annos fermè viginti tradiderunt, quod eſt terræ modiorum ſexcentorum. Quod videlicet ſanctæ Mariæ monaſterium, diuerſis poſtmodum, ac multiplicibus, longè, latèq; Eccleſijs, ſeu poſſeſſionibus, à nonnullis fidelibus eſt ditatum, de quibus hic aliquanta ſcribimus, quæ inueſtigare potuimus. Sancta Maria in Colle longo, ſanctus Martinus in Tranſaquas, ſancta Crux in valle Ortucle, ſanctus Laurentius in Vico, ſanctus Ioannes in Beſenge, ſanctus Cyprianus in ciuitate Marſicana, ſanctus Saluator in Gyro eiuſdem ciuitatis, ſancta Barbara ibidem, ſanctus Ambroſius in Secunzano, ſancta Maria in Ceſis, ſanctus Leucius in Marano, ſanctus Blaſius in Muſcuſi, ſanctus Eraſmus in Pomperano, ſanctus Siluеſter in Pireto, ſanctus Saluator in Camarata, ſanctus Germanus in Perrella Romani, ſancta Reſtituta in Morrei, ſanctus Stephanus, & ſanctus Nicolaus, & ſanctus Donatus in

valle

Digitized by Google

valle Sorana, sancta Maria in Passarano, & sanctus Sebastianus ibidem. Omnes istæ Ecclesiæ cum vniuersis possessionibus, & pertinentijs earum, mobilibus, & immobilibus prædicto Monasterio antiquitus pertinuere. Insuper, & hæreditas Petri Maimonis, in Auretino magna, & bona, & hæreditas Apici in Paterno, & hæreditas Bettonis Rattrudæ in Auezano.

CAPVT VIII.

PRAETEREA vbicumque de possessionibus nostri Monasterij, quæ prioribus temporibus amissę fuerant, præfatus Abbas inuestigare certius potuit, maximum præ omnibus recolligendi, & conquirendi, seu etiam redimendi, necnon libellos faciendi studium habuit. Libellos autem quamplurimos, siue de rebus huius Monasterij, siue sancti Angeli de Barregio, vt in eisdem libellis habetur, ideo studiosissime faciebat, vt & hoc monasterium dudum à Saracenis destructum, de ipsorum pecunijs reconciliaret, & vt per hoc indicium, ad huius cœnobij ditionem vniuersa illa pertinere in futurum tempus ostenderet. Nam filijs cuiusdam Gisonis de Aprutio libellum faciens de curte de Vigano quadringentorum circiter modiorum, recepit inde in præsenti solidos sexcentos, annualiter verò pro censu solidos viginti. Item in Aprutio de curte Tulliana solidos trecentos, pro censu solidos viginti tres. Item ibidem de curte, quæ dicitur Bassanum solidos censum, pro censu solidos vigintiquinque. Item ibidem locum Arole, de quadringentis modijs terræ solidos sexcentos, pro censu solidos quatuor. Item ibidem de curte Mariana solidos septem. Item de curte Tulliana, & alijs rebus libras sexdecim, pro censu solidos viginti. Item de eadem solidos trecentos, pro censu solidos sexdecim. In Comitatu verò Pennensi de curte sancti Siluestri de Doliola, solidos quadringentos, pro censu solidos quindecim. De curte sancti Georgij de Colline solidos ducentos, pro censu solidos decem. De terris in loco, qui dicitur Cicoli, solidos quingentos, pro censu solidos decem. De terris in Pater-

Digitized by Google

no, & casa Punzi, solidos centum sexaginta, pro censu solidos quatuor. In Marsia de sancto Vittorino in Celano, & sancto Benedicto in Tilia, libræ sex, pro censu Tremisses octo. In Balua de sancto Mercurio, & sancto Cesidio, & alijs rebus in Flaterno libræ quatuor, pro censu Tremisses decem. Item ibidem Ecclesia sancti Benedicti in Prætorio libras duas, pro censu solidos duos. Fecit etiam libellum cuidam Ioanni Presbytero, & Maraldo Gastaldeo ciuitatis Cannensis de piscaria eius ciuitatis, in loco, qui dicitur Zappineta vsque in decem annos, pro censu per singulos annos quatuordecim ligaturas sepiarum, quadraginta bonas sepias per singulas ligaturas habentibus. Necnon & de Ecclesia sancti Benedicti sita in eisdem Cannis, pro censu duarum pellium confectarum. Fecit & libellum Landulfo Comiti Hisernienſi de tota pertinentia terrarum, vbi dicitur Capriata. Quas idem Comes non multo post ex integro reddidit in hoc Monasterio, tradito hic ad conuersionem filio suo paruulo. De piscaria quoque Lesinensi fluuio Laurei, libellum fecit pro censu triginta bizantiorum. In valle quoque de Caudis loco Paulisi, de Ecclesia sancti Andreæ, & omnibus pertinentijs eius, libellum fecit cuidam Leoni Presbytero, & Ioanni Genco, pro xenijs, & seruitijs eorum. Similiter fecit, & de innumeris alijs, quæ hic superfluum scribere duximus.

CAPVT IX.

Anno 971. IOANNES Abbatis nono decimo anno, Ioannes Papa de Roma exiliatus, venit Capuam, & rogatus à præfato Principe Pandulfo, tunc primum in eadem ciuitate Archiepiscopatum constituit: consecrato ibi Ioanne fratre eiusdem Principis Archiepiscopo. Post quem Donnus Leo huius cœnobij monachus in eadem ciuitate, quatuor annis, & dimidio Archiepiscopatu functus. Gelberto nihilominus huius loci monacho
Anno 972. successionem Archiepiscopatus reliquit. Sequenti anno defuncto primo Ottone: Otto secundus Imperator filius eius, cogno-

Digitized by Google

cognomento Rufus, venit Capuam, & abijt Tarentum, ac Metapontum, & deinde Calabriam. Vnde prosperè ad sua reuersus, Anno Domini nongentesimo octogesimotertio, iterum magno exercitu congregato, cum Saracenis in Calabriam dimicaturus descendit: sed diuina permissione superatus ab illis: vix ipse cum non multis euadere potuit. In quo etiam prælio Landulfus Princeps, filius Principis Pandulfi, cum fratre suo Atenulfo, & alijs pluribus mortuus est. Imperator autem Capuam reuersus, firmauit Principatum relictæ Pandulfi Principis Aloarę, & filio eius Landenulfo. Ipse verò pro recolligendo milite, ac certamine restaurando Romam rediens, eodem tempore defunctus est, atque in atrio Ecclesiæ Beati Petri Apostoli in labro porphiretico sepultus, introeuntibus in paradisum eiusdem Ecclesiæ ad lævam, & filius ipsius Otto tertius Regnum accepit.

CAPVT X.

PRAEDICTA verò Aloara cum vixisset in honore suo annis circiter octo, reliquit in Principatu filium Landenulfum, qui post quatuor menses à quibusdam infidelibus suis Capuanis crudeliter occisus est, apud Ecclesiam sancti Marcelli, ipsa quinta feria sancti Paschæ, ad quam de more principali eiusdem ciuitatis eadem die processerat. Quo cognito Trasmundus Theatinus Comes, & Marchio, propinquus eiusdem Principis, ad vlciscendam ipsius interfectionem, congregato non paruo exercitu simul cum Rainaldo, & Oderisio Comitibus Marsorum, venit super Capuam post duos fermè menses, & obsedit eam, ac vastauit per quindecim dies. Postmodum verò pro hac eadem Principis vltione venit Capuam, vna cum prædictis Comitibus Hugo Marchio missus ab Imperatore, & obsedit eam vndique per multos dies, quousque ij traditi sunt illi, qui prædictum Principem interfecerant. Quos accipiens, sex de illis in furca suspendit; cæteros verò diuersis, ac varijs pœnis multauit.

Digitized by Google

CAPVT XI.

Terræmotus magnus.

ANTE hoc fermè biennium ingens terræmotus factus est, tam in Capua, quàm Beneuento: ita vt in Capua plurimas domos euerteret, & campanas eiusdem ciuitatis per se sonare faceret. In Beneuento autem viperam deiecit, & subuertit quindecim Turres, in quibus centum quinquaginta homines mortui sunt. De Ariano, & Frecento magnam partem destruxit. Compsanam ciuitatem prope mediam euertit, eiusq; Episcopum cum plurimis alijs occidit. Rosam verò cum vniuersis ferè in ea manentibus submersit. Eisdem fermè diebus Frater huius Aligerni Abbatis, Leo nomine, monachus professione, portionem ligni Dominicæ CRVCIS non paruam, auro, gemmisq; pretiosis, ac margaritis circundatam, reuertens à Ierosolyma detulit, & huic sancto cœnobio deuotissimus obtulit, die nonarũ Nouembrium. Depositus est
Anno 987 autem prædictus Abbas nono Kalen. Decembris, & sepultus iuxta Ecclesiam sancti Benedicti.

ADNOTATIO.

ALigernus iste de quo hactenus egit Leo noster, summe laudatus reperitur in vita sancti Nili Abbatis, ipso namq. huic monasterio præsidente, Beatus Nilus ad hoc Monasterium venit, præuiderat namq. diuino, quo pollebat Spiritu, venturos in Calabriam, vbi tunc ipse manebat, Saracenos, à Græcis aduersus Latinos vocatos, eosdemq. vt hostes,

Beatus Nilus anno 980 Cassinum venit.

eandem prouinciam mirè vastaturos, vnde cum suis recedens anno Domini nongentesimo octogesimo, Cassinum venit, atque à Cassinatibus honorificè valde exceptus, ab eisdem incolendum accepit monasterium Vallem lucis nominatum. Quod eiusdem Patris discipulus, qui res ab eo præclarè gestas accuratè, atque fideliter scripsit enarrat, sic dicens.

Hoc cum iam cognouisset Beatus Nilus oculo suo prophetico (Saracenos scilicet Calabria potituros) diuinæ indignationi locum dare volens, ad Orientales partes se conferre nolu-

luit,

Digitized by Google

fuit, veritus opinionem, quam de ipso habebant Orientales (ad ipsos enim etiam Imperatores Christo dilectos fama peruenit virtutis Nili) & honorem fugiens, elegit inter latinos agere, vt ignotus apud eos. Quo verò magis ille hominum gloriam fugere studebat, tanto magis cœlestis gloria ipsum exornabat, & omnes, vt vnum ex Apostolis illum excipiebant, & parem venerationem illi tribuebant. Cum enim Capuam venisset (vt alia ommittam propter copiam) & maximo honore affectus esset, tum à Principe ipso Pandulfo, tum ab alijs nobilibus ciuitatis, adeo, vt decreuerint ipsum sibi Episcopum instituere, & res iam secuta fuisset, nisi mors ipsum Principem præoccupasset.

Tùm verò cum vocassent Abbatem Monasterij montis Cassini (Aligernus erat iste ille Beatus) illi significarunt, vt daret Beato Nilo monasterium aliquod sancti Patris nostri Benedicti, quodcumque ipse vellet.

Beatus itaque Nilus cum ad inclytum illud Monasterium accessisset, obuiam illi venit vniuersa monachorum turba vsque ad montis radices, Sacerdotes, & Diaconi sacris vestibus, vt in die festo induti, Cereos, & thuribula præ manibus habentes, & ita Beatum Nilum ad monasterium deduxerunt: nec aliud quippiam videbantur audire, & videre, quam si magnus Antonius Alexandria ad venisset, vel è mortuis magnus Benedictus surrexisset, diuinus ille ipsorum legislator, & magister. Et rectè quidem iudicabant, & a scopo non aberrabant. Omnes enim, qui ex ipsis, vel corporis, vel animæ aliquo detinebantur morbo curati sunt, & vtilia ab ipso sunt lucrati; & qui speculationi incumbebant, doctrinam adepti sunt: qui in bonis erant operibus, ducatum: qui in peccatis, correctionem: qui in virtutibus, exhortationem: qui bene ualebant, abstinentiam: qui male, salutem. Et vnico verbo, quemadmodum olim Israelitis singulis ipsum manna ad eorum gustum conuertebatur, & commodum, quapropter non erat in tribubus eorum infirmus, talem se etiam istis monachis miraculis præbuit, cum ipsos curasset præsentia sua à Deo missa, & omnes spirituali latitia cumulasset. Sapie. 16. vers. 21. Psal. 104. vers. 37.

Valde etiam gauisus est bono ordine & eorum statu magna

Digitized by Google

Monach. Cassinenses laudat

disciplina exornato, & cum res ipsorum supra quam res nostras (Græcorum scilicet) esset admiratus, deducebatur iterum ab ipso Abbate, & ab insignioribus eius fratribus ad monasterium, in quo vna cum filijs suis permanere deberet. Illud autem erat sancti Michaelis Archangeli vallis lucis nuncupatum.

Precati autem sunt ipsum tum Abbas, tum Fratres vniuersi, vt ad maximum Monasterium descenderet, & Græca lingua in eorum Ecclesia diuinum officium perageret, vt

1.Cor.15. vers. 28. Isaia 11. vers. 6.

hoc pacto fieret, vt inquit Apostolus, Deus omnia in omnibus quod etiam Propheta prænunciauit, inquiens: Quod Leo, & Bos simul pascentur, & simul stabunt eorum filij. Beatus verò Nilus initio quidem abnuit præ humilitate, dicens:

Psal. 136. vers. 4.

Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? qui hodie humiles sumus, & abiecti, in vniuersa terra propter peccata nostra. Nihilominus, vt consolemur inuicem nostra fide, & magnum Christi nomen glorificetur, contentus fuit hoc facere, & cum hymnum condidisset proprio ore in sanctum Patrem nostrum Benedictum, qui complectebatur omnia miracula, quæ in eius habentur vita, cumq. omnes Fratres supra sexaginta suscepisset, ascendit ad Cassinense Monasterium, & vigilias peregerunt in hymnis, & canticis. Hæc scriptor vitæ Beati Nili, qui rursus Aligernum nostrum mirificè laudat, cum de eius agit successore, vt ibi videbimus.

CAPVT XII.

MANSO vicesimus octauus Abbas, sedit annis decem. Iste fuit consobrinus Pandulfi Principis, qui cum eo tempore, quo Aligernus Abbas defunctus est, Monasterio sancti Magni iuxta Fundanam ciuitatem posito præesset: propinquorum Principum solatio fretus; non autem omnium huius loci Monachorum consensu, Cœnobij huius Abbatiam indeptus est: vnde factum est, vt nonnulli de Prioribus huius Monasterij Fratribus, potius hinc egredi, quàm manere sub illo, eligerent. Equi-

Digitized by Google

E quibus Ioannes Beneuentanus, qui postmodum Abbas extitit, vnus fuit: alter verò Theobaldus nihilominus postmodum Abbas effectus. Donnus etiam Lucius, de religiosis huius loci Monachis, ac Prioribus vnus, necnon & quinque alij; quorum nomina non recoluntur, ex quibus omnibus, tres priores Ierosolymam profecti sunt. Quinque verò alij in Lombardiam, quos cum ob maximam huius loci deuotionem Hugo Marchio nimis reuerenter suscepisset: ex eius largitione, atque concessione, quinque monasteria in illis partibus construxerunt, ibiq; iuxta traditionem huius Monasterij omnem ordinem posuerunt. Ex cuius etiam Marchionis dono duo hic argenteæ coronæ habentur.

CAPVT XIII.

PER idem tempus supradictus Otto tertius interuentu matris Augustæ, Theophanij præceptum huic Monasterio fecit, confirmans de more omnes pertinentias eius. Gisulfus præterea Theanensis Comes fecit oblationem in hoc Monasterio de loco, & castello, qui dicitur casale Caspuli, cum finibus, ac pertinentijs eius. Berteramus etiam nobilis vir de Comitatu Pennensi obtulit res suas sancto Benedicto, in loco, qui dicitur Fonte Tecta, cum Ecclesia sancti Flauiani, & medietate castelli de loco Carello, & castello de monte Petitto, & cum alijs curtibus suis, quod est terra modiorum septingentorum. Sed & Petrus quidam Presbyter de ciuitate Campomaurani, obtulit in hoc loco Ecclesiam sanctæ Mariæ, quam ipse in hereditate sua construxerat, super ipsos lacus eiusdem ciuitatis, cum multis terris, & omnibus pertinentijs eius. Temmarius quoque vir quidam illustris de Aprutio, fecit sancto Benedicto chartam de omni pertinentia sua, in Penne, & Aprutio, cum Ecclesia sancti Pauli, & sancti Ioannis de Bossera, & curtibus per diuersa loca, terram modiorum mille & centum. Similiter fecit, & Transmundus clericus, de curte sua in Aprutio, quæ dicitur Celli, cum omnibus pertinentijs, & adiacen-

Digitized by Google

adiacentijs ſuis, quod eſt terra modiorum trecentorum. Id ipſum fecit, & Grimoaldus Iudex Aquinenſis de Eccleſia ſancti Angeli, in monte, qui dicitur Aſpranus, cum terris non paucis, & cæteris pertinentijs ſuis.

Hic Abbas fecit libellum Landenulfo Lucerinę ſedis Epiſcopo de Piſcaria Leſinenſi, vnde idem Epiſcopus per ſingulos annos reddebat cenſum in natali Præpoſito ſanctæ Sophiæ de Beneuento, ad opus Monaſterij huius, bizantios vigintiſex. Fecit etiam libellum Rainaldo Comiti Marſorum de Eccleſia ſancti Pauli, quæ ſita eſt in territorio Cominenſi in pertinentia caſtelli Septem fratrum, cum rebus, & pertinentijs ſuis, trecentis videlicet terrarum modijs; recipiens ab eo in præſenti quidem ſolidos quinquaginta: annualiter verò Tincas quingentas. Fecit etiam libellum de Eccleſia ſancti Fœlicis in Puluerio, & ſancti Maximi in Comitatu Theatino, pro quo recepit ſolidos trecentos, pro cenſu verò ſolidos octo. De ſancto Angelo de Galiano in Pennenſi Comitatu ſolidos centum, pro cenſu ſeptem. Item ibidem de ſancto Bonito ſolidos quinquaginta, pro cenſu ſolidos tres. Item ibidem de terris ad Coronulas, & ad fontem Ermonis ſolidos centum, pro cenſu ſolidum vnum. Item ibidem de terris in Paſtina, & in valle Albina ſolidos centum ſexaginta, pro cenſu ſolidos octo. Item in Aprutio cuidam Odemundo de ipſa curte de Mariano ad ipſam ciſternam, & in colle de Morta, terram modiorum centum, & pro cenſu ſolidos quinque. Iſte fecit libellum iuxta tenorem Abbatis Aligerni quibuſdam noſtratibus, & poſuit eos circa ſanctum Heliam, vt ipſam à Barbaris deſtructam reſtaurarent, & terras in circuitu ipſius iuxta terminos ſtatutos excolerent. Eodem tempore Tarracinenſes ciues, commoniti à Ioanne Epiſcopo ſuo, propter cladem quandam, quam tunc patiebantur, ipſo die ſancto Paſchæ vnanimiter, omnes deuouerunt, ac promiſerunt, daturos ſe per ſingulos annos in hoc Monaſterio ſex millia anguillas, & ſcriptum inde fieri terribili anathemate ſuppoſito ad poſterorum memoriam præceperunt.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XIV.

ITAQUE cum à Ioanne Papa quintodecimo, priuilegium iuxta solitum recepisset: à Landenulfo etiam Principe, qui vt iam diximus, à Capuanis apud Ecclesiam sancti Marcelli crudeliter interemptus est; præceptum cõfirmationis totius Abbatiæ accepit, secundum tenorem scilicet præcepti patris ipsius. Laidulfus quoque eiusdem Landenulfi frater, qui illi in Principatu successit; quindecim illi familias in Aquinensi ciuitate de maioribus, quæ ibi erant concessit. Cui etiam nono Abbatiæ ipsius anno præceptum de Castro cœli cum toto monte, qui dicitur sancti Angeli in Asprano per suas pertinentias faciens, iurauit illi omnem securitatem, & vt de tota omninò Abbatia se viuente illum fideliter adiuuaret. In præfati itaque montis summitatem idem Abbas ascendens, cum nonnulla inibi veterum ædificia reperisset: voluit ibi castrum construere, sed propter aquæ penuriam id facere dissuasus, descendit, & in latere eiusdem montis Roccam, quæ Sicca nuncupatur, ædificauit. Supra capput 10. Anno 996

CAPVT XV.

SVPRADICTVS itaq; Imperator Otto depositio Laidulfo, quem supra diximus, & vltra montes exiliato, eo quod in nece fratris sui consensisse videbatur. Ademario cuidam Capuano filio Balsami clerici, quem secum à puero educatum vnicè diligebat, quemq; ante paululum Marchionem fecerat, Capuanum tradidit Principatum. Non multo post, idem Ademarius à Capuanis Principatu depellitur; & Landulfus de sancta Agatha filius Landulfi Beneuentani Principis in Principem subrogatur. Hic Princeps supradicto Abbati, iureiurando firmauit, & iurando firmare fecit duodecim nobiles capuanos totam ex integro Abbatiam, cum omnibus omnino

omnino intra Capuanum Principatum pertinentijs eius, ſicut eam tenuit ſub præfata Aloara Principiſſa,& Landenulfo filio eius,à quibus ei dudum fuerat confirmata. Comitatum etiam Aquinenſem totum ex integro ſimul cum Epiſcopatu eius, & caſtellum Arcis, cum omnibus pertinentijs eorum, ſicut eo tempore tenebat, & dominabatur. Inſuper & caſtellum de Bantra, quod fuit Landonis Comitis,cum vniuerſis pertinentijs ipſius, tenore quo ſupra dictum eſt, confirmauit, cum diuerſis videlicet alijs conditionibus, quas à prædicto Principe Abbati eidem requitere viſum fuit,quemadmodum in ipſius ſacramenti ſerie continetur.

CAPVT XVI.

PRAETER multa igitur illius ſtrenuè, & quodammodo (vt ſuppreſſius de tanti loci patre loquar) ſæculariter geſta, cum & Equites ſibi plurimos,& non paucos ſericis indumentis indutos famulos parauiſſet, & vltramontani Imperatoris curiam nihilo ſeghiter frequentaret:præcipuè ob ſupradictæ Arcis conſtructionem maximum ſibi inuidiæ, atque odij fomitem in vniuerſo Principatu accendit ; adeò, vt non multo poſt fraude inuitatus à Capuanis, captus, atque cæcatus ſit,quod quaſi non ſolum Abbatiam, ſed etiam Principatum ſibi vendicare ſatageret. Acceſſit ad hanc inuidentiam etiam Alberici Marſorum Epiſcopi nequitia, qui videlicet dum filio ſuo (quem de quadam meretrice ſuſceperat) tradidiſſet Epiſcopatum, ad huius loci Abbatiam adipiſcendam, ſi quo modo poſſet, animum dederat. Comperiens itaque prædictum Abbatem ob ea, quæ ſupra diximus valde Capuanis infeſtum: loquutus primo cum quibuſdam nequiſſimis monachis: poſtmodum verò cum aliquibus Deum ignorantibus ciuibus Capuanis ; pactus tandem eſt centum ſe libras Papienſis monetæ illis daturum; ſi illi (cæcato prius Abbate) Caſſinenſe ſibi Monaſterium traderent, quod deinceps eorum fultus auxilio, ſine alicuius contradictionis obſtaculo poſſideret. Ita videlicet

licet; vt medietatem ipsius pretij ad præsens illis, per suos necessarios, mitteret: medietatem verò alteram tunc destinaret, cum Abbatis oculos in manu sua conspiceret. Quod cum ita inter eos firmatum fuisset; cœperunt vtrique, hic de pecunia, illi de nequitia proposse studere. Congestam igitur Pseudo Episcopus ille vndecumque pecuniam, misit, quemadmodum pollicitus fuerat. Quam nequam illi suscipientes, illos quidem, qui detulerant in quibusdam abditis absconderunt. Ad Abbatem vero venientes, dolosè precantur, vt Capuam adeat, & siquam aduersus illorum aliquem querelam haberet, legalem inde iustitiam sumat. Abbas autem quoniam illorum inuidiam iam dudum compertam, & malitiam suspectam habebat, negat illuc posse se aliquatenus ire. Tunc illi (Deum negare parum, quid æstimantes, & eum, qui vniuersorum inspector est, fallere se posse credentes) mox adhibitis Euangelijs, iurant, quod saluum illum, & in columen Capuam ducant: saluumq; nihilominus, & in columen ad sanctum Benedictum reducant. Hoc illi iurantes, fraudulenter in mente sua statuerant, vt posteaquam Capuam illum duxissent, ad Ecclesiam sancti Benedicti, quæ in eadem ciuitate est eum deducerent, vt quasi hoc fraudis ingenio periurium deuitarent. Deceptus itaque huiusmodi fraudibus Abbas, credidit; & Capuam vna cum illis nihil suspicans mali perrexit. At illi, qui iam dudum conceperant dolorem, pepererunt tandem iniquitatem: moxq; vt in Capuanum Monasterium illum introduxerunt; quemadmodum disposuerant, capiunt: eiq; oculos sine mora euellunt, atque diligenter linteolo inuolutos, clam, vt Domino suo ferrent, Episcopi nuntijs mittunt. Quos illi suscipientes, & valde hilares effecti: festinanter ad Dominum suum reuerti cœperunt. Sed O, nunquam dormitans diuini iudicij oculus. Iam illi prope Marsiam in cãpo peruenerant Mezio, ibiq; iam secuti subsistentes, cibos ab itinere fatigati percipiebant. Cum ecce subito peregrinus quidam superueniens, ac perquisitus ab eis (iuxta quod viantibus consuetudo est) aliquid noui. Episcopus, ait, terræ defunctus est, qua illi voce vehementer attoniti, eumq; fallacem, atque impostorem cum aspernatione ni-

mia

mia esse dicentes, prorsus credere dubitabant. Sed cum ille rem certò certius, atque instantius affirmaret, & diem, horamq; illius obitus diligenter notatam eis referret: confestim illi in eodem loco de foßis oculis, quos iam frustra ferebant, ad domum Episcopi, quæ non longius aberat, conscensis Equis perniciter aduolant, atque reperiunt eadem hora vita priuatum Episcopum, qua prædictus Abbas lumine priuatus fuerat oculorum, quæ videlicet dies decimaoctaua Kalendas Decembris extitit. Ex his autem nuntijs, quos in tantum scelus iam dictus Pseudo Episcopus destinauerat; vnum Andræam nomine Presbyterum, ego ipse cum adhuc essem puerulus, vix se se in lecto mouere valentem, recolo me vidisse, qui vltra centenariam iam viuens ætatem; hæc omnia seriatim auunculo meo sanctæ memoriæ Ioanni Sorano Episcopo, quotiens interrogabatur, cum lacrymis confiteri solebat, ne quis fortè existimet fabulosum. Præerat eo tempore in Aquinensi Gastaldatu Adenulfus cognomento Summucula: abauus scilicet eorum, qui nunc dicuntur Aquinensium Comites, qui mox, vt Abbatem cæcatum agnouit, hilaris effectus, Roccam vocabulo Siccam, quam idem Abbas paulo ante construxerat, funditus euertit.

Hic Abbas in territorio Capuano construxit Ecclesiam in honore S. Apollinaris, & in Liburia ad casam Gentianam Eccclesiam S. Ioannis, & in casale Ecclesiã sancti confessoris Christi Mauri. Huic porrò Abbati successor eius Ioannes, Ecclesiam S. Martini iuxta Vulturnum, & Ecclesiam S. Secundini, quæ in Caiazano territorio sitæ sunt, cum omnibus omnino pertinentijs, ac possessionibus earum, diebus vitæ ipsius ex toto contradidit, vt ibidem suo arbitrio, quamdiu aduiueret, honorificè conuersari valeret.

ADNOTATIO.

DE hoc Mansone Abbate agitur in vita sancti Nili his verbis. Cum igitur mortuus esset æternæ memoria Aligernus, qui rectè, & religiosè Monasterium sancti Benedicti administrauit, eius loco præfectus fuit quidam, qui ignora-

bat

Digitized by Google

bat sanctum Nilum qualis esset, vel vt verius dicam, nec ipsum Deum cognoscebat, quod declarabit id quod breuiter dicam. Cum aliquando ad ipsum Beatus Nilus accessisset, inuenit casu ipsum in Monasterio inferiori, in quo est pulcherrimum sacellum sancti Germani, aquarum pulchritudine circundatum: inuenit autem ipsum cum insignioribus monachis magni Monasterij lotum, & in cœnaculo comedentem. Cum itaque expectaret ipsum Beatus Nilus in Ecclesia cum suis Fratribus, audit quod citharœdus quidam ingressus erat in cœnaculum, citharam pulsans. Tunc Beatus Nilus dixit ad eos, qui secum erant. Memoria tenete Fratres verbum hoc, quod breui tempore veniet ira Dei super homines istos: surgite, & hinc discedamus; & hoc cum dixisset, recessit. Nec annus transiuit, & Præpositus ipse (Manso scilicet) defectionis, siue seditionis causa captus, eruti sunt ei oculi, & monachi graui morbo oppressi, alij quidam vsque ad mortem afflicti sunt, alij perierunt. Citharœdus ille profectus vt raperet, captus est, & post multa tormenta eruti sunt illi oculi. Et sic omnes biberunt calicem iræ Domini, iuxta sancti Patris Nili prædictionem. Beatus itaque Nilus, cum in Monasterio, quod dicitur vallis lucis stetisset quindecim annos, recessit inde. Hæc discipulus Beati Nili in vita ipsius. Agit etiam de excæcatione huius Abbatis Petrus Damiani lib. 4. epist. 8. ad Mainardum Episcopum Eugubinum.

Beati Nili prædictio.

Petrus Damiani.

CAPVT XVII.

DE R idem tempus Beatus Adalbertus Sclauorum Episcopus, relicto Episcopatu suo, ex licentia Romani Pontificis, ad hoc Monasterium venit, cupiens Ierosolymam ire. Sed cum à prædicto Abbate, & à nonnullis huius loci prioribus dehortatus inde fuisset, quasi diuinitus datum sibi consilium sumens, statuit tota vita sua hic degere, & nusquam amplius omnino procedere. Sed cum quadam die quidam de Prioribus huius Monasterij affectuosè cum ipso loquentes, dixissent: Bonum est pater, vt hic nobiscum maneas,

S. Adalbertus Cassinū venit.

Digitized by Google

neas, hic habitum monasticum induas, hic Deo placitum viuere ducas, quoniam cum sis Episcopus, & Ecclesias nostras dedicare, & nostros clericos ad gradus Ecclesiasticos promouere decentissimè poteris. Hoc ille verbum satis molestè accipiens, mox descendit, atque ad virum sanctissimum Nilum: quem tunc apud Vallem lucis cum aliquot Græcis Fratribus religiosissime conuersari perceperat, satis deuotè profectus est. A quo dum eius genibus humiliter prouolutus, opportuna consilia quæreret: seq; ab illo non posse recipi, cognouisset: pro eo enim, quod ita de Monasterio nostro recesserat, asserebat prædictus pater non audere se illum retinere, ne fortè ob hoc, & ipse cum suis inde expelleretur: consilio tandem ipsius Romam reuersus, in monasterio sancti Bonifacij martyris aliquandiu conuersatus est: nec multo post, iterum ad Episcopatum suum à Pontifice Romano directus. Rursus itaque videns se nihil ibi proficere, Romam reuertitur; & in præfato sancti Bonifacij monasterio remoratur, iterumq; ab Archiepiscopo suo Maguntino ad Sclauoniam remittitur; vbi cum prædicare cepisset, ab infidelibus capite pro Christo truncatus, martyrium sumpsit. His quoque diebus Imperialem coronam de manu Romani Pontificis tertius Otto suscepit.

De sancto Nilo.

ADNOTATIO.

Sanctus Adalbertus, de quo hic agit Leo, fuit Episcopus Pragensis, qui cum aduersos admodum, & sibi contrarios expertus esset Boemos suos, quibus Episcopali præfecturæ præerat, eos deserens, Romam venit, inde Ierosolymam profecturus. Scripsit eius gesta quidam ipsius æqualis, relata apud Surium tom. 2. die 23. Aprilis, vbi de aduentu Adalberti ad hoc cœnobium consentientia his, quæ à Leone hic dicuntur, narrantur in hunc modum.

Surius to. 2. die 23. Aprilis.

Nec mora, magnam Romam egressus, ad sanctam ciuitatem Ierusalem, præter spem, imperfectum iter suscepit: nam ea via ductus, ad montem Cassinum vsque peruenit, vbi Beatus Benedictus postremo charam sedem posuit. Ibi Abbatis & Fratrum pijs monitis castigatus, ne inutili vagatione vitam

expende-

Digitized by Google

impenderet, sed loco staret: ita melius virtutum fructus congregaret, Deum verò propitium bene viuens in omni loco inueniret, vt dicitur in psalmo. In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino. Et rursus sancti Hieronymi sententia bona (ad Paulinum epistol. 13.) non Ierosolymis fuisse, sed Ierosolymis bene vixisse laudandum est. Animaduertit diuinum Animal habens oculos ante, & retro, ita esse, vt dicunt, nec stetit in suis distinctionibus, dans locum salubribus consilijs: legerat enim in hoc periculosum esse homini si non maiorum spiritualium acquiesceret consilijs. Nec mora, montem festinus descendit, & quem in philosophia Christi perfectiorem discipulum inuenit, Patrem Nilum, calida spe petijt: sub quo parvulus factus iugum Christi ferre, & obedientiæ aureas litteras parare satagebat, amplexusq. genua senis in hæc firmus hærebat. Non negat Pater Nilus; Ast, inquit, homo ego sum Græcus, melius conueniunt cum quibus hoc agas, monachi latini. Redeas Romam nutricem sanctorum filiorum. Quære nobilem Abbatem amicum nostrum Leonem. Dic me misisse te rudem discipulum ad talem magistrum. Hoc duce itineris, ad prælia Dei securus vtcede, sub hoc patrono, contra aduersantia cuncta anima ad Deum progrediens, saluus enatabis, & maiori flamma, qui nunc in te ardet accensus, excrescet quotidie in te Deus tuus, & Dei focus. Fecit, vt homo Dei bonus dixit, atque Romam pergens in Monasterio sancti Bonifacij vestem monachalem accepit: denique requisitus à suis, vt ad derelictam reuerteretur Ecclesiam, iubente summo Pontifice, ad Episcopatum redijt, ac tandem Polonis, & Vngaris Euangelium prædicans martyrio coronatur, anno Domini 997. Psal. 102. vers. 22.

S. Hieronymi sententia.

Antequam hinc digrediamur visum est mihi referre quoddã notabile exẽplum ex Aenea Siluio (qui ad summum Pontificatum euectus Pius II. appellatus est) in sua Boemia cap. 16. Erat, inquit, Boleslao decimoquinto Boemorum Duci frater, Stratiquates nomine, qui relicto sæculo monachum induerat: is cum fortè Pragam venisset, oblata ei fuit á sancto Adalberto Episcopo Pontificalis cathedra, quasi Regis frater, Rege natus, facilius populum sub religione continere posset, cuius regendi (rapinis scilicet, & adulterijs assueti, & omne

omne ius, fasq. contemnentes) facultas sibi non esset: respondit ille, mundanas dignitates, quasi malus pestes esse fugiendas, monasterium sibi, & præsentem vitam suauem præstare, & futuram meliorem promittere, in eo se viuere, moriq. malle. Cui vir Dei, propbetico spiritu plenus, dixit: Poteras modo pontificio honore cum salute defungi, at, quæ nunc recusas in perniciem tuam vehementer expetes. Adalberto igitur apud Prutenos martyrij coronam adepto, ille mutato interim proposito, Pragensem Ecclesiam popposcit, & fraterno, Regioq. fauore adiutus obtinuit. Sed dum apud Maguntinum Archiepiscopum agit, sacris de more imbuendus, inter duos Episcopos Pronus iacens, diabolico spiritu arreptus, tandiuq. vexatus fuit, donec animam exhalauit. Hæc ille. Meminerimus itaque hoc exemplo, in dignitatibus Ecclesiasticis appetendis, siue fugiendis, retinendis, siue cedendis, Dei gloriam, & Fratrum salutem præ oculis habere, sic enim vtrum, vtrum faciamus, non peccabimus.

S. Adalberti prædicto.

CAPVT XVIII.

S. Romualdus cum Beato Bonifacio venit Caffinum.

EO etiam tempore vir Dei Romualdus, vna cum Beato Bonifacio Imperatoris consanguineo, qui paulo post apud Russiam martyr effectus est; & cũ alijs pluribus Theutonicis de prædicti Imperatoris exercitu, ad hoc Beati Benedicti monasterium orationis gratia venit. Vbi grauiter infirmatus, sed quantocius diuina misericordia conualescens, reuersus est: eo scilicet tempore, quo idem Imperator Crescentium Romanum Senatorem, qui se in castello sancti Angeli de Ponte, sancti Petri contra eum rebellans munierat: sacramento deceptum, cepit: & mox quasi reum maiestatis, capite obtruncauit.

ADNOTATIO.

MEminit huius aduentus Petrus Damiani Cardinalis in vita sancti Romualdi cap. 26. in hæc verba. Romualdus igitur cum eo, quem prædiximus Tammo, & cum Bonifacio

Digitized by Google

Bonifacio viro clarissimo, quem nunc felicissimum martyrem se habere Russiana gloriatur Ecclesia, & cum alijs conuersis Theutonibus, à Tiburis oppido, ad Monasterium sancti Benedicti, quod in Cassino constructum est monte, deuenit. Ibi nempe grauiter infirmatus est, sed cito ex diuina misericordia conualuit, & cap. 27. declarans quis fuerit iste Bonifacius, qui cum Beato Romualdo Casinum venit, ait. Hic denique Regis fuerat consanguineus, & ita carus, vt Rex illum non alio vocaret nomine, nisi anima mea. Erat autem apprimè liberalium artium instructus, maximèq. in modulationis musicæ studijs approbatus. Hic itaque cum in cappella Regia moraretur, videns Ecclesiam antiqui martyris Bonifacij mox exemplo sui aquiuoci, ad martyrij desiderium prouocatus, ait, & ego Bonifacius vocor, cur ergo etiam ipse Christi martyr esse non debeo? Deinde iam monachus factus, tanta se abstinentiæ frugalitate constrinxit, vt sæpe Dominicæ diebus, & quinta tantum feria per hebdomadam manducaret. Denique, vt habetur in Martyrologio Romano à summo Pontifice ad prædicandum Euangelium in Russiam missus, cum per ignem pertransisset illæsus, Regemq. ac populum baptizasset à furenti Regis fratre necatus, optatam martyrij coronam accepit. Celebratur eius festum die decimonono Iunij, quo die pariter celebratur natalis sancti Romualdi eius magistri, quamuis non eodem anno obierint.

De sancto Bonifacio

Romanū Martyrologium die 19. Iunij.

CAPVT XIX.

CIRCA hæc tempora Olibanus quidam Galliarum Comes ditissimus, à prædicto viro Dei Romualdo, cui peccata sua confessus fuerat, commonitus est, vt relicto sæculo ad Beati Benedicti monasterium sub prætextu orationis veniret, ibiq; se diuino seruitio irreuocabiliter manciparet. Nil ergo moratus, sua relinquens filio, cum multa diuitiarum copia, quindecim scilicet onustis Thesauro sagmarijs, ad hoc se monasterium contulit, & his, qui secum venerant vale dicens, (nil tale de ipso hactenus suspicantes) ipse nunquam de

Digitized by Google

cætero progressurus, flentes ad propria remeare coegit. Depositus est autem prædictus Abbas octauo idus Martij, & in claustro huius Monasterij reuerenter reconditus.

CAPVT XX.

IOANNES Abbas vicesimusnonus, sedit anno vno. Qui videlicet venerabilis Abbas, cum iam senectute, pariter & infirmitate grauatus, tanti regiminis pondus se ferre non posse perspiceret, consensu atque electione cunctorum fratrum Abbatem sibi substituit; ipse verò Abbatia relicta, in proximam eremum, in locum, qui hodie Piretum nuncupatur, cum quinque Fratribus secessit, ibiq; in honorem sanctorum Cosmæ, & Damiani paruula constructa Ecclesia, solitarius quodammodo degens, in spiritualibus operibus, reliquum vitæ suæ tempus exegit. Audiui a quodam sene, quod dum quadam die super municipium huius Monasterij vocabulo Pinlararium, cuius habitatores olim rebellare tentauerant, hostiliter perrexisset. Ecclesia quædam iuxta idem Municipium posita, ab his, qui secum ierant, cum aliquot eorundem rusticorum Mapalijs, igne succensa sit, & ob hanc causam in multis se, maximisq; lamentis dedens, Abbatiam huiusmodi occasione inuenta, dimiserit. Iste fecit libellum Transmundo cuidam Clerico de Aprutio, de quibusdam curtibus nostris in eodem Aprutio huic Monasterio pertinentibus per diuersa loca, modiorum quasi quadringentorum, pro solidis ducentis, & censu solidorum octo: de alijs quoque terris in loco Ciccole libellum faciens pretij tantundem recepit. Idem etiam de tertia parte curtis de Moscufo, & alijs Terris, libellari nomine recepit solidos quadringentos, pro censu verò per annum solidos viginti quatuor.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXI.

HIC cum tempore Theobaldi Abbatis defunctus fuisset, ipsa nocte religiosus quidam Frater, Ioannes nomine in Monasterio sancti Laurentij, quod Capuæ situm est, cum vigilias Fratrum de more præueniens, orationibus esset intentus, subito respiciens, vidit quasi super hunc montem maximam lucem in aere, atque intra eandem lucem, cernit Ioannis ipsius animam cęlum conscendere. Cumq; facto mane cuperet reddi certus de visione, perrexit ad Andream, qui tunc Monasterio nostro, quod intra Capuam est, præsidebat: eiq; visionem quã perspexerat, pandens, obnixè rogat, vt hominem suum ad hoc Monasterium protinus mittat, qui omnem rei veritatem diligenter addiscere, eisq; reuertens debeat intimare. Pergens itaq; nuntius, cum pars illi adhuc itineris aliqua superesset, quendam obuium habuit, qui ab hoc Monasterio Capuam se proficisci diceret, vt præfati venerabilis viri Ioannis obitum Fratribus ibi degentibus nuntiaret. Quem cum de hora obitus eiusdem sollicitè perquisisset, ea illum hora ex hoc sæculo migrasse accepit, qua Capuanus ille Ioannes eius animam cęlum conscendere se vidisse asseruit. Tunc ad illos à quibus legati fuerant vterque reuersus, alter Capuæ, Ioannis depositionem: alter verò Cassini retulit, quæ super illius obitu visa fuerat, visionem: obijt autem pridie idus Martij.

ADNOTATIO.

EA, quæ hic de hoc Abbate Ioanne refert Leo, eisdem ferè verbis narrantur à Desiderio Casinensi Abbate lib. 2. Dialogorum.

CAPVT XXII.

IOANNES tricesimus à Beato Benedicto Abbas effectus, sedit annis duodecim, mensibus sex. Hic ex illustri Beneuentanorum ciuium prosapia genus nobile ducens, sed nobiliores ab infantia mores possidens,

Digitized by Google

cum in Ecclesia ciuitatis eiusdem Archidiaconatus honorem gereret, diuino tactus amore, temporibus Aligerni Abbatis, ad hoc sacrosanctum cœnobium venit, & vniuersæ sæculi vanitati renuntians, vestem monasticam induit. Qui cum aliquantos sub sanctæ conuersationis studio peregisset annos, atque post Aligerni transitum Manso in Abbatiam, ordine, quo iam diximus, successisset: egressus hinc, Ierosolymam orationis causa, profectus est, atque in monte Syna per sex continuos annos commoratus. Inde verò in Græcia in monte, qui Agionoros vocatur, per aliquod temporis spatium conuersatus est. In quo loco sanctus Pater Benedictus, illi quadam nocte per visionem apparens, pastoralem virgam, quam manu gestare videbatur, ei contradidit, atque vt ad Monasterium Casinense sub omni festinatione reuerteretur indixit. Quam visionem cum manefacto Patri Monasterij retulisset, monere illum, atque hortari idem Abbas curauit, vt quoniam voluntatis hoc videretur esse diuinæ, minimè negligendum duceret: sed mox ad Beati Benedicti Monasterium cœlesti gratia comitatus redditum maturaret. Visioni igitur, & commonitioni Ioannes obtemperans, ad hunc locum Christo duce reuersus est; quem mox prædecessor ipsius Ioannes Abbas præpositum ordinans, non multo post, quia ipse, & infirmitate, & senio grauabatur, sicut supra diximus, eundem sibi substituit, & illo in Eremum secedente, hic in Monasterij curam, vniuersorum Fratrum electione succedit. Fuit autem temporibus

Anno 999 Syluestri Papæ secundi, & octauidecimi Ioannis. Hic primo anno ordinationis suæ recepit præceptum confirmationis totius Abbatiæ ab Ottone Imperatore, aureo sigillo bullatum. Quo etiam tempore idem Imperator hic per dies aliquot remoratus, duas coronas argenteas Beato Benedicto obtulit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXIII.

PER idem tempus Raynaldus Comes Marsorum fecit Monasterium de Ecclesia sanctæ Mariæ, quæ dicitur in Cellis, territorio Carseolano, idq; in circuitu non paruis possessionibus ditans: castellum etiam, quod nunc Celle vocatur, tunc autem castellum sancti Angeli nuncupabatur, cum omnibus eius pertinentijs in eodem Monasterio confirmauit. Petrus quoque Presbyter quidam de ciuitate Tiburtina, in eodem Monasterio de Ecclesia sancti Pastoris, cum omnibus eius pertinentijs, iuxta eandem ciuitatem sita, chartulam oblationis, cum omnibus suis parentibus fecit.

CAPVT XXIV.

HVIVS Abbatis anno tertio, qui est millesimus ab Incarnatione Domini, supradictus Imperator Beneuentum venit, & causa pœnitentiæ, quam illi Beatus Romualdus iniunxerat, abijt ad montem Garganum. Reuersusq; consequenter Beneuentum, petijt ab eis corpus sancti Bartholomæi Apostoli. Qui nihil tunc illi negare audentes, callidè illi pro corpore Apostoli, corpus Beati Paulini Nolani Episcopi, quod satis decenter apud Episcopium ipsius ciuitatis erat reconditum, ostenderunt; & eo sublato recessit, tali fraude deceptus. Quod postquam resciuit, nimium indignatus, corpus quidem confessoris, quod detulerat, honorificè satis apud Insulam Romæ recondidit. Sequenti verò tempore perrexit iterum super Beneuentum, & obsedit eam vndique per dies multos: sed nihil aduersus eam prævalens, Romam reuersus est. Vnde vix ad sua reuerti incipiens, mortuus est: apud oppidum, quod nuncupatur Paternum, non longè à ciuitate, quæ dicitur Castellana, ab vxore, vt fertur, Crescentij Senatoris, quem superius ab il- Anno 1000.

Digitized by Google

lo retulimus degollatum, qua impudice abutebatur, potionatus. Sed antequam mors eius à circummanentibus dignoſci poſſet, corpus ipſius aromatibus conditum à ſuis vltra montes delatum eſt, & Henricus Dux conſobrinus ipſius conſtitutus eſt Rex.

CAPVT XXV.

HIC Abbas fecit capſam magnam argenteam, inauratam cum ſmaltis, & gemmis diuerſorum colorum. Fecit, & ceroferaria duo librarum quindecim; necnon & duo thuribula argentea librarum ſex. Codices quoque Eccleſiaſticos renouauit magnos, & pulchros: totius etiam Monaſterij ambitum in circuitu muris, turribuſq; muniuit. Conſtruxit præterea, & Eccleſiam in honore ſancti confeſſoris Chriſti Nicolai, in Monticulo, qui ſecus pratum donnicum eſt propè ciuitatem ſancti Germani. Quem videlicet æmulatus Theobaldus Præpoſitus ipſius, & ipſe nihilominus eidem Beato Nicolao Baſilicam aptauit: apud caſtrum ſancti Petri, quod eſt poſitum ad radicem huius montis, in crypta antiqua, quæ ingentibus ſaxis gentilium opere pulchro, in dæmouum honore conſtructa, iuxta eiuſdem Beati Petri Eccleſiam ſita eſt. Quo tempore, octauo ſcilicet ipſius Abbatis anno, terræmotus ingens per quindecim, & eo amplius dies hunc montem exagitauit, ita vt in aliquot locis Eccleſiam ſcinderet.

Terræmotus ingens. Anno 1005.

CAPVT XXVI.

HIC Abbas fecit concambium cum prædicto Raynaldo Comite Marſorum de ſancta Maria in Luco, & ſancto Eraſmo, & ſancto Sebaſtiano, & ſancto Angelo, pro quibus recepit in Terra de Aliſis curtem, quæ dicitur ſancti Stephani, cum terra modiorum quadringentorum, & in Theano modios quingentos, in loco, qui dicitur Campus.

Oderiſius quoque Comes, eiuſdem Raynaldi filius, oppidum,

Digitized by Google

dum, qui dicitur Casafortini, cum omnibus pertinentijs eius, mille videlicet modiorum terra, quod idem Comes à parte coniugis suæ Geruisæ tunc retinebat, eidem Abbati contradidit, & recepit ab eo sub nomine concambij castellum sancti Vrbani, & alias Ecclesias, seu curtes in Comino, loco huic pertinentes, terram vtiq; quasi modiorum nongentorum. Hic idem Oderisius vltimo Abbatis huius anno, vna cum Gibborga coniuge obtulerunt huic Monasterio Ecclesiam sancti Fœlicis in Comino, quæ videlicet sancto Angelo de Barregio olim pertinuit: pertinentia sancti Vrbani, cum centum modijs terræ in circuitu ipsius, & alijs centum apud Atinum, in loco Vallis bonæ, & cum omnibus eiusdem Ecclesiæ pertinentijs. Eodem tempore abierunt tres de monachis nostris ad Gualterium Comitem de Lesina, & in eius præsentia contenderunt, cum nobilibus illius Terræ de Piscarijs eiusdem Lesinæ, & de molendino de Lauri, & de Ecclesia sancti Petri ibidem, & de cæteris rebus sancti Benedicti, sicut in eorum libello continebatur; & cognita prædictus Comes iustitia nostra, iussit scripto suo, vniuersa illa monachis nostris ex integro restitui; apposita insuper pœna compositionis duo millium bizantiorum, qui exinde amplius contra nos contendere voluisset. Per hos etiam dies Hubertus Firmanæ ciuitatis Episcopus obtulit Beato Benedicto, de causa iuris sui in Fundo oppiano terras, & vineas, siluas, prata, & olueta possessionem non paruam; & in fundo Paterno similiter. Sed & Gaiderisius quidam de eadem ciuitate Firmana fecit chartam in hoc Monasterio de vna Ecclesia iuris sui vocabulo sanctus Benedictus, in loco, qui dicitur Sambucetum, cum rebus, & pertinentijs suis. Anno 1010.

Landulfus quoque Salernitanus Princeps, sub hoc Abbate monachus factus, obtulit huic Monasterio omnes res sibi iure hæreditario pertinentes in Comitatu sanctæ Agathę: domos scilicet, & curtes nonnullas, cum olivetis, vineis, & molendinis, & omnibus earum pertinentijs. Sed & Transmundus Clericus diues, ac nobilis de Aprutio, cuius iam supra meminimus, Ecclesiam sancti Nicolai, quæ constructa est iuxta fluuium Trutinum, loco Sumusiano voca-

Digitized by Google

bulo, rebus suis ditatam, Monasterium esse constituit, idq; per suæ oblationis chartulam, sub huius cœnobij iure contradidit. Similiter autem, & Theuto filius Theutonis de eodem Aprutio, obtulit huic Monasterio Ecclesiam sancti Ioannis, in loco, qui dicitur Scorzone, quam videlicet ipse proprijs rebus ditatam sanctimonialium Monasterium fecerat. Eodem etiam modo Raynerius filius Iosephi obtulit Beato Benedicto vnam Ecclesiam iuris sui vocabulo sancti Nicolai in Comitatu Pennensi loco, qui dicitur Sambuceta, cum omnibus ornamentis, & pertinentijs eius, quiq; Raynerius ante annos circiter sex fecerat chartulam in hoc Monasterio de omnibus omnino rebus, ac pertinentijs proprietatis suæ, quæ possidere videbatur in Comitatu Pennensi, Asculano, Theatino, atque Aprutiensi. De castello videlicet Ambleto, & de Faraone, & de Murro, & de Cantalupo, & de Aterno, & de Arche, & de pluribus curtibus suis, quod est terræ octo millia modiorum.

Per idem tempus ciues Terracinenses admoniti à Ioanne Pontifice suo, obtulerunt in Monasterio sancti Stephani de Tarracina vnam piscariam, quæ ab ipso fluuio supra dictæ ciuitatis, loco, qui dicitur Gambata vsque in mare, apposita pœna trium librarum auri obrizi. Similiter etiam Roffridus patritius obtulit ibidem vnam piscariam suam in pantano Traiecti, in prædicto fluuio de Tarracina. Circa hos dies Franco quidam Presbyter, & monachus, fecit chartam in hoc Monasterio de vna Ecclesia proprietatis suæ, vocabulo sanctus Benedictus, in finibus monticelli loco Salabuca iuxta Bifernum, cum rebus, ac pertinentijs eius. Huic Abbati Lupus Azzonis de Aprutio fecit oblationem omnium rerum suarum, cum quinque Ecclesijs, idest sancta Victoria in Murro, sanctus Callixtus in Colle, sanctus Antimus in Comelano, sanctus Archangelus in Faumano, sanctus Andreas in Cesule, cum terra quingentorum circiter modiorum, & cum omnibus omnino sibi pertinentibus rebus in toto Aprutio. Adam etiam, cognomento Salicus, obtulit in hoc Monasterio vnam Ecclesiam iuris sui vocabulo sanctus Martinus in territorio Theatino, loco qui dicitur Cornecianum, cum centum terræ modijs in circuitu

eiusdem

Digitized by Google

eiusdem Ecclesiæ, & cum reliquis pertinentijs ipsius.

Hic Abbas fecit libellum de sancto Bonito, & pertinentijs eius, sancto Angelo de Galiano, sancto Saluatore de Seriole, sancto Petro de Castriniano, sancto Felice de Mantaniano, sancto Felice inter Flumina, sancto Valentino, & sancta Maria in Aufano, pro solidis quadringentis, & censu solidorum viginti. Idem fecit etiam Otteramo Gaslaldeo Marsorum de sancto Clemente in Auezano pro solidis centum, & censu staminearum quinque. Idem de sancto Gregorio (siue Georgio) de Seruiliano, pro solidis triginta, & censu pisces centum. Item de eodem censu piscium quadringentorum. Fecit & libellum cuidam monacho nomine Trasari de sancto Benedicto in Canusio, de sancto Saluatore in Menotbino, loco Straiuniano, de sancto Benedicto in Iuuenazzo, loco Orosano, de sancto Focato in Barano, cum ipsa piscatione de lacu Romani, de sancto Cassiano in Fisone: simul & de omnibus pertinentijs huius loci in ciuitate Tranensi, cum omnibus simul earundem Ecclesiarum pertinentijs. Idem fecit filijs Adelberti de Papinlano, de quadringentis modijs terræ in Aprutio pro solidis ducentis, & censum solidorum octo. Fecit, & commutationem cum Tresidio quodam Theatino, à quo recepit Ecclesiam sanctæ Luciæ in Castellone, loco qui dicitur Insula, cum omnibus rebus ipsius Ecclesiæ, & terram modiorum centum, datis ei per diuersa loca apud Theatem terræ modijs septuaginta.

CAPVT XXVII.

HOC præterea tempore, Sergio quarto Papa defuncto, Benedictus octauus, natione Tusculanus, ex Patre Gregorio, Romanus Pontifex ordinatur. Per idem tempus ædificatum est Monasterium sancti Benedicti apud Suessam foris portam, quę dicitur Ermemari, à domno Ioanne Sacerdote, & monacho, vbi præfatus Abbas concessit omnes curtes, & terras huius Monasterij, quæ sunt intra Comitatum prædictæ ciuitatis, loco Oronica, Benedictus VIII. Papa.

Digitized by Google

Oronica, & curtes de loco Alfani, necnon & curtes de loco Lauriana. Ita dumtaxat, vt per singulos annos ex eadem curte Lauriana persolueretur nobis census modiorum fabarum centum.

CAPVT XXVIII.

DRAEDICTVS autem Abbas, cum plurimas à vicinis Comitibus pateretur angustias, Capuam ad tempus remoraturus abscessit. Et quoniam pluſquam satis austerus in monachos fuerat, studue ratq; contra B. Benedicti decretũ, timeri magis à Fratribus, quam amari, illi extimantes, immò optantes, huc eum vlterius non reuersurum, Docibilem quendam, natione Caietanum, vitę simplicis virum, de congregatione in Abbatem substituunt. Qui cum de more Abbatum possessiones Monasterij reuisurus Marchiam perrexisset, & multis donatus equis, alijsq; non paruis muneribus, iam rediret. Benzonis filij cuiusdam de eiusdem partis magnatibus, subito illum apud Pennas inuadunt, & violenter vniuersa, quæ ferebat diripiunt. Quo cognito Bernardus Comes, mox ad eum accessit, seq; super hac re valde dolentem ostendens, totidem illi equos quot fuerant sublati vir liberalis restituit. Veniens autem præfatus Abbas in locum, qui Furca Pennensis vocatur, conuersus, vniuersos Benzonis filios maledixit: Bernardum verò cum suis omnibus benedicens, vt domui eius, domus Benzonis semper subdita esset, & vt nunquam de domo eiusdem gladius iræ Dei recederet, terribiliter imprecatus est. Quod videlicet fieri, nos hodie videmus. Sed cum post septem non integros menses pacatis, atque compositis rebus, Ioannes Abbas huc fuisset reuersus, Docibilis Caietam se contulit, ac non multo post languore detentus, ad hoc se Monasterium referri postulans, quieto fine defunctus est. Abbas quoque Ioannes cum iam longęuus esset, & ipse nihilominus defunctus est, decimoquinto Kal. Aprilis, atque iuxta Ecclesiam Beati Benedicti sepultus.

Anno 1011.

A D.

Digitized by Google

ADNOTATIO.

DE Ioanne isto hæc scribit Desiderius initio lib. 2. Dialog. Cum adhuc essem laicus, & intra annos adolescentiæ ætatem ducerem, quę à multis in Beneuentana ciuitate degens, audiui de Ioanne tunc eiusdem Beneuentanæ Ecclesiæ Archidiacono, postmodum verò huius sacri cœnobij Abbate, si lenter non transibo. Cum idem Ioannes de illustri prosapia originem duceret, & quod maius est, religiosè viuens omnipotenti Domino omninò placere studeret, ita à clero, & populo diligebatur, vt omnes ei vnanimiter post mortem Archiepiscopi, eiusdem Vrbis summum sacerdotium præoptarent. Alter quidam in eadem Ecclesia Alax nomine Diaconus erat, qui ad adipiscendum pontificium aspirabat, nec quo ordine id assequi posset, quidquam pensi habebat: sed dum idem Ioannes Archidiaconus superesset, ad culmen tanti honoris se posse pertingere desperabat. Cumq. hæc quotidie in animo volueret, vana illum cogitatio haud quiescere permittebat. Cum quadam die vterque secreto in loco consedissent, & nemo alius cum eis esset, sermo inter eos ortus est de huius miserę vitę fragilitate, de cœlestis, ac perpetuę vitę iucunditate, de pœna peccatorum, ac de gloria sempiterna iustorum. Itaque statuerunt inter se huius gloriam mundi relinquere, ac sanctę conuersationis habitum suscipere, atque, vt magis fidi esse possent, iuramento quod statuerant firmauerunt. Deinde diem decreuerunt, quo apud castrum Cassinum limina Beati Benedicti peterent, ac sub eius magisterij regula Iesu Christo Domino deseruirent. Igitur postquam ad statutum diem ventum est, quo ab eis aggrediendum erat iter, Alax, qui aliud animo, aliud gestabat in ore, Ioanni Archidiacono dixit: Carissime frater, quoniam de rebus meis aliquid adhuc superest, quod secundum Deum ordinare cupio, tu obsecro præcede, & mox, vt sanctę conuersationis habitum susceperis, mihi nuntium mitte, Ego autem interim his expletis, quantocius te subsequi curabo. Archidiaconus ergo ad Monasterium Beati Benedicti veniens, mox, vt sacrum habitum suscepit, nuntium, vt decreuerant, socio direxit, qui eum sub sanctę institutionis regula iam colla submisisse, &

vt

vt ipse celeriter veniret, sicut pollicitus fuerat, nuntiaret. At ille mox, vt talia audiuit alacer effectus, quod illum, qui sibi in Ecclesia præminebat recessisse cernebat, omninò se ad eum accedere, atque tam arctam aggredi viam, posse negauit: deinde ad acquirendum culmen pontificalis honoris totis viribus nitebatur. Sed omnipotens, ac iustus Deus aliter quam ille sperabat disposuit. Nam cum Imperator Otto egressus Germania Italiam intrasset, postquam Romanas res, prout sibi videbatur disposuit, Beneuentum adijt, cui Alax, ita familiaris effectus est, vt idem Augustus eligi in Pontificem (Ecclesia renuente) præciperet. Postmodum verò Imperator Romam rediens, Romanum Pontificem eum consecrare rogauit, & consecratum Beneuentum remisit. Imperator deinde febre correptus, post aliquot dies diuina dispositione defunctus est. Ille verò Beneuentum rediens, ne mœnibus quidem ciuitatis appropinquare ausus fuit. sed cum dedecore illo repulso, alium sibi ciues Pontificem elegerunt. Fecit quidem hęc omnipotens Deus ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: vt qui cupiditate honoris ductus fraudulenter fratrem suum studuit ab Ecclesia pellere, ipse pulsus patria, exul in alieno solo vitam finiret.

Præter hęc, ea, quę sequuntur Leone venerabilis vitę (qui ante paucos annos defunctus est,) & alijs veteranis monachis narrantibus audiui. Cum idem Ioannes aliquantos in Monasterio sub sanctę institutionis regula expleſſet annos, petita ab Abbate suo licentia Ierosolymam perrexit, atque in Sinai monte per sex continuos in Dei seruitio degut annos. Postmodum in Gracia, in monte, qui Agynoros dicitur aliquanto tempore mansit. Sed ea, quę illo in loco vidisse contigit, haud quaquam mihi reticenda videntur. Quidam namq. Eremita in eodem monte manens à paucis frequentabatur, vel noscebatur: quadam verò die frater, qui ei ministrabat, & certis diebus victum deferebat, supra memoratum Ioannem venerabilem virum ad eundem Dei seruum duxit, & sicut ipse postmodum discipulis suis cum lacrymis solitus erat referre, benignè, vt decebat, ab eo susceptus est; & cum sermo inter eos de cęlestis vitę gaudijs diutius agitaretur, seruus Dei ijs, qui aduenerant, dixit: Venite fratres, quia

quia hora est, alimenta summamus corporis, ne reuertentes in via deficiatis: nec enim ieiuni recedere debetis à nobis, propter quem tanti subijstis iter laboris. Et hæc dicens mensam præparat, prandium apponit, cum denique oratione facta ad mensam consedissent (mirabile dictu) ecce immanis Mirabilis res. *vrsus è vicina silua veniens se se ante ora prandentium, fauum dulcisluui mellis ferens, exhibuit. Cumq. illi valde perterriti fugam inire tentarent, venerabilis Eremita ille eos compescuit, & ne terrerentur admonuit, dicens: multos iam esse annos, quod sibi omnipotens Deus per bestiam illam sæpissimè hoc melliflui nectaris donum sua pietate transmiserit. Peracto itaque prandio surgentes è mensa, animo magis satiati quam corpore, percepta benedictione ad Monasterium sunt reuersi.*

Post non multos verò dies Beatus Pater Benedictus eidem S. Benedictus Ioanni apparet *Ioanni per visionem apparuit, & dans ei pastoralem virgam, quam manu gestabat, vt Casinum ad suum Monasterium, quantocius reuerteretur, admonuit. Facto itaque mane, Abbati ipsius Monasterij viro religioso, visionem quam viderat per ordinem pandit. At ille, vt erat vir prouidus, atque discretus, voluntatem Dei in hac visione cognoscens, intulit, dicens: Frater Ioannes celeriter ad tuum Monasterium reuerti festina, ne tanto patri, qui tibi per visionem apparuit, esse inobediens videaris. Decreuit enim (vt mihi videtur) omnipotens Deus, te suo gregi præponere, & vt suas fideliter pascas oues, sua miseratione elegisse. Ille igitur visioni, & admonitioni obtemperans, transmarina relinquens arua, Christo duce, reuersus est, atque à religiosissimo viro Ioanne, qui tunc Fratribus præerat, Præpositus factus, non multo post (quia idem Abbas corpore iam debilis erat, atque pondus tanti oneris ferre nequibat) consilio, & electione eunctorum Fratrum, ab eodem venerabili patre Abbas est ordinatus. Ille verò Abbatia relicta in vicina silua secessit, atque ibi vsque ad vitæ suæ terminum solitarius degens, in omnipotentis Dei seruitio vitam finiuit. Hactenus Desiderius de Ioanne isto.*

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXIX.

Anno 1011.

EO autem, quo defunctus est anno, quemdam nepotem suum Ioannem, cognomento Rotundulum, quem ante dies non plurimos monachum fecerat, ad mortem veniens, in Abbatem substituit, paucis admodum super hoc sibi consentientibus, vel potius coacte id sufferentibus monachis. Quorum autem pars potior, ac sanior erat, nimis hęc indigne ferentes, & Neophytum tantæ congregationi præesse minimè congruum iudicantes: post menses aliquot, mandauerunt Pandulfo Principi Beneuentano, vt veniret, filiumq; suum Atenulfum illis in Abbatem ordinandum adduceret: nulli enim magis, quam ipsi honor huius loci competeret. Quem videlicet Atenulfum, cum Otto Imperator puerum à Patre obsidem accepisset, vltra montes in quodam Monasterio nutriri, ac custodiri mandauerat. Post tempus verò aliquantum monitus à Patre suo, vt si absque suspicione alicuius fugere posset monastica veste indutus, fugam arripuit, atque in redeundo grauiter infirmatus, cucullam quam fugæ occasione simulanter induerat, sponte se deinceps gestaturum deuouit. Sicq; ad patrem rediens, cum ab eo in palatio retineri non acquiesceret, in Monasterio sancti Modesti, quod intra eandem Beneuentanam ciuitatem prope Episcopium situm est, vsque ad id temporis mansit. Lætus igitur Princeps, Cassinum protinus venit, & consensu, atque adminiculo monachorum, excluso Rotundulo, filium in Abbatiam substituendum lætantibus vniuersis cõtradidit. Rotundulus igitur tali ordine pulsus, Beneuentum redijt, atque patrocinio propinquorum, & consensu, ac concessione præfati Principis, supra scripti [Monasterij] sancti Modesti Abbatiam recepit.

ADNOTATIO.

Galat. 3. vers. 3.

LIbet hic exclamare, & quod Paulus Galatis scripsit iterum repetere: Sic, inquit, stulti estis, vt cum spiritu cœpe-

experitis, nunc carne consummemini? Abbas hic Ioannes à Deo, vt apparet, ad regimen Cassinensis Monasterij electus, quia in vita sua laudabiliter satis fuit conuersatus, in fine tandem carni, & sanguini cedens, nepotem suum inhabilem, & indignum, contra omne ius, & fas Monasterio Cassinensi præesse voluit, relictis alijs dignioribus, & melioribus. Sed non solus Ioannes id fecit, sunt enim adhuc multi, qui eum in hoc opere imitantur procurantes hæreditate possidere sanctuarium Dei, atque ædificare Sion in sanguinibus: vnde quidam hos versus iam pridem composuit.

Cum factor rerum priuauit semine Clerum,
Ad Satanæ votum successit turba nepotum.

Quod quam sit damnabile, nemo est, qui nesciat. Habetur de his peculiare exemplum in Speculo exemplorum distinct. 9 exemplo 11. Mihi autem sufficit exemplum Abimelech, relatum cap. 9. lib. Iudicum, quem Spurium (relictis filijs legitimis Gedeonis) Sichimitæ, sibi in Regem elegerunt, non alia ratione ducti, nisi quia os nostrum, & caro nostra est. Sed tandem ipse ab eis electus Abimelech, ciuitatem ipsorum destruxit, interfectis habitatoribus eius. Hæc in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter nos, ad correptionem nostram, vt docet Paulus epist. 1. ad Cor. cap. 10.

CAPVT XXX.

CIRCA hæc tempora reuersus Domnus Liucius, quem superius supra cap. 12. tempore Mansonis Abbatis hinc egressum, Ierosolymam perrexisse monstrauimus; primo quidem apud Salernitanum Principatum in quadam Eremo, vbi nũc Monasterium sanctæ Trinitatis ad Cauam cognomento, constructum esse dignoscitur, aliquandiu remoratus est. Vbi à Guaimario Principe agnitus, atque in maxima est reuerentia habitus. Postmodum verò in monte hoc, loco Albaneta vocabulo, vsque ad suum est obitum religiosissimè conuersatus. In quo videlicet loco ante non multum tempus, cum quidam vir Dei mansionem sibi me remotio-

Liucius Monach.

Albaneta.

Digitized by Google

remotiorem elegisset, atque in cisterna vetere, quam ibi dirutam repererat, oratorium fabricare disposuisset, cogitanti ei in cuius potissimum nomine Ecclesiam ipsam construeret: fertur quendam puerulum scholarem ibi tunc superuenisse. Qui à prædicto viro Dei perquisitus, vtrum peritiam cantandi haberet, & ille habere se promptulè respondisset, iussus ab eo cantare est, quicquid sibi primum in mentem venisset: statutum scilicet habens in corde suo, vt in cuiuscumque sancti honore puer ille cantasset, in eius nomine Ecclesiam eandem construeret. Mox puer ille responsorium imposuit: veni electa mea, totumq; illud suaui satis modulamine cecinit.

Valde itaq; vir Dei exhilaratus, & intelligens per hoc Beatissimæ Dei Genitrici placere, suum in loco eodem honorari vocabulum: confestim iuxta possibilitatem suam, paruulam ibi Ecclesiam in honore eiusdem Genitricis Dei, ædificauit: ibiq; vsque ad exitum suum satis deuotus in eius seruitio perdurauit. Cum autem post aliquantum tempus præfatus Domnus Liucius ibi venisset, & plurimum sibi locus ipse complacuisset: elegit ibi vsque ad mortem consistere, & in seruitio Dei Genitricis perseuerare. Regressus igitur ad Principem Guaimarium, prædicti Guaimarij filium, cui dudum & Pater spiritualis, & familiaris super omnes extiterat: multa ab eo, & diuersa ornamenta Ecclesiastica, & codices complures, necnon & aliam, ad Fratrum vsus, non modicam suppellectilem acquisiuit: libentissime illo, ac liberaliter cuncta, quæ vellet accipere concedente: Mox itaq; prædictam Dei Genitricis Ecclesiam multo satis quam erat in omnibus ampliorem efficiens, atque depingens, habitacula quoque in circuitu ad diuersos commanentium vsus non modicæ quantitatis ædificauit; ibiq; cum triginta circiter Fratribus religiosissimè conuersari cœpit. Ipse autem præ cæteris omni vilitate, & extremitate contentus, tam humili se officio mancipauerat, vt farinam in pistrino ad panem faciendum, famulorum more discuteret: cum interim de ore illius Dauidica modulatio nunquam cessaret. In cuius vitæ humilitate, atque nimia abstinentiæ austeritate, vsque ad extrema vitæ indefesse perdurans, Richerij

Digitized by Google

cherij Abbatis tempore in Monasterio isto defunctus, atque sepultus est.

CAPVT XXXI.

ATENVLFVS Abbas tricesimus primus, sedit annis vndecim, vir quanto nobilis, tanto humilis, & humanus. Huius anno ordinationis tertio, Domini vero millesimo quartodecimo: quo tempore Paschalis festiuitas ipsa die sancti Marci. iuxta calculi ordinem extitit: Henricus Rex, de quo supra diximus, venit Romam, & coronam Romani Imperij de manu Benedicti octaui Papæ recepit, à quo etiam Papa idem Abbas priuilegium sumpsit. Necnon & ipse Imperator Henricus ab eodem Abbate, & vniuerso huius loci congregatione rogatus, per præceptum aureo sigillo bullatum, vniuersas pertinentias huius Monasterij hic confirmauit. Specialiter autem, ac nominatim res de Comitatu Termulensi, quarum videlicet fines sunt. A capite Riuus planus, à pede mare, ab vno latere flumen Trinium, cum aqua, & portu suo; ab altero Riuus, qui dicitur Ticele, cum castellis Petra fracida, Ripa mala, & cum Monasterio sancti Benedicti ibidem constructo. Item Fara, Ripa vrsa, Mons bellus, Pescloli, cum vniuersis omnino finibus, ac pertinentijs eorum. Item alibi in eodem Comitatu iuxta Bifernum, habens fines à capite pertinentia sancti Gregorij, à pede mare, ab vno latere Bifernum, cum aqua, & medietate portus; ab altero Riuus viuus, cum omnibus adiacentijs sibi pertinentibus: necnon & Ecclesiam sanctæ Trinitatis, & sancti Georgij in eadem ciuitate Termulensi, cum vniuersis possessionibus, ac pertinentijs earum. Insuper etiam duo castella Cominensis territorij ad Vicum album, & sanctum Vrbanum alio suo præcepto postquam vltra montes regressus est in hoc Monasterio confirmauit. De quibus videlicet iam pridem post Patris mortem, Pandulfus Capuanus Princeps, frater eiusdem Abbatis, ipsi præceptum fecerat; necnon & de Monasterio sancti Valentini

Anno 1014.

Digitized by Google

In eode n territorio Cominensi, cum vniuersis rebus, ac pertinentijs ipsius: quod videlicet Monasterium, ex plurimo iam tempore à Saracenis destructum, non multo ante restauraverat Pontius quidam filius Allonis de Comitatu Marsorum. Qui cum agnouisset illud huic Monasterio antiquitus pertinuisse, ita vt erat restauratum, pro Dei amore, in ius, & potestatem huius loci ex integro remisit. Hic etiã Pontius, vna cum Bernardo filio manifestauerunt, & renunciauerunt nobis in placito Marsorum Comitum, totam pertinentiam de Opi, & Paraccle in territorio Marsicano, quæ olim sancto Angelo de Barregio pertinuerat.

CAPVT XXXII.

HIC Abbas fecit in Ecclesia sancti Benedicti coronam argenteam vigintiquatuor librarum, fecit & campanarium altum, & optimum, *in cuius* medio altarium in honore sanctæ Crucis constru xit. Præterea iuxta ostium maioris Ecclesiæ dextra, lævaq; supra marmoreas columnas cameras duas erexit; in quarum vna altarium in honore sanctæ Trinitatis: in altera verò altarium statuit vocabulo sancti Bartholomęi Apostoli. Absidam verò maiorem auro, diuersisq; coloribus depingi pulcherrimè fecit, Ecclesiam porrò sancti Stephani, quæ iuxta portam Monasterij de foris sita fuerat, iam fere ruentem, renouauit, & ampliauit, atque in ea altarium sancti Adelberti, quem superius factum martyrem diximus, ab Occidentali parte adiunxit. Ciuitatem deorsum circa Ecclesiam Domini Saluatoris, quam supra diximus à sancto martyre Christi Abbate Berthario inchoatam, ex magna parte constructit, restaurauit. Præterea in territorio ciuitatis Atinæ, Monasterium S. Nazarij martyris, quod antiquitus huic nostro cœnobio pertinuerat: & Ecclesiã S. Angeli, quã olim Gisulfus Abbas in Valle luci constructerat, iam vetustam restaurans, titulo addito amplians, atq; depingẽs, possessionibus non paruis adauxit, & diuersas ibi ad monachorum vtilitates officinas instituens, nostratium Monasterium esse constituit, quod eatenus Græcorum extiterat.

A D-

Digitized by Google

ADNOTATIO.

SVperius cap. 11. huius libri adnotatum est, temporibus Aligerni Abbatis, anno Domini nongentesimo octogesimo, Beatum Nilum Cassinum venisse, atque ab eodem Abbate, & Monachis concessum illi fuisse Monasterium sancti Michaelis Archangeli Vallis lucis nuncupatum. Exinde ergo vsque ad presens predictum Monasterium Graci monachi incoluerunt.

CAPVT XXXIII.

HOC tempore oblata est in hoc Monasterio Ecclesia sancti Petri, quæ nuncupatur ad Isoleta, in Campania territorio Ciccanense, cum maximis circa se possessionibus, ab Huberto, & Amato Comitibus Ciccani, & Segniæ. Ecclesia quoque sancti Angeli in territorio de Ceperano, loco, qui dicitur Cannuzzo, cum omnibus pertinentijs, & finibus suis, à Lanuino, & Ratterio Consulibus Campaniæ. Sed & Saphirus Presbyter obtulit huic Monasterio Ecclesiam iuris sui, vocabulo sanctus Benedictus, apud Capitanatam ciuitate Murrone, cum omnibus rebus, & pertinentijs suis. Necnon, & Petrus Presbyter, & monachus, & Martinus presbyter, & monachus similiter, obtulerunt Beato Benedicto Ecclesiam sancti Appollinaris, & sanctæ Mariæ ibidem in Murrone, loco vocabulo Casale planum, cum omnibus ad se pertinentibus. Id ipsum fecit Odmundus quidam Firmanus de Ecclesia sancti Michaelis de Torpelliano cum vniuersis pertinentijs eius. Quidam etiam nobilis vir de Marsorum prouincia Fridolfus filius Gualtonis, tradidit in hoc loco omnem substantiam iuris sui, quam in eadem prouincia possidere videbatur, & duas Ecclesias sibimet pertinentes, id est Ecclesiam sancti Thomæ in Petuge, & sancti Magni in Castuli, cum omnibus earum pertinentijs, atque rebus. Leo quoque presbyter, & monachus de territorio Bouianensi simul cum alijs Fratribus suis, obtulerunt in hoc loco Ecclesiam sancti Saluatoris, & sancti Christofori de castello Petroso, cum

Digitized by Google

nonnullis poſſeſſionibus ſuis. Similiter etiam Temmo filius Theudelaſij obtulit Eccleſiam ſancti Fœlicis in Carrufe, cum omnibus pertinentijs eius. Per idem tempus prædictas Oderiſius Marſorum Comes, cum Gibborga vxore ſua rediderunt Beato Benedicto Eccleſiam ſancti Pauli ſitam in Comino, quam videlicet Pater ipſius à Manſone Abbate per libellum receperat. Eodem quoque tempore ſimili tenore oblata eſt in hoc Monaſterio Eccleſia ſanctæ Iuſtæ apud Baranellum iuxta Biſernum, & alia ſimiliter Eccleſia ſanctæ Iuſtæ apud caſtrum Eudolini, & Eccleſia ſancti Andreæ de Cantalupo territorio Boianenſi. Necnon & monaſterium ſancti Benedicti, & Eccleſia ſanctæ Luciæ apud caſtrum Baniolum, loco qui dicitur molinum vetulum, & Eccleſia ſanctæ Mariæ de Cruce, cum omnibus earum rebus, ac pertinentijs. Apud Aprutium quoque loco Tribio, Eccleſiam ſancti Benedicti ſimiliter cum omnibus rebus ſuis. Sub hoc Abbate Raynerius Gaſtaldeus Soranę ciuitatis, obtulit Beato Benedicto de rebus hereditatis ſuæ in finibus Arpini, locum, qui vocatur collis de Inſula, cum omnibus adiacentijs, ac pertinentijs eiuſdem loci. Sed & Albo quidam Aprutienſis obtulit in hoc Monaſterio integram medietatem de caſtello Salinæ, ſibi iure hæreditario pertinentem, vna cum Eccleſijs, & vniuerſis omnino rebus, ac pertinentijs earundem Eccleſiarum, & prædictæ medietatis, quæ ſunt terræ modia circiter ſeptingenta. Adelpertus etiam cuiuſdam Azzonis filius, id ipſum fecit de curtibus, & de portionibus ſuis de duobus caſtellis apud Aprutium, & Eccleſijs aliquot, cum terra modiorum quadringentorum. Lupus quoque filius cuiuſdam Azzonis de Aprutio, ſimiliter fecit de portionibus ſuis in quatuor Eccleſijs, ideſt ſanctæ Victoriæ, ſancti Antimi, ſancti Archangeli, ſancti Andreæ, & littore, & piſcatione propria in mare, & quinque millibus modijs terræ. Stephanus præterea, & Sylueſter presbyteri Larinenſis ciuitatis, obtulerunt in hoc loco Eccleſiam ſuam vocabulo ſancta Maria, loco, vbi dicitur Monumentum, cum omnibus pertinentijs ſuis.

His diebus Monachi quidam ab Ieroſolymis venientes particulam lintei cum quo pedes diſcipulorum Saluator exterſis,

Digitized by Google

exterſit, ſecum detulerunt, & ob reuerentiam ſancti huius loci deuotiſſime hic obtulerunt, ſexto ſcilicet idus Decembris; ſed cum à plurimis ſuper hoc nulla fides adhiberetur, illi fidei fidentes, protinus prædictam particulam in accenſi thuribuli igne deſuper poſuerunt, quæ mox quidem in ignis colorem conuerſa, poſt paululum verò amotis carbonibus ad priſtinam ſpeciem mirabiliter eſt reuerſa. Cumq; excogitarent qualiter, vel quanam in parte pignora tanta locarent, contigit diſpoſitione diuina, vt eodem ipſo die tranſmiſſus ſit in hunc locum, loculus ille mirificus vbi nunc recondita eſt ipſa lintei ſancti particula, argento, & auro, gemmisq; anglico opere ſubtiliter, ac pulcherrimè decoratus, ibi ergo chryſtallo ſuperpoſito, venerabiliter ſatis eſt collocata. Morisq; eſt ſingulis annis ipſo die cœnæ Dominicæ ad mandatum Fratrum eam à manſionarijs deferri, & in medium poni, duoq; candelabra ante illam accendi, & indefinenter per totum mandati ſpatium ab Acolutho incenſari. Demum verò iuxta finem mandati à ſingulis per ordinem Fratribus flexis genibus deuotiſſime adorari, & reuerenter exoſculari.

CAPVT XXXIV.

DE Monaſterio præterea Barregenſi cum à prædicto fratre ſuo Pandulfo Principe idem Abbas præceptum, cum omnibus ſuis finibus poſſeſſionibus, ac pertinentijs recepiſſet: quendam ibi Fratrem huius congregationis valde religioſum, qui Azzo dicebatur, vt eius reſtaurationi, ac reconciliationi pro poſſe ſtuderet, tranſmittere protinus ſtatuit. Nam ex eo tempore, quo Saraceni à Marſis, Peligniſq; ſuperati, atque fugati ibidem ſe contulerunt, ſeq; ibi aliquandiu (quoniam locus excelſis valde ædificijs munitus erat) tutati ſunt, ſed ab ijs, qui eos inſequebantur, vna cum monaſterio, & ipſi pariter conflagrati ſunt; per diuerſa exinde fugientibus monachis, ita ſuccreſcentibus, vndique ſiluis horridum fuerat, & inhabitabile redditum,

Digitized by Google

vt vix pauci admodum Fratres, iuxta paruam Ecclesiam antiquam, quæ ignem euaserat, pro venerabilis loci amore commanere paterentur. Erat tunc prædictus Azzo, Præpositus Monasterij sancti Benedicti in Pago Marsorum, quod videlicet Monasterium eo tempore tam cellis, quàm fundis, ac prædijs, atque colonis diuersis per Marsiam locis copiosis ditatus erat. De quibus aliquanta perstringimus. Cella sancti Benedicti in Oretino, cum modijs terræ quingentis. Sanctus Gregorius in Pentoma, cum modijs mille. Sancta Maria in Hillara cum modijs trecentis. Vicenna in Auezzano modiorum centum. In castello Veneris, loco qui dicitur Casale ab ipso monte vsque in aquam; ex alio latere aquæ Veneris ad casalem Adelardi, modij viginti. In loco, qui dicitur Calabrettum modij mille. Hereditas Gueltonis ibidem similiter modij mille. In valle, quæ dicitur Aquirana à sancto Quinciano vsque in Aquiranum modij mille, plus, minus, & cætera multa, & maxima, quæ longum scribere iudicauimus. Huius itaque vniuersam omninò substantiam tam in codicibus, quàm & in animalibus, quamq; & vniuersis vtensilibus ex æquo diuisit, partemq; alteram ad prædicti Monasterij restaurationem assumpsit, & conuocatis artificibus Ecclesiam primitus, cuius fundamenta tantum remanserant, de hinc officinas cæteras restaurare protinus cœpit. Reuersusq; consequenter ad Abbatem hominibus, quos in possessionem eiusdem Monasterij necessarium erat inducere, libellos ab eo acquisiuit: moxq; castellum, quod eidem Monasterio proximum est, Vale vocabulo condidit. Tertio demum anno consummata Ecclesia, prafatus Abbas eiusdem Azzonis oratu, Angelum Episcopum huius tunc Monasterij monachum, cum aliquot Fratribus, & duodecim alijs sancti Germani clericis, ad eam sollemniter dedicandam mandauit. Quo facto quemdam ibi Fratrem Dominicum, quem ipse monachum fecerat vice, ac nomine suo ordinans, non multo post, idem Azzo iam senex, atque infirmus ad hoc Monasterium reuersus est. Qui cum in domo infirmorum per dies aliquot recubans, extremum iam vitæ spiritum traheret, quidam Frater Petrus nomine, eo quidem tempore Iuuenis, nostra

verò

verò ætate, qua illum in hoc loco adhuc viuentem reperimus, annis simul, moribusq; grandæus, dum in dormitorio Fratrum, cum cæteris ea nocte quiesceret, vidisse sibi visus est Michaelem Archangelum, illa nimirum specie, qua in imaginibus depingi consueuit, per idem dormitorium altero se Angelo comitante transire. Quem cum idem Frater quadam speciali fiducia, vtrum ipse Michael Archangelus esset, & quo tenderet perquisisset, & se plane Beatum Archangelum esse, & ad animam Fratris Azzonis suscipiendam properare respondit. Mox Frater ille euigilans surrexit, & ad domum infirmorum perniciter aduolans, iam eundem Fratrem recessisse de sæculo reperit. Præfatus verò Dominicus eiusdem magistri sui solertiam imitatus, non multo post Roccam, quæ inter montes dicitur, non longe ab ipso Monasterio construxit, atque colonos, qui prius in loco, qui Ciuitella vocabatur habitauerant, in ea constituit.

ADNOTATIO.

EA, quæ hic narrat Leo de Azzone Præposito sancti Angeli, referuntur etiam à Desiderio Cassinensi Abbate lib. 2. Dialog.

CAPVT XXXVI.

PER idem tempus contentio Caietanorum Ducum, & Comitum Traiectensium orta est cõtra hoc Monasterium, eo quod cæpissemus repetere terras quasdam, & siluas in confinijs Aquini huic Monasterio antiquitus pertinentes, quas ipsi ante non multos annos à Papa Ioanne octauo, & à Ioanne Papa decimo per priuilegium receperant; pro eo scilicet, quod super destructione Saracenorum Gariliano degentium potentissime se intromiserint. Sed cum apud Argenteum castrum ad placitum res hæc perducta fuisset, in quo cum Principe Capuano, & eiusdem ciuitatis

Digitized by Google

Archiepiſcopo; necnon, & cum Duce Neapolitano, & Caietano Epiſcopo, Domnus Atenulfus Abbas, & plurimi de diuerſis partibus nobiles, Iudicesq; conuenerant: relecta ſunt primitus, in omnium præſentia præfata priuilegia illorum: demum verò relecta ſunt à parte noſtra præcepta Regum Caroli, Hugonis, atque Lotharij, qui eaſdem Terras huic Monaſterio conceſſerant, & firmauerant. Quo facto decretum à Iudicibus eſt, tam ex Romanis legibus quàm ex Longobardis, nequaquam poſſe Caietanis Terras illas aliquatenus pertinere: ſed nos eas omnino legaliter, ac firmiter obtinere debere. Cumq; hæc Iudicum ſententia, & à Principe, & ab vniuerſis aſſidentibus collaudata ſimul, & confirmata fuiſſet, præfati Duces, ac Comites, videntes ſe legum auctoritati contradicere non poſſe, chartulam protinus manifeſtationis, ſeu renuntiationis de vniuerſis rebus illis fecerunt; & apud nos remiſerunt, pœna centum auri librarum appoſita, ſi vnquam ipſi, vel ſui heredes, hæc aliquatenus dirumpere; ſeu remouere quæſiſſent.

CAPVT XXXVI.

IODEM quoque tempore Pandulfus, & Giſulfus Theanenſes Comites, proclamante eodem Abbate in Iudicio Capuani Iudicis, & Archiepiſcopi, manifeſtauerunt ſe, & renuntiauerunt nobis totam pertinentiam de Ceſina: appoſita nihilominus pœna centum librarum auri, ſi eandem renuntiationem remouere aliquo modo tentauiſſent. Id ipſum etiam fecerunt filij Vnzonis de caſtro Conca, & de omnibus pertinentijs ipſius, & de Pilano, & ſancto Fœlice, & Ceſina; proclamante Andrea Præpoſito noſtro in placito Antonij Cappellani, & Benzonis miſſi Henrici Imperatoris, appoſita pœna ſi remouerent quinque millium bizantiorum. Per idem tempus quidam Aquinenſis vir nomine Magipertus obtulit Beato Benedicto hereditatem, quæ Limata vocatur, Carnello, & Malpha circundatam, centum æſtimatione modiorum, quam videlicet ipſe ab hominibus de Pontecuruo emerat,

ab

Digitized by Google

ab vno latere habens passos quadringentos decem & septem, ab altero trecentos vigintitres, ab alio ducentos, ab alio verò trecentos.

CAPVT XXXVII.

IVIVS Abbatis anno septimo, cęperunt Normanni, Melo Duce, expugnare Apuliam: qualiter autem, vel qua occasione Normanni ad has partes primo deuenerint, & quis, vel vnde hic Melus fuerit, & qua de causa eisdem Normannis adhęserit, opportunè referendum videtur. Ante hos circiter sexdecim annos quadraginta numero Normanni in habitu peregrino (vtpote à Ierosolymis, vbi causa orationis perrexerant reuertentes) Salernum applicuerunt: viri equidem, & statura proceri, & specie pulchri, & armorum experientia summi. Anno 1018.

Quam à Saracenis obsessam reperientes, accensis nutu Dei animis, à Guaimario maiore, qui tunc Salerni Principabatur, equis, armisq; expostulatis, in opinatè super illos irruunt, & pluribus eorum peremptis, cæterisq; fugatis, mirabilem victoriam, Deo præstante, adepti sunt. Attolluntur ab omnibus in triumphum, donis à Principe amplissimis honorantur, vtq; secum manere debeant multis precibus inuitantur. Illi verò se amore tantum Dei, & christianæ fidei hoc se fecisse asseuerantes, & dona recusant, & ibi manere posse se denegant. Tandem itaque prædictus Princeps consilio habito, simul cum eisdem Normannis legatos suos in Normanniam dirigit, & veluti alter Narses, poma per eos cedrina, amygdala quoque, & deauratas nuces, ac pallia imperialia, necnon & equorum instrumenta auro purissimo insignita illuc transmittens, ad terram talia gignentem illos transire, non tam inuitabat, quàm & trahebat. Per eos dies duo magnates partis illius, Giselbertus scilicet, qui & Buttericus, & Gulielmus, cognomento Repostellus, acriter intra se diffidentes, ad id tandem excidij deuenerunt, vt Giselbertus Gulielmum occideret. Quod cum

Robertus

Digitized by Google

Robertus Comes terræ ipsius comperisset, vehementer iratus, mortem Giselberto interminatus est. Giselbertus igitur iram Domini sui præcauens, assumptis quatuor fratribus suis Rainulfo, Ascilittino, Osmundo, atque Rodulfo, & aliquot alijs cum equis tantum, & armis, iuncti nostrorum legatis, aufugiunt, & Capuam tandem perueniunt, vbi eo tempore prædictus Melus cum Pandulfo Principe morabatur. Hic itaque Melus (vt retro aliquantulo redeam) Barensium ciuium, immo totius Apuliæ primus, ac clarior erat, strenuissimus valde, ac prudentissimus vir. Sed cum superbiam, insolentiamq; atque nequitiam Græcorum (qui non multo ante, tempore scilicet primi Ottonis Apuliam sibi, Calabriamq; sociatis in auxilium suum Danis, Russis, & Gualanis vendicauerant) Apuli ferre non possent, cum eodem Melo, & cum Datto quodam æque nobilissimo, ipsiusq; Meli cognato, tandem rebellant. Verum cum exercitui, quem Imperator illo transmiserat Barenses resistere non valerent, post non longum tempus turpiter se, suaq; dedentes, eundem quoque Melum Græcis tradere nequiter conabantur. Quod prudentissimus vir aduertens, vna cum Datto clam fugit, & Asculum intrauit, atque post paucos dies timens, ne etiam ipsi Græcis, qui eum obsidebant contraderent, noctu egressus cum Datto pariter Beneuentum venit. Inde Salernum, ac tandem Capuam, nullo interim otio indulgens, quin modis omnibus satageret, qualiter Græcorum dominationem abijcere, atque ab eorum tyrannide suam posset patriam liberare. Interea Barenses captam vxorem ipsius Maraldam, & filium Argiro Constantinopolim ad Imperatorem transmittunt. Dattus itaque ad præfatum Abbatem Atenulfum veniens, cum apud eum, vna cum vxore, & filijs diebus aliquot commansissent, demum ob Henrici Imperatoris fidelitatem à Benedicto Papa in Turre de Garliano flumine, quam idem Papa tunc retinebat, positus est. Quam videlicet Turrem Ioãnes Imperialis patritius Caietanus filius Docibilis Hypati, pro Agarenorum dissipatione temporibus Ioãnis octaui Papæ construxerat. Melus igitur inter ista Capuæ commorans, cognito prædictorum Normènorum aduentu, mox illos

Digitized by Google

illos accersit, eorumq; causa diligenter perquisita, & agnita, illis de more militiæ protinus fœderatur, & è vestigio Salernum, ac Beneuentum repedans, multos sibi tam Græcorum odio, quàm sui gratia addictos associat, statimque Græcorum Terram ingressus expugnare repugnantes viriliter cæpit. Tribus itaq; vicibus cum Gsæcis, prima apud Arenolam, secunda apud Ciuitatem, tertia apud Vaccaricíam, campestri certamine dimicans, tribus eos vicibus vicit, multosq, ex his interficiens, & vsque Tranum eos constringens, omnes ex hac parte, quas inuaserant Apuliæ ciuitates, & oppida, recepit. Quarta demum pugna apud Cannas, Romanorum olim clade famosas, Bolani Catapani infidijs, atque ingenijs superatus, vniuersa, quæ facile receperat, facilius perdidit. Feruntur in ea pugna Normãnorum ex ducentis quinquaginta numero decem tantummodo cecidisse, de Græcis autem innumerabilem turbam occubuisse. Melus autem cernens auxilijs militum se destitutum, Normannos superstites partim apud Guaimarium, partim apud Pandulfum constituens, ipse vltra montes ad prædictum Imperatorem abijt, vt ad expellendos Græcos, vel ipsum pro se ad has partes venire suaderet, si posset, vel militum ab eo auxilia acciperet, si non posset. Tunc temporis Venafrani Comites in possessione huius Monasterij, quæ Vitecusum dicitur ingredientes: Castrum ibidem, & in loco, qui dicitur Aqua fundata, ædificare cæperunt. Quodum Abbati Atenulfo nuntiatum fuisset, missis militibus, illos de huius Monasterij finibus expulit, & quæ ædificauerant à fundamentis euertit.

CAPVT XXXVIII.

INTERREA cum præfatus Abbas, immo potius hoc Monasterium, magis Aquinẽsium Comitũ infestationibus vrgeretur, & neq, seruorum Dei hic commorantiũ precibus, neque ipsius sancti Patris Benedicti reuerentia, aliquatenus illorum nequitia sedaretur, magna demum Abbas

bas neceſſitate coactus, fortiſsimos aliquot ſibi ex præfatis Normannis aſciuit, eosq; iuxta ſe in oppido, quod Pinlatarium nuncupatur, non longe à ciuitate ſancti Germani, ad Monaſterij bona tuenda conſtituit, quod quidem illi, quamdiu Abbas ipſe ſuperfuit, ſtrenuè ſatis, & fideliter executi ſunt. Per hos dies prædictus Catapanus Bolanus cõceſſit in hoc Monaſterio totam ex integro hereditatem, vel ſubſtantiam Moraldi cuiuſdam Tranenſis, tam intra eandem ciuitatem, quàm & de foris, vbicunque ipſe aliquid poſsidere videretur. Itaque cum Capuanus Princeps latenter faueret Conſtantinopolitano Imperatori Baſilio, fecit interim fieri claues aureas, & miſit ad illum, tam ſe, quàm ciuitatem Capuanam, immò vniuerſum Principatum eius per hæc Imperio contradens. Prædictus præterea Bolanus non paruam pecuniæ ſummam eidem Principi tranſmittens, rogat, vt ſi re vera fidelis Imperatori Baſilio eſſet, permitteret ſe ad capiendum Dattum tranſire: permiſſum eſt, & armato non paruo exercitu ad Garilianum venit, Turrem in qua Dattus, nihil tale ſuſpicans, reſidebat, per biduum oppugnans, vi tandem cum omnibus, qui ſecum erant comprehendit, & Normannos quidem, qui ibi fuerant, ab eodem Bolano, prædictus Abbas multis precibus acquiſiuit. Dattum verò nullo vnquam modo ab eius manibus eripere potuit, quem videlicet vinctum Barium reducens, poſt paucos dies in ſutum culleo, more parricidarum, in medio mari præcipitari mandauit.

CAPVT XXXIX.

HIS omnibus Auguſtæ memoriæ Imperator Henricus auditis, Græcorum ſcilicet inuaſione, Principis tergiuerſatione, Datti denique crudeliſſima nece, reputans amiſſa Apulia, ac Principatu, Romam quoque ni maturaret, ac per hoc Italiam totam conſequenter ſibi, etiam in proximo amittendam (cum iam Melus bis ad eum hac de cauſa profectus, vltra montes defunctus fuiſſet) minimè amplius remorandum ratus: anno incarna-

Henricus Italiamvenit, Anno 1022.

Digitized by Google

incarnationis Dominicæ millesimo vigesimosecundo, immenso valde totius Regni congregato exercitu, Italiam venit. Et ipse quidem cum maxima eiusdem exercitus parte per Marchias transit. Archiepiscopum verò Poppum cum vndecim millibus, (vt perhibent) armatorum per Marsorum regionem direxit. Belgrinum autem Colonien-sem Archiepiscopum cum viginti millibus ad Principem, & Abbatem capiendum per Romam præmisit. Ipse enim Abbas cum fratre Principe, insimulatus apud Imperatorem super captione, & morte Datti plurimum fuerat, quod cum Abbas amicis nuntiantibus persensisset, nusquam se tutum posse consistere à facie tantæ potestatis existimans, cum Marsorum quoque Comites, & filij Borrelli libentissimè se illum recepturos pollicerentur, deliberato tandem consilio, iræ locum dare decernit, cupiensq; Constantinopolim ad Imperatorem confugere, Hydruntum mare ingressurus perrexit. Eiusdem interea ciuitatis Episcopo Beatus Benedictus in visione apparens: vade, ait, & dic Abbati, vt nullatenus hac vice mare pertentet, quoniam si fecerit sine dubio peribit; & ille quidem huiusmodi visioni minime fidem accommodans, audacter mare ingressus est, sed vt verax prohibentis tunc charitas, probaretur, occulta Dei dispensatione, atque iudicio, cum omnibus socijs in mare naufragium passus, atque demersus est. Quod cum fuisset Imperatori relatum, fertur dixisse. Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. Inter cætera, quę idem Abbas hinc egrediens secum auferens asportauit, nouem præcepta Imperatorum aurea bulla bullata, necnon, & præceptum de casa Gentiana, de Piscaria Lesinensi secum auferens asportauit, quæ omnia cum eo in maris profundo demersa sunt. Psalm. 7. vers. 16.

CAPVT XL.

BELGRINVS interea, quoniam Abbatem non reperit, verens ne forte, & Princeps fratris exemplo, fuga simili labaretur Capuam festinanter adijt, eamq; mox vndique armato milite cinxit. Princeps

ceps autem metuens ciuium proditionem, quam pro certo facturos eos sciebat, sponte ad Belgrinum exijt, seq; non ita (vt dicebatur) Imperatori monstrans esse culpabilem, iustitiam se coram illo de his, vnde insimulabatur facturum spopondit. Lætus Belgrinus, accepto sub custodia Principe, ad Imperatorem abijt, vbi iam super Troiam Græcorum ciuitatem (quam eodem anno ijdem Græci facere ceperant) castra posuerat. Exhilaratus itaque de captione Principis Imperator, & aggregatis vniuersis suis magnatibus, tam Italicis, quàm Vltramontanis, in eorum iudicium inducit, accusatoribus innumeris præsentibus, & eius nequitiam in faciem ipsius obijcientibus: decernitur vnō omnium, pariq; iudicio, mortis illum debere subire sententiam. Verum Belgrinus, cuius fidei se idem Princeps commiserat, dictam sententiam nimis grauiter ferens, supplex ad Imperatorem accessit, & multorum adminiculo fretus, tum orationibus, tum rationibus vitam ipsius obtinuit, ferreo tamen camo Imperator vinciendum, secumq; in Germaniam asportandum mandauit.

Anno 1022.

CAPVT XLI.

POST paucos dies, sponte Troianis deditionem sui facientibus, & ad Imperatoris vestigia vniuersis à minimo vsque ad maximum suppliciter procumbentibus, Imperiali clementia veniam tribuit. Et quoniam propter æstiuum tempus, gens continuis assueta frigoribus, in partibus istis diu remorari non poterant, reditum in dies singulos maturabat. Veniens igitur Capuam Pandulfo Theanensi Comiti tradidit Principatum, Stephano autem, Melo, & Petro nepotibus prædicti Meli, quoniam propria illis recuperare non poterat, Comitatum concessit, quibus etiam in auxilium Giselbertum Constantinum, Balbum, Gualterium de Canosa, & Hugonem Falluca cum alijs Normannis reliquit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XLII.

IMPERATOR autem post dies paucos, ordinatis suis negotijs omnibus, venit ad hoc Monasterium, vna cum Romano Pontifice Benedicto. Interea Fratres in vnum collecti cæperunt ad inuicem iuxta tenorem regulæ de eligendo sibi Abbate tractare. Viuebat adhuc, & eidem consilio præsens erat Ioannes Abbas, ille, quem superius relequisse Abbatiam, & in Eremum se cessisse monstrauimus. Aderat etiam tunc, & Domnus Theobaldus, vir vtique, & genere, & moribus clarus, qui eo tempore Marchiæ Præpositurам, vnde & ortus fuerat, nauiter administrabat. Extiterunt igitur aliquot, qui prædictum Abbatem Ioannem in Abbatiam restitui cõsulebant, sed quoniam decrepitæ iam erat ætatis, sapientiorum Fratrum consilio inutilis tanto oneri iudicatus, post nonnullas (vt in talibus fieri assolet) ac diuersas diuersorum sententias, tandem communi omnium voluntate Domnus Theobaldus dignus decretus, à fratribus Abbas eligitur, ipso etiam Imperatore, quem tunc præsentem esse contigerat, vna cum prædicto Papa, electionem valde laudantibus: sicq; die altera natiuitatis Apostolorum Petri, & Pauli, ab eodẽ beatissimo Papa honorabiliter consecratur.

S. Henricus Imperator Cassinum venit.

CAPVT XLIII.

PATIEBATVR eo tempore Imperator Ilij dolorem permaximum, atque, vt ipse postmodum referebat, quamuis nimiam circa hunc locum deuotionem gereret, & nusquam terribilius, ac venerabilius Oratorium se vidisse assereret, sæpius dubietatis scrupulo mouebatur, vtrum nam Pater Benedictus corporaliter hoc in loco quiesceret. Præ dolore igitur iam dicto, nec plane dormienti, nec ex integro vigilanti, Beatus Benedictus apparuit, & quasi causa visitandi ad eum accedens, vbi pateretur inquirit,

Digitized by Google

rit. Cui languorem protinus confitenti: Scio, inquit, Benedictus, quoniam tu me hactenus hic dubitasti quiescere: sed ne super hoc amplius aliquatenus dubites, meumq; in loco isto quiescere credas corpusculum, hoc tibi signum erit. Cum primum hodie surrexeris, in egestione vrinæ tuæ tres lapillos non paruos mingere habebis, & ex tunc dolore isto amplius non laborabis. Ego autem sum Frater Benedictus, & his dictis disparuit. Euigilans Imperator confestim surrexit, & iuxta visionis ordinem sanitati pristinæ redditus, Deo, & Patri Benedicto gratias ineffabiles retulit.

Mane autem facto veniens in conuentum Fratrum, post capituli verba sollemnia: Quid, inquit, Domini mei me consulitis dare medico, qui me curauit? Cumq; responsum illi fuisset, vt quicquid sibi placeret de Monasterio, se libentissime dantibus, tolleret, ac medico daret. Non ita, inquit, opportet, sed quoniam Benedictus Pater hac nocte mei curam egit, oportet me de mea camera illius remunerare medelam. Et hæc dicens cum lacrymis gaudio *mistis*, retulit omnibus, quæ vidisset, atque audisset, *adijciens*: Nunc pro certo cognoui, quia venerabilis est locus iste, & nulli mortalium est vlterius dubitandum, quin cum Sorore pariter sua, hic Benedictus Pater quiescat. Ad fidem autem verborum suorum tres illos lapillos, quos secundum tenorem visionis, ante paululum minxerat, palam omnibus ostendebat. Vniuersis itaque super tanta visione, tamque mirabili, ac celeri sospitate Imperatoris obstupescentibus, ac Deo laudes, & gratias referentibus, obtulit ipso die Imperiali munificentia Beato Patri Benedicto muncra. Textum Euangelij de foris quidem ex vno latere ad opertum auro purissimo, ac gemmis pretiosissimis, ab intus verò vncialibus, vt aiunt, litteris, atque figuris aureis mirificè decoratum. Calicem aureum cum patena sua gemmis, ac margaritis, ac smaltis optimis adornatum; planetam diapistin listis aureis adornatam. Stolam quoque, & manipulum, atque cingulum singula intexta auro. Pluuiale etiam diasprum cum listis auro textis, necnon, & tunicam eiusdem subtegminis, aureis operibus exornatam: simul etiam mappulam diapistin auro nihilominus decoratam,

ficulam

Digitized by Google

fitulam etiam, & coppam argenteam quantitatis non modicæ. Recollegit præterea à Iudæis veſtem vnam de altario ſancti Benedicti, quæ quondam fuerat Caroli Regis, quam ijdem Iudæi retinebant in pignore pro quingentis aureis: necnon & calicem argenteum Saxonicum maiorem cum patena ſua, quem Theodoricus Saxonum Rex Beato Benedicto olim tranſmiſerat, quæ omnia pariter in Fratrum præſentia ſuper altare Beati Benedicti ponens, obtulit, prædictumq; Papam ſuæ auctoritatis ſcriptionem de his omnibus in hoc loco facere rogauit, Apoſtolici anathematis innodatione eidem ſcriptioni appoſita, ne quis vnquam, vel hæc, quæ diximus, vel alia, quæ in antea idem Imperator huic Monaſterio conceſſerat, ſubtrahere præſumat. Idem quoque Apoſtolicus Imperatoris ſaluti valde congratulans, obtulit, & ipſe Beato Benedicto eodem die planetam optimam veneti coloris liſtis aureis decenter ornatam, & ſtolam vnam optimam auro bruſtam cum manipulo ſuo. Sed & Belgrinus Archiepiſcopus ob gratiam Imperatoriæ ſanitatis, ſimiliter obtulit Beato Benedicto planetam purpuream optimam aureis liſtis, menſium duodecim ſigna habentibus in circuitu, adornatam, & ſtolam cum auro, & pluuiale vnum.

Poſthæc idem chriſtianiſſimus Imperator adhuc parum quid ęſtimãs ſe prę nimia huius loci dilectione feciſſe, admonitus ab eodem Belgrino, & à Theodorico cancellario ſuo; altera die fecit præceptum conceſſionis in hoc loco de Roca, quæ dicitur Vãtra, cuius poſſeſſores, ac ſi latrunculi quidã, hoc Monaſterium frequentiſſime infeſtabant, ac propterea illam de manibus eorum ereptam, ad vſus ſeruorum Dei huius loci in perpetuum habendam, & retinendam contradidit. Fecit & aliud præceptũ de vniuerſis, vbiq; terrarum huius loci poſſeſſionibus, iuxta tenorẽ videlicet Imperatorum anteceſſorum ſuorum, per quod etiam præceptum, Monaſteriũ S. Mariæ in Canneto in finibus Termulenſis, Imperiali auctoritate in hoc Monaſterio confirmauit: ſicq; commendans ſe plurimũ Patri Benedicto, & omnibus Fratribus, cum illorum benedictione reuerſus ad propria eſt. Et ne tanti benefactoris ſui beneficium obliuiſci aliquatenus vi-

Digitized by Google

deretur, mox vt domum redijt, planetam optimam diarodinam aureis listis pulcherrime decoratam, vna cum alba, & cingulo, stola, atque manipulo, qualia Imperatorem mittere deceret, huc ad Beatum Benedictum cum maximis gratiarum actionibus transmittere studuit. Tantæq; de cætero circa hunc sanctum locum deuotionis extitit, vt si aliquanto diutius viueret, relicto Imperij fastigio, Deo se sub sanctæ professionis habitu hic seruiturum sponderet.

ADNOTATIO.

Sanctum hunc Henricum Imperatorem, Beatum Patrem Benedictum, tanquam diuum tutelarem coluisse, refert Nicolaus Serarius Lotharingus è Societate Iesu, in cap. 12. Tob. quæstiuncula 14. his verbis. In templo siquidem Basilicnsi, quod Augustus ille Henricus magnifice restauravit, donisq. plurimis condecorauit, eminet Lamina illa aurea lignea tabula adhærens, septem millibus florenorum æstimata, qua ipse priuatim in larario suo cum viueret vsus est. Vnde & tutelares diuos refert, quos ille præcipuè coluit, nempe quatuor Angelos, Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, Vrielem, & Benedictum, ac in horum medio stantem Christum, cuius pedibus ipse cum vxore Cunigunde aduoluitur. Idem etiam habet Beatus Rhenanus lib. 3. rerum Germanicarum fol. 140. quibus confirmantur ea, quæ Leo hic asserit de peculiari deuotione huius sancti Imperatoris erga Beatum Patrem Benedictum.

CAPVT XLIV.

De translatione sancti Benedicti.

SANE quoniam de corpore Beati Benedicti, quod in hoc loco veraciter requieseere, tum reuelatione, quàm viderat, tum sospitate, quàm senserat, fuerat certissimus redditus, vbicumque postmodum scripturam translationis eiusdem Beati Patris reperire potuit, flammis exussit, narrans omnibus, quæ sibi Dominus hoc in loco ostenderit.

quæ

Digitized by Google

quæue præstiterit, ex ipsius falsæ translationis serie rationabiliter ostendens, hæc friuola esse, ac confictícia; dum sic ibi refertur, vnus, idemq; Angelus, & illos hortabatur ad surripiendum, & Romanum Pontificem instigabat ad persequendum, rursumq; illis insistebat ad fugiendum. Qui verò Pauli Diaconi veracis vtique, & insignis historiographi testimonio super hoc se fulciri existimant: nouerint consuetudinem hanc esse rerum gestarum scriptoribus, vt in narratione sua, opinionem vulgi sequantur aliquãdo. Nam & apud Lucam Beata Maria Ioseph patrem Domini appellat, dicens: Ego & pater tuus dolentes quærebamus te; & apud Marcum, Herodes (pro eo, quod puella caput Baptistæ quæsierat) dicitur contristatus, quod vtrumque neutiquam verum fuisse, nemo est, qui nesciat.

Paulus Diaconus

‡ Luc. 2. vers. 48.

Marc. 6. vers. 26.

ADNOTATIO.

Quid sit de translatione sancti Patris Benedicti sentiendum, fusè disputatum est à nobis in peculiari libello de hac re edito, in cuius duodecimo capite egimus de sententia Pauli Diaconi circa hanc materiam: de qua vide etiam annotata super caput primum libri primi huius Chronici.

CAPVT XLV.

VERVM, & hoc ipse religiosissimus Imperator multis referre solitus erat, quod ipsum languorem, vnde nunc per Beatum Benedictum conualescere meruerat, per eundem nihilominus dolori ipsi iam pridem addictus extiterat; occasione videlicet huiusmodi. Cum ducatus adhuc sui tempore, iter agens in Monasterium quoddam vltra montes, Benedicti Patris nomine dedicatum, hospitatus fuisset; quoniam multitudini equorum ipsius stabula sola nequaquam sufficerent, in ipso Fratrum capitulo, quod iuxta Ecclesiam erat, eius stabularij audacter equos aliquot locare minimè veriti sunt. Nocte igitur eadem Benedictus Pater

Digitized by Google

eidem Duci, toruo ac terribili valde intuitu apparens, eiq; multa (quod ita domum suam tractaret) comminitans, virga, quàm manu gestabat illius latus percussit, & ex tunc dolore illij torqueri vehementissime cœpit.

CAPVT XLVI.

HIC idem Augustus ex proprij patrimonij sumptibus construxit Ecclesiam ad honorem sancti Georgij in Bamberga, & aduocans Benedictum Papam, ab ipso illam consecrari fecit, atque Episcopalem in ea sedem constituens, Beato Petro ex integro obtulit, statuto censu per singulos annos, æquo vno optimo albo, cum omnibus ornamentis, & phaleris suis, & centum marchis argenti. Postmodum verò Leo nonus Papa, vicariationis ergo, Beneuentum ab Henrico Conradi filio recipiens, prædictum Episcopum Bambergensem sub eius ditione remisit, æquo tantum, quem prædiximus, sibi retento. Super cæteras autem bonitates, seu virtutes, quas idem Imperator habuisse narratur à Deo, fertur vixisse castissimus, vt ad mortis articulum veniens coram præsentibus Episcopis, atque Abbatibus, Cunegundem coniugem suam propinquis suis restituens, hæc illis dixisse fertur. Recipite, quam mihi tradidistis, virginem vestram.

ADNOTATIO.

CONfirmantur hæc, quæ de sancto Henrico, & Cunegunde vxore eius referuntur, auctoritate Martyrologij Romani, in quo die decimaquarta Iulij habentur eadem his verbis. Bambergæ sancti Henrici primi Imperatoris, qui cum vxore sua Cunegunde perpetuam virginitatem seruauit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XLVII.

QVONIAM autem de corpore sanctissimi Patris Benedicti paulo ante necessario fecimus mentionem, gratum hic commemorare videtur etiam illud, quod Adā religiosissimo viro Ecclesiæ suæ custodi, idem beatissimus Pater ostendere dignatus est. Hic itaque Adam cum quodam tempore Romam de more ad emenda quæq; in huius Ecclesiæ vtilitatibus necessaria perrexisset, apud Monasterium Beati Pauli Apostoli, cui Domnus Leo Abbas tunc præerat, sicuti & consueuerat, hospitatus est. Cum autem die quadam, ijdem reuerentissimi viri, Leo scilicet, atque Adam, spiritualia quædam ad inuicem verba conferrent, cœpit Abbas scisciteri: Vtrum vera, an falsa essent, quæ fama tunc per multorum ora voluebat, scilicet quod corpus Beati Benedicti, hic nequaquam quiesceret, sed vltra montes furtim sublatum, delatumq; fuisset, addensq; vt rei, inquit, huic fidem addant, qui ista disseminant: ideo aiunt, nullum apud vos signum, nullum miraculum fieri, illuc vero, vbi illud delatum astruunt, innumera per dies singulos, eius meritis, dicunt signa patrari. Ad hæc Adam vehementer suspirans, apprehensa manu eiusdem Abbatis, ad altare illum Beati Pauli Apostoli duxit, ibiq; solis astantibus, manum suam super altare idem Adam posuit, dicens. Per corpus hoc Doctoris gentium beatissimi Pauli, quod hic absque vlla hæsitatione requiescere christiana vniuersitas credit, quoniam hoc, quod tibi modo dicturus sum, veracissimum & sine omni mendacio est. Enim verò, & ego aliquando de corpore Beati Benedicti multoties talia audiēs, non modo in hæsitationem, sed etiam in desperationem, ac tristitiam inductus adeo fueram, vt iam fere nullam circa ipsius altare deuotionem, nullam possem dignam gerere reuerentiam. Taliter me per aliquantum temporis fluctuante, & præ tristitia trepido animo incedente; cum die quadam post completorium deuotior solito apud eius sepulchrum fusa oratione cubitum me collocassem, idem

Digitized by Google

ſanctiſſimus Pater mihi per viſionem apparere dignatus eſt dicens. Quare Frater Adam tam demiſſus, & triſtis incedis? & quare de me tam male ſentire ſeduceris, quaſi ego hic corporaliter minime iaceam? verum quoniam ſeruitium, & deuotio tua valde eſt placita coram me, amodo eſto certiſsimus me hic corporaliter cum Scholaſtica ſorore mea quieſcere, meq; ſimul cum ipſa in die examinis vltimi in hoc loco debere reſurgere: vobiſcum etiam tam die, quàm nocte, quoties deuote pſallitis, attentiusq; oratis, ac decenter proceditis, me pariter eſſe. Vt autem te ſuper his omnibus indubium reddam, cum matutinali hora primus, vt es ſolitus, ingreſſus Eccleſiam fueris; ſi videris de ſepulchro meo quaſi virgulam fumi aromatis procedentem, crede vniuerſa, quæ dixi eſſe veriſſima. Euigilans itaque protinus, mecumq; myſterium tantæ viſionis pertractans, gaudio ſimul lacrymisq; profuſus, cepi benedicere Dominum, patremq; ſanctiſsimum Benedictum: moxq; licet tremês, ac pauidus, Eccleſiam ingreſſus, aſpexi, & vidi, & credidi, iuxta id, quod mihi indigniſsimo fuerat reuelatũ.

Porrò quod dicunt apud nos nullum ab eo miraculum oſtendi, omninò ſcias eſſe falſiſsimum; ſi enim cuncta poſſem tibi referre, vel quæ à prioribus noſtris percepi, vel certe, quæ noſtris temporibus ad eius tumulum ſigna patrata ſunt, liquido peruideres, hoc nonniſi, aut de inuidia, aut potius de ignorantia dictum. Vnum tamen tibi de multis, non ab aliquo mihi relatum, ſed oculis illis perſpectum, pro omnibus, miraculum referam. Dæmoniacus quidam Andreas nomine de Barenſi ciuitate, die quadam ad Monaſterium venit, atque vt eſt conſuetudinis à propinquis, qui eum adduxerant, ante altare eiuſdem Patris locatus eſt, cumq; Fratribus in choro pſallentibus, ineptas quaſdam, & horrendas nequam ille ſpiritus per os miſeri illius vociferationes emitteret, in parte mihi ſtanti, atque oranti, ſubito ſanctiſſimus Pater Benedictus ante ipſum altare aſtare viſus eſt, qui alapa non modica maxillam vexati illius percutiens, malignum ab eo ſpiritum protinus expulit, & ita ſanatus ille cum affinibus Deo, & Patri Benedicto gratias agens, ad propria receſſit. Hæc omnia prædictus

Digitized by Google

tus Adam Leoni Abbati ante ipsum corpus Beati Pauli magna quodammodo necessitate confessus, humilitatis gratia cæteris adeo dum vixit occultauit, vt nemo Fratrum huius loci, de his aliquid nosse potuerit, quousque idem Abbas Leo quibusdam Fratribus nostris, è quibus Roffridus vnus fuit, à quo ego percepi, iam illo defuncto, retulerit.

ADNOTATIO.

TOtam hanc Adami monachi historiam eludere conatur, Ioannes à Bosco Celestinus in Bibliotheca Floriacensi pagina 369. vbi de ea loquens, hanc notam ad marginem ponit. Hæc historia ex suo fundamento vaccillat: nam tunc temporis Monasterium sancti Pauli, de quo in ea fit mentio, erat subiectum Abbati Cluniacensi. Huic notamento respondimus in libello nostro de exsistentia corporis sancti Benedicti apud Cassinum capitulo 25. ad finem: quibus nunc addimus, Monasterium sancti Pauli eo tempore non fuisse subditum Cluniacensibus, sed Cassinensibus: datum quippe fuerat à Marino Papa secundo, Balduino Franco Abbati Cassinensi, vt dictum est supra lib. 1. cap. 58.

CAPVT XLVIII.

HIC ipse Leo retulit etiam aliud quoddam magnum ex ipsius nostri Adam veridico sibi ore relatum. Aiebat enim, quod cum die natalitio sanctorum martyrum Prothi & Hyacinthi idem Adam, ad nescio quid vtilitatis obedientiæ suæ, portas Monasterij fuisset egressus: Ecce mox duo pulcherrimi Iuuenes in habitu monastico, sibi obuiam fiunt, quos cum de more Monasterij humiliter salutasset, & qui nam ipsi essent reuerenter interrogasset, audiuit ab eis Prothum, & Hyacintum se nuncupari; venisse autem se ad visitandos Fratres, qui eorum sollemnia ipso die satis deuote in psalmis, & cãticis honorassent. Quibus dictis cepto itinere cœnobium

Digitized by Google

ingressi sunt: huiusmodi Adam responsis attonitus, paulùlum substitit, moxq; insemet reuersus post eos properanter currere cœpit, & quosque obuios percontari, quonam monachi, qui se paulo præcesserant, deuenissent: respondentibusq; neminem se vidisse, nequaquam adhibens fidem, cœpit huc, illucq; discurrere, & item, itemq; singulos obuiantes de illorum visione diligentissime inuestigare, sed nequaquam illi vlterius eos videndi, seu alloquendi est concessa licentia.

ADNOTATIO.

Hanc eandem visionem refert Desiderius Abbas Casinensis lib. 2. Dialog. ad finem.

CAPVT XLIX.

HIC ipse Domnus Adam in monte proximo, qui Cariæ adiacet Celia vocabulo, cellam in honorem sancti Benedicti construxit, necnon & in Cominensi territorio iuxta Melpham fluuium Ecclesiam sancti Nazzarij, presbytero quodam (cui iure hereditario pertinebat) sibi concedente, ad vsus, & necessitates obedientiæ suæ acquisiuit, easq; nonnullis terrarum possessionibus emptis, diuersisq; Ecclesiasticis ornamentis, atque codicibus sufficienter ditauit.

CAPVT L.

HAc tempestate supradictus Bolano Catapanus Græci Imperatoris, cum iam dudum Troiam in capite Apuliæ cõstruxisset, Draconariam quoque, & Florentinum, ac Ciuitatem, & reliqua municipia, quæ vulgo Capitanata dicuntur, ædificauit, & ex circumpositis terris habitatores conuocans, deinceps habitari constituit. Sanè sciendum, quoniam corrupta vulgaritate Capitanata vocatur, cum pro certo ab officio Catapani, qui eam fecit, Catapanata debeat appellari.

CA-

Digitized by Google

CAPVT LI.

THEOBALDVS secundus ac trigesimus huius cœnobij Abbas, sedit annis tredecim. Hic apud Theatinã marchiam nobili ortus prosapia, quartodecimo ętatis suæ anno relicta domo, parentibus, omniq; substantia, tempore Aligerni Abbatis ad hoc Monasterium venit, atque ab eo benigne susceptus, & habitu est sanctæ religionis indutus. Sed cum post Aligerni transitum Manso (vt iam dictum est) Abbas effectus fuisset, egressus hinc Ierosolymam abijt, reuersus, à Ioanne Abbate obedientiam Præpositurę Monasterij huius suscepit, quam cum per annos aliquot satis strenue administrasset, ab eodem Abbate in Monasterio sancti Liberatoris, quod in Comitatu Theatino iuxta Laentum fluuium situm est, Præpositus est ordinatus. Ibi cum paruulam admodum Ecclesiam, & valde obscuram reperisset; cæteras verò officinas, & ligneas, & vetustas, intra paruum tempus ab ipsis fundamentis omne illud Monasterium petrinis parietibus ædificauit, In Ecclesia verò cum ab introitu ipsius duodecim fermè cubitos in longitudine, & in latitudine tres adiunxisset, titulum quoque ab Orientali parte non parui ambitus cum confessione constructit, vniuersamq; Ecclesiam picturis, ac specularibus decorauit. Ante maius verò altarium tabulam de argento à propinquis accepto, confecit, quam ex parte non modica deaurauit. Fecit etiam in eadem Ecclesia duo magna thuribula ex argento librarum decem, opere pulchro, & ex parte inaurato, & alium thuribulum argenteum pulcherrimum, quod fuerat patris ipsius, ibidem contulit. Fecit, & calicem de argento cum patena sua librarum sex, & alium librarum duarum, & dimidię, cum duobus alijs minoribus, & vno thuribulo. Fecit, & crucem de auro purissimo, vbi posita est particula de ligno sanctæ Crucis, cum alijs Sanctorum reliquijs. Fecit ibi, & campanas non paruas numero quinque; & alia ornamenta Ecclesiastica diuersarum specierum perplurima, quæ hic inserere supersedi. Inter quæ

[Monasterium sancti Liberatoris.

Digitized by Google

quæ etiam, & codices diuersos describi iussit numero sexaginta, è quibus quatuor pallio inuestitos, bullis, alijsq; argenteis operibus decorauit. Hic eo tempore quo Imperator Henricus in Apuliam descendit, vt iam supra retulimus, eidem per Marchiam transeunti obuius exijt, atque ad honorem, & commendationem huius loci strenuissime deseruiuit. Quo etiam, in loco, qui dicitur sanctus Petrus in plana, residente cum vniuersis magnatibus suis, in eorum omnium præsentia proclamauit super Attonem, & Pandulfum Comites de rebus sancti Benedicti in Comitatu Thermulensi, quæ ipsi tunc temporis retinebant, quæ sunt nominatim castella quinque, idest Petra fracida, Pescoli, Guardia, Ripa, & Montebello, cum Monasterio sancti *Benedicti*, & sancti Nicolai, & cum alijs Ecclesijs intra eorundem Castellorum pertinentias positis intra hos fines. A capite Riuus planus, à pede verò mare cum ipso littore suo, & portubus, atque piscationibus, ab vno latere flumen Trinium; ab altero Riuum teccium, quæ omnia in præsentia prædicti Imperatoris, & magnatum ipsius, præfati Comites refutauerunt in manus eiusdem Imperatoris ad partem huius Monasterij nostri, cum vniuersis omnino rebus, ac pertinentijs eorum, intra ipsos, quos diximus terminos, & ipse Imperator manu sua inuestiuit supradictum Domnum Theobaldum de omnibus ipsis, obligans tam illos, quàm & omnes, qui deinceps ista aliquo modo inuadere præsumpserint pœna duum millium librarum auri in hoc Monasterio. Sequenti etiam tempore proclamauit in placito Trasmundi Comitis super quodam Tresidio, qui retinebat de Terra sancti Liberatoris multas possessiones, & manifestante se illo, ac refutante omnia recollegit. Eodem verò tempore Pandulfus Princeps ad hoc Monasterium veniens præceptum fecit sancto Benedicto de Monasterio sancti Nazarij, quod situm est in territorio ciuitatis Atinæ: cui etiam loco præceptum confirmationis de omnibus pertinentijs eius ad opus huius nostri cœnobij fecit, locumq; ad molendinum faciendum concessit. Sed cum idem Domnus Theobaldus in iam dicta Præpositura annos plus minus quindecim peregisset, ad Abbatiam Monasterij huius,

ordine,

Digitized by Google

ordine, quo supra monstrauimus (Deo fauente) translatus est. Supra caput 42.

CAPVT LII.

HIC itaque à præfato Papa Benedicto, qui eum sacrauerat, consuetudinarium priuilegium sumens, per biennium quo superuixit Imperator Henricus, in omni prosperitate sui honoris degens, plurima hic ornamenta Ecclesiastica acquisiuit. Crucem argenteam ad procedendum diebus dominicis, & duas campanas magnas valde, & pulchras fieri iussit. Altare sancti Gregorij argentea tabula valde pulchri operis decorauit. Fecit etiam, & capsulam argenteam, vbi portionem ligni dominicæ Crucis, quam superius à Leone monacho huc allatam ostendimus, reuerenter locauit. Virgam quoque pastoralem, eum titulo nihilominus argenti, opere pulchro vestiuit. Ecclesiam paruulam in honorem sancti Nicolai iuxta Abbatis cameram, Ecclesiæ Beati Benedicti à Septentrionali parte adiunxit, necnon & aliam nihilominus paruulam Ecclesiolam in honorem sancti Seueri Casinatis Episcopi ædificauit. Muros etiam altos, ac turres duas hinc inde ante atrium Ecclesiæ in modum clausti construxit. Codices quoque nonnullos, quorum hic maxima paupertas vsque ad id temporis erat, describi præcepit.

S. Odilo Abbas.

Per idem tempus Domnus Odilo, vir venerabilis vitæ, ac famæ, Cluniacensis cœnobij Abbas ad hoc Monasterium nimis deuotus aduenit, & ob maximam, quam Beato Patri Benedicto, atque per eum loco isti reuerentiam gerebat, pedes montem totum ascendit. Qui cum de Monasterij more in capitulum ab Abbate, & Fratribus honorifice ductus fuisset, post susceptionem tanti hospitis, verba sollemnia: Sicut audiuimus (inquit vir reuerentissimus) ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, & in ciuitate Dei nostri, & in monte sancto eius. Mox nimis humiliter ad Abbatem conuersus. Donum, ait, à te pater maximum expeto, mihiq;

Psalm 47. vers. 9.

Digitized by Google

hiq; vt sine contradictione aliqua concedatur votis omnibus flagito: volo, inquam, atque desidero omnium Fratrum vestigia deuotissimus osculari. Annuit Theobaldus, licet inuitus, nec reniti deuotioni tam maximæ aliquatenus potuit. Post hæc autem ipso die festiuitatis eiusdem Beatissimi Patris nostri ab eodem Abbate Theobaldo gratia præcipuæ religionis, multis precibus inuitatus missarum solemnia celebrare, nullo modo cogi potuit eo præsente missas publicas agere, cumq; iam paratis sollemniter ad procedendum Fratribus, pastoralem baculum idem noster Abbas reuerenter eius manui obtulisset, longe humiliter ille refugit, dicens: Nequaquam dignum esse se in eius præsentia, huiusmodi virgam gestare, nimis profecto indecens, & contra omne ius esse percensens, quempiam Abbatum manu pastoralem virgam præferre, vbicumque Benedicti Vicarium, cunctorum scilicet Abbatis Abbatum præsentem adesse contingeret. Eo igitur reuerti parante, cum multis illum Fratribus Theobaldus vsque ad ianuas Monasterij prosequens; tandem suppliciter exorauit, vt siquid vnquam posset de Beati Mauri pignoribus, aliquam benedictionem Monasterio isti transmitteret. Quam postulationem, vir venerabilis, valde lætus accipiens, & posse se confidenter respondit, & libenter facturum, vita Comite, repromisit. Sicq; vale dicto recessit.

De sancti Mauri reliquijs.

Post septem porrò annorum vertigines, os integrum brachij Beatissimi Mauri, capsella decenter inclusum argentea, opere pulchro turris instar aptata, per sex sui Monasterij Fratres, huc delegare curauit. Ad cuius aduentum innumerabilis totius terræ istius populi cætus deuote nimis occurrit. Excitatus enim fuerat ad hoc rumore huiusmodi, vt quoniam Beatus Maurus ex longo iam tempore vltra montes transmissus in obedientiam fuerat, modo cum esset reuersus, debere se illi dignissime obuiare. Iam tum prædictus Abbas noster Capuani Principis persecutionem aufugiens in Marchias secesserat, sicut insequenti pleniter ostendemus. Verum vniuersus huius sancti loci conuentus, inæstimabili super hoc iucunditate repletus omnes indumentis sollemnibus induti, cum cereis, ac thimiamatibus plurimis

Digitized by Google

plurimis vsque ad portam veterem, aliquanto extra Monasterij ambitum procedentes, obuiam cum deuotione maxima exierunt: statimq;, ac si viuentem illum in carne conspicere meruissent, omnes pariter in terra procidentes adorauerunt, surgentesq; sanctum illum loculum deuotissime, ac reuerenter cum lacrymis gaudio mixtis omnes exosculati sunt, & cum hymnis, ac laudibus nimis honorificè prosequentes in Monasterium induxerunt, eumq; super magistri sui Benedicti venerabile altarium posuerunt. Quam dissimilis, quamq; diuersa hæc processio receptionis Beatissimi Mauri fuerit ab illa, qua Pater Benedictus cum omni eum congregatione vsque ad ianuam Monasterij prosecutus, vltra montes olim transmiserat, quamuis vtraque plena pijs lacrymis fuerit, deuoto considerandum Lectori relinquimus.

Fuere interea aliqui Fratrum, non quidem ex toto dubitantes, verum certissimi super hoc reddi volentes, qui clanculo prædictum loculum ab inferioribus, vnde argentea clauicula reserabatur, ac claudebatur, aperientes, visis sacrosanctis reliquijs tam sibi, qui viderant, quàm cæteris, qui non videbãt causa certissimæ fidei extitere. Quod cum prioribus relatum fuisset, valde illorum præsumptionem redarguerunt, verentesq; ne illorum deinceps exemplo, dum à pluribus conspici desiderarentur, sanctæ reliquiæ aliquatenus aliquando mutilarentur, diligentissime prædictum claudentes loculum, protinus clauim in frusta comminuerunt, sicq; ex tunc, & deinceps vsque hodie sacer ille loculus clausus, irreseratusq; permansit.

CAPVT LIII.

CIRCA hos dies Hugo vir nobilis, natione Caietanus, ad extrema veniens fecit chartam in hoc Monasterio de medietate Castri, quod Suium vocatur, necnon, & de omnibus omnino rebus, tam quæ sibi in Caieta, quàm in prædicto Suio ex parte parentum competere videbantur. Hoc eodem tempore quidam Aprutij

Oblationes diuersæ.

Digitized by Google

Aprutij Comitatus nobiles, Lupus, & Albertus similiter obtulerunt Beato Benedicto vnam Ecclesiam iuris sui, vocabulo sanctus Laurẽtius, loco, qui Collenori vocatur prope fluuium Salinum, cum omnibus pertinentijs, & rebus eiusdem Ecclesiæ. Sequenti etiam anno Benedictus quidam cũ vxore sua Marenda de castello Montemetulo fecit oblationem suam in hoc Monasterio de Ecclesia sancti Ioannis, quæ sita est in finibus ipsius castri, iuxta fluuium Trinium, cum terra modiorum ducentorum, & septuaginta, vbi ipsa Ecclesia ædificata est, & cum cæteris omnibus rebus ipsius. Similiter quoque presbyter quidam de territorio Bonianensi, Leo nomine, obtulit sancto Benedicto Ecclesiam sancti Christophori de castello Petroso, quam ipse à fundamentis constituxerat, cum vniuersis rebus, & pertinentijs eius. Alius etiam presbyter, Franco nomine, genere Arpinas, chartulam oblationis huic Monasterio fecit de vna Ecclesia sibi pertinente in territorio prædictæ ciuitatis, vocabulo sancta Lucia, cum plurimis circa se terris, & cæteris rebus, ac pertinentijs eius. Sed & Ecclesia sancti Angeli de ciuitate Morrone, quæ sita est super riuum, loco qui dicitur Ioannis Scuteri, simili modo hoc in loco oblata est, cum omnibus suis. Rupertus quoque nobilis quidam Termulensis, obtulit in hoc Monasterio omnes res suas, & curtes, quas in Larino habebat, cum ipsa Ecclesia sanctæ Mariæ de plano, & cum Ecclesia sancti Petri, atque Ecclesia sancti Terentiani intra prædictam Larinum, cum casis, & terris, & ornamentis omnibus, ac pertinentijs earundem Ecclesiarum.

CAPVT LIV.

HIS temporibus Adelmandus presbyter, natione Saxonicus, ob amorem, ac deuotionem Beati Benedicti ad hoc Monasterium veniens, habitum monasticum deuotissimus induens, de causa proprietatis suæ fecit crucem argenteam maiorem septuaginta ferme librarum, eiusq; partem non modicam deauranit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT LV.

IISDEM quoque diebus Paulus quidam, sanctæ postmodum conuersationis vir, ad istud cœnobium venit, atque de manibus prædicti Abbatis monasticæ religionis vestem adeptus, ad Monasterium Beati Benedicti intra Capuanã Vrbem situm, ab eo ad commanendum transmissus est; vbi sub sanctæ professionis disciplinæ, ita feruentissime conuersatus est, vt eius vita prioribus, & religiosis quibusque viris esse posset exemplo: namq; vitæ ipsius exitus docuit, quam omnipotenti Deo eiusdem conuersationis vita placuerit. Cum enim languore correptus ad extrema venisset, nocte ipsa, qua transiturus erat, quidam reuerendæ vitæ Episcopus de Galliarum partibus ad memoriam Beati Michaelis Archangeli in monte Gargano posicam, pergens, in eadem Capuana ciuitate, iuxta Ecclesiam sancti martyris Laurentij fuerat hospitatus, qui cum intempesta nocte surgens, deuote ante prædictam Ecclesiam orationi incumberet, subito ad dexteram Orientis plagam conuertens obtutus, vidit de præfato nostro Monasterio lucem maximam instar solis egressam cœlestia penetrare: cumq; ad visionem ipsam attonitus stuperet, pariter, & exultaret, mox campanæ Monasterij sonitum, qui Fratris obitum de more significaret audiuit, agnouitq; profecto talem ibi aliquem fuisse defunctum, qui in luce, quam viderat peteret cœlum. Statim igitur sanctus Antistes id, quod viderat socijs refert: ēs,è vestigio legatum transmisit ad Monasterium, vt agnosceret, quis ibi ea nocte defunctus fuisset, sibiq; ex nomine nuntiaret, quo facto, decreuit venerabilis Episcopus, Pauli ipsius nomen, sibi quamdiu viueret intra beatorum nomina memorandum. Paulus Monachus.

ADNOTATIO.

Hæc eadem refert de isto Paulo Desiderius Casinensis Abbas lib. 2. Dialog. ante medium.

CA-

Digitized by Google

CAPVT LVI.

HOC tempore præfatus Princeps Pandulfus, qui fuerat Theanenſis Comes, conſtruxit Oratorium Beati Ioannis Baptiſtæ iuxta Eccleſiam prædicti Monaſterij Capuani, ſupra corpus videlicet Ladenolfi Principis, quem ſupra interfectum à Capuanis retulimus, & obtulit in eodem Oratorio ad eiuſdem Monaſterij vtilitatem integram medietatem de curte, quæ nominatur Anglum, cum omnibus omnino pertinentijs eius. Porrò alteram eiuſdem curtis medietatem longe poſt, tempore ſcilicet Deſiderij Abbatis, emit Domnus Benedictus Præpoſitus à Pandulfo Comite, qui cognominatur à Præſenzano, cui pertinere iure hereditario videbatur. Tunc temporis Abbatiſſa quædam, Raimburga nomine, de ciuitate Firmana, obtulit in hoc Monaſterio, Monaſterium ſuum, vocabulo ſancta Maria loco Leuarino, & Eccleſiam ſancti Ioannis de Garzania, & caſtellum de Barbulano cum Eccleſia ſanctæ Mariæ, & ſancti Blaſij, cum omnibus omnino rebus, ac pertinentijs eorumdem locorum. Petrus quoque filius Raynerij de ciuitate Sorana oblationis chartulam fecit huic Monaſterio de Eccleſia ſancti Sylueſtri, quæ conſtructa eſt in territorio Arpinenſi, loco vbi dicitur Valle de Fraſſo, cum vniuerſis pertinentijs, & rebus ipſius. Fecit præterea per hos dies idem Abbas libellum de ſancto Gregorio de Paterno in Comitatu Marſicano Rocconi cuidam, cum omnibus pertinentijs ipſius pro ſolidis ſexaginta, & cenſu annuali piſcibus octingentis. Idem fecit, & de monte, qui dicitur Sabuco ſupra Anlum, pro quo recepit ſolidos quadraginta, & cenſus piſces ducentos. Idem fecit, & filijs Guanengi de terris in Calabretto pro ſolidis ſexaginta, & cenſu ſolidis duodecim. Item ibidem filijs Guillelmi pro ſolidis quadraginta, & cenſu ſolidorum vndecim, & piſces ducentos. Similiter & in territorio Pennenſi fecit de curte, quæ dicitur Bocetula, centum quadraginta, & pro cenſu ſolidorum ſex, necnon & de Eccleſia ſancti Benedicti in Lombardia in fundo Paſturini pro cenſu ſolidorum decem. His diebus Romæ Benedictus octauus Papa defunctus

Anno 1024.

eſt,

Digitized by Google

est, & Ioannes frater eius natione Tusculanus ex Patre Gregorio illi in Pontificatu successit.

CAPVT LVII.

DEFVNCTO igitur augustæ memoriæ Imperatore Henrico, anno Domini millesimo vigesimoquinto, & Conrado Duce, (qui, & Cono dictus est) eiusdem Henrici electione in Regem leuato, precatu Guaimarij, tandem solutus à condignis sibi perpetuo vinculis, Princeps Pandulfus reuertitur: atque totius mansuetudinis, & humilitatis se virum ostendens, ad hoc Monasterium venit, omnemq; amicitiam, & fidelitatem iureiurando repromittens Abbati, quasi patrem, & dominum se illum habiturum deinceps pollicetur. Mox itaque pristinos illos suos fautores de Apulia, vna cum Bolano Catapano Græcos asciscens, Guaimario quoque cognato suo cum Normannis, Rainulfo, & Arnolino Comitibus Marsorum omni conamine adnitentibus, Capuam per annum integrum, atque dimidium obsessam, & expugnatam, tandem ingreditur. Pandulfus autem Theanensis, quem Principem Capuæ factum ab Imperatore prædiximus, receptus in fide à Catapano Bolano vna cum Ioanne filio, & omnibus suis Neapolim est perductus: sed annò sequenti, & ipsa quoque Neapoli à Capuano Principe capta, & Sergio magistro militum exinde pulso, rursum Theanensis Pandulfus à facie ipsius Romam aufugiens, ibidem exul defunctus est: tenuitq; Neapolim Capuanus Princeps per annos fermè tres. De hinc Sergius recuperata Neapoli Rainulfum strenuum virum affinitate sibi coniunxit, & Auersæ illum Comitem faciens, cum socijs Normannis ob odium, & infestationem Principis manere constituit. Tuncq; primum Auersa cœpta est habitari. Anno 1025.

Pandulfus præterea à prioribus suis nequitijs nequaquam deficiens, deq; huius Monasterij deuastatione, quasi pro Imperatoris odio, suæ satisfacere malitiæ ambiens,

Digitized by Google

Theobaldum Abbatem, simulata beneuolentia secum apud Capuam, quasi pro vtriusque securitate remorari rogauit, immò coegit, ita vt iam illum minimè huc redire permitteret: præceptum tamen ei de confirmatione totius Abbatiæ de more Principum fecit. Erat tunc Præpositus in Capuano Monasterio quidam Basilius, genere Calaber, sæculari ingenio vehemens, qui olim apud Episcopium sancti Stephani ministerialis officium gerens, pro eo, quod erat familiarissimus Principi, aduentu Henrici Imperatoris territus, ad hoc Monasterium fugerat. Postmodum verò à prædicto Abbate monachus factus, & in maximo aliquandiu apud eum honore fuerat habitus. Sed cum Princeps reuersus, Capuam, vt diximus, recepisset, eundem *ad se Basilium* euocans, Præposituram ei tradi Capuani Monasterij fecit. Qui nequaquam beneficiorum, quæ sibi Abbas præstiterat memorans, quidquid illi molestiæ poterat, inferebat, & Principis amicitia elatus, ita super chorum Fratrum, quasi alter Abbas ad officium stabat.

CAPVT LVIII.

DANDVLFVS itaque vniuersos Monasterij homines in suam fidelitatem iurare faciens, & vniuersa castella, seu villas eiusdem Monasterij, præter sanctum Germanum, & sanctum Petrum, & sanctum Angelum, & sanctum Georgium; Normannis, qui sibi tunc adhærebant, distribuens: Todinum quendam de Monasterij famulis, nequitiæ suæ complicem eisdem ipsis, quæ Monasterio superesse videbantur præfecit, eumq; apud sanctum Germanum in ipsa Abbatis mansione manere constituit: insuper & Roccam, quæ Vantra dicitur illi contradens ad suam fidelitatem cunctos tam Normannos, quàm cæteros quosque parere præcepit. Iam vero quam pessimus, quamque impius idem Todinus (placere per hoc Principi satagens) in Dei seruos extiterit, in quantam eos, sanctumq; hunc locum penuriam, dedecusq; redegerit, non ex toto referre, etiam si adesset facundia, non valemus. Adeo scilicet (vt ex his pauca perstringam) vt in ipsa sanc-

&c

&æ Dei Genitricis Assumptione, etiam in ministerium altaris vinum eis defuerit. Præterea si quem de monachis ex Monasterio proijcere vellet, quasi dedignans illi hoc dicere, tollebat tantum de loco mensæ iustitiam ipsius, & ponebat in pauimento, vt ex hoc liquido ille valeret causam expulcionis agnoscere, & ex tunc non audebat amplius in Monasterio remorari. Præter cætera autem, villissimos etiam quosque de Monasterij familia laicos in refectorium Fratrum, in quod tunc vsque, nemo laicorum ausus fuerat ingredi ad panem, vinumq; mensis imponendum induxerat. Adeo nihil reliqui tunc monachis erat, quam cum Ieremia in lamentum prorumpere. Serui dominati sunt nostri, nec fuit, qui eriperet nos de manibus eorum. Superat adhuc Domnus Leo ille maior Ecclesiæ custos, qui die quadam refectorium ingressus, cum seruos, quos diximus, ad exequendum id ministerium reperisset, zelo religioso succensus, illos quidem foras cum magno dedecore expulit; ad confratres verò reuersus, quousque tandem, ait, sub tanto nostri ordinis opprobrio, sub tam iniquo, & impio seruorum nostrorum dominio remoramur? sequimini me, & omnes vnanimiter hinc exeuntes, ad Imperatorem vltra montes pergamus, atque nostræ calamitatis lamentabilem historiam referamus. Mox itaq; ad hanc exhortationem omnes pariter animos arrigentes, simul illum sequi cæperunt, quod per nuntium audiens Todinus festinanter nimis ascendit, & iam illos longiuscule à Monasterij porta reperiens, protinus equo desilijt, & ad illorum vestigia corruit, orans, & multis, magnisq; satisfactionibus expostulans, vt dignarentur reuerti, ad eorum libitum se de cætero cuncta pollicens correcturum. Et illi tantam eius satisfactionē, ac pollicitationem conspicientes, vt erant benigno, ac compatienti pectore, sine mora reuersi sunt: parum autem leuaminis, ac consolationis hoc facto adepti sunt. Sed quoniam prędictus Todinus in sua nequitia perdurauit, non post lōgum tempus sub Richerio scilicet Abbate (vindice Deo) à quibusdam nostris captus, & tonsuratus, necnon sacco indutus, & ad cernendam farinam more famulorum in pistrino positus est.

Digitized by Google

CAPVT LIX.

ABBAS interea in Capuano Monasterio quasi Abbas quidem manebat, re autem vera quasi captiuus aliquis, extra vrbem absque custodia progredi nusquam audebat. Quod cum per annos fermè quatuor sustinuisset, clam mandauit Sergio Duci Neapolitano, vt constituto condicto die, cum militibus ad locum designatum veniret, seque reciperet, quod & factum est. Namq; condicto die egressus Capuam, quasi spatiandi gratia vsque ad Ecclesiam sancti Marci, quæ est ad radicem montis sanctæ Agathæ, atque inde paulatim se, ac pedetentim militibus præfatis coniungens, Neapolim abijt, indeq; post dies aliquot in Marchiam est profectus, vbi in prædicto Monasterio sancti Liberatoris, in quo prius Præpositus fuerat, per quinque circiter annos vsque ad obitum est honestissime conuersatus.

CAPVT LX.

PRAETEREA Princeps post dies aliquot cuidam fidelissimo suo, nomine Adelgisio iubet, vt quantocius ad hoc Monasterium veniat, eiq; planetam, & calicem Imperatoris, & nonnulla alia, quæ non recolo, Ecclesiæ præcipua ornamenta, Aquini, & sexti Comitibus in pignore ponenda, perniciter deferat: cumq; ille veniens rem propter quam transmissus fuerat indicasset: aliquanti verò nequaquam retinenda, ne peiora irato Principe experirentur, censebant. Sed cum ille prorsus instaret, Adam, qui tunc Ecclesiæ curam gerebat: Ego, inquit hæc, quæ requiris, nequaquam tibi, neque alicui hominum daturus aliquando sum, sed ea super ipsum Beati Benedicti altarium ponam, inde ille, qui voluerit, aut præsumpserit, auferat. Quod cum fecisset, mox ille præsumptor audacter accessit, & cum iam, iamq; ad altare manus extenderet, mirabile dictu.

Digitized by Google

dictu protinus in faciem corruit, & vehementissima subito Epilepsia, pariterq; paralysi correptus, vniuersis astantibus, mirum, aut potius miserum de se spectaculum præbuit. Et de infirmitate quidem ipsa altera die aliquo modo conualuit, atque sine effectu reuersus ad Principem est, distorto tamen ore, atque oculo vsque ad obitum permanens, cunctis se interrogantibus, qualiter hoc illi contigerit, non sine admiratione audientium maxima, referebat. Princeps verò hoc facto aliquantulum quidem reuerítus est, sed non in longum tempus in mala mente potuit voluntas bona durare. Post non multum etenim tempus iterum præfatum Basilium Præpositum misit, omnemq; huius loci thesaurum per illum ad se asportari præcepit. De Capuano verò Monasterio abstulit tres coronas de argento, & codicem vnum gemmis ornatum, & planetam cetrinam optimam, & tres pannos de altari, & vnum cum albis, alium cum cruce ex frisio, & albis; alterum verò cum aquilis: atque in arce, quàm in monte sanctæ Agathæ, qui Capuæ imminet, paulo ante construxerat, omnia simul condens reposuit. In qua etiam arce innumera diuersarum aliarum Ecclesiarum, necnon viduarum, pupillorumq; spolia, tum dolo, tum violentia capta, coaceruauerat. Sed qualiter à iusto Iudice Deo, pro iam dicto calice, post mortem idem Princeps damnatus sit referam.

Quodam itaque tempore Sergius magister militum, qui Neapolitanæ præerat vrbi, venatum in ipso sancto paschali Sabbato pergens, siluam suis cum pueris, vt apros caperet est ingressus, tensisq; retibus, ad insequendos eos sese cum canibus huc, illucq; vnanimiter omnes per siluam diffunduntur, sed antequam aper à retis laqueo fugiens involueretur, occupatus à venatoribus, confossus, captusq. est. Cum autem hora iam tardior esset, & sol ad occasum vergens, atram vmbram iam penè induceret terris, prædictus magister militum, ne noctis tenebris occuparetur, sumpta quam ceperat venatione, cum omni clientela domum quantocius repedare cepit, vni tantummodo puero Pythagoræ nomine, vt retia colligeret, & se perniciter sequeretur, imperauit. Igitur cum puer, qui relictus fuerat collectis reti-

Digitized by Google

bus, recto calle suum Dominum sequeretur, subito duo mo-
nachi reuerendi admodum vultus ei se in itinere obtule-
runt: cumq. timore exterritus, qui nam essent inquireret:
illi, ne timeas, inquiunt, tantummodo sequere nos. Cum
itaque aliquantulum simul per eandem siluam graderentur,
venerunt ad quendam lacum cœnosum valde, atque horri-
bilem aspectu, ibiq. Pandulfum Capuanum Principem,
(cuius superius memoriam feci, qui non longo ante tem-
pore defunctus fuerat) ferreis nexum vinculis, atque in il-
lius cœno laci ad gulam vsque demersum, ei miserabiliter
ostendunt. Interea duo nigerrimi spiritus, retortas ex agre-
stibus vitibus facientes, per gulam eum ligauerunt, ac in
ipsam lacus profunditatem merserunt, iterumq. sursum
extraxerunt. Cumq. hæc sæpius facerent, prædictus puer
Pythagoras (tremula licet voce) eum alloquitur, vt sibi,
qua de causa talia pateretur, ediceret. Ille verò flens, & eiu-
lans ad verba interrogantis pueri, mox tale responsum
protulit, dicens. Quamuis, ò puer, ex innumeris meis sce-
leribus mihi plurima, & infinita pœna præparata sit, tamen
ob nullam aliam causam hanc, quam cernis patior pœnam,
nisi propter aureum calicem, quem de Monasterio Beati
Benedicti, sacrilega ductus cupiditate abstraxi, eiq. etiam
moriens reddere neglexi. Sed obnixe deprecor, ac per Ie-
sum Christum Dominum, ac Saluatorem omnium, cuius
ego miser præcepta contemnens, in hanc sum voraginem
mortis demersus, te obtestor, vt Capuam ad vxorem
meam, vel ipse pergas, vel nuntium dirigas, qui ei & tor-
menta, quæ patior, & vt calicem Monasterio sancti Benedi-
cti reddat, insinuet. Et ille, quid prodest (inquit) si ei nun-
tiauero, non enim quod te viderim, vel quod talia patiaris,
mihi creditura est. Cui ille respondit: hoc tibi signum ex
mei parte denuntia, quod Pandulfus Gualæ filius calicem
ipsum pro pignore habeat, & vt datis solidis, quos ei de-
buimus reddere, illum recipiat, atque sancti Benedicti Mo-
nasterio omni post posita mora restituat, tibi celeriter, ro-
go, insinuare ne differas. Quibus dictis, visio illa ab oculis
eius ablata est. Puer verò, vt statim domum regressus est,
infirmitate detentus, intra paucos dies defunctus est. Ea
vero,

Digitized by Google

rato, quæ viderat, quæue sibi dicta fuerant, omnibus ad se venientibus patefecit. Pandulfus etiam ipse, qui causa pignoris calicem apud se habebat, hoc ipso tempore, nescio qua de causa, Neapolim pergens, & hæc omnia ex ore ipsius Pythagoræ se audisse mihi retulit, per quem quoque idem Pythagoras vxori illius omnia, quæ de viro eius viderat, vel quæ ipse ei mandauerat Capuæ nuntiauit.

Illa autem sibi potius, quam marito consulens, pretium, quod vir eius accommodauerat reddere nolens, nec calicem recipere, nec Monasterio reddere curauit. Hæc ideirco huic operi inseri curauimus, vt videlicet quicumque hæc audierit pertimescat, & à rapinis huius cœnobij mentem, manusq; compescat, ne & ante mortem sibi pœnitere non liceat, & post mortem parentibus propinquisuè, ea pro quibus ipse à supplicijs liberetur operari non libeat, sicq, fiat, vt pro eis supplicia æterna possideat, quæ Dei timore postposito, in vita positus nullatenus perpetare formidat, & iam veniam non mereatur in vita illa, quam bonis, sanctisq; operibus neglexit promereri in ista.

His diebus anno scilicet Domini millesimo trigesimo primo, beatus Dominicus mirabilium patrator innumerorum, & cœnobiorum fundator multorum, apud Soram campaniæ ciuitatem, iam fermè octogenarius migrauit ad Dominum, & sepultus est in Monasterio Soræ vicino, quod nunc eiusdem vocabulo nuncupatur. S. Dominicus Soranus obijt anno 1031.

ADNOTATIO.

DEsiderius lib. 1. Dialog. conformiter ad ea, quæ Leo in hoc capite de Pandulfo narrat, hæc scribit: Pandulfus Capuanus Princeps vir potentissimus, ac ditissimus fuit, qui latrocinando, humanum sanguinem fundendo, ciuitates & oppida, ac aliorum prædia circumcirca manentium crudeliter auferens, suo subdidit dominatui: quique stupra, cædes, rapinas, distractiones bonorum Ecclesiarum, multa per tempora absque vlla miseratione insatiabiliter exercuit: Igitur cum plurimas opes Christi Ecclesiis diripiens abstulisset, omnia castra, villas, ac prædia huius Monasterij cupi-

Digitized by Google

ditate ductus sacrilega, abstulit: ita vt nec vnum rusticum, qui rura coleret, vel rura, quæ à rustico colerentur, monachis reliquisset. Insuper etiam omnem thesaurum huius Monasterij auferens, asportauit: ac in arce, quam non longe à Capuana vrbe in monte, qui sancta Agathæ martyris dicitur, construxerat, in qua multa spolia orphanorum, viduarum, & Ecclesiarum, ac pauperum intulerat, condens, reposuit. Deinde agit de damnatione Pandulfi, vt supra.

Aduertat autem prudens Lector, ea quæ de damnatione Pandulfi hoc in loco scribit Leo, esse per anticipationem ab eo hic posita: nam vt ex sequentibus apparet, diù post hæc vixit Pandulfus, ac Monasterio Cassinensi semper infestus, ac molestus fuit. vide cap. 65. 69. 75. 80 & 83.

De sancto Dominico Sorano.

Sanctus Dominicus, de quo hic agit Leo, fuit monachus Cassinensis, & Abbas Monasterij prope Soram campaniæ ciuitatem, vnde & cognomen accepit. Qui vt habetur infra lib. 3. cap. 39. Monasterium sancti Petri de Auellana ædificauit, necnon, & aliud Monasterium in loco, qui dicitur Pratum cardosum in Comitatu Valuensi. Eius vitam descripsit Albericus Diaconus, vt habetur eodem libro cap. 35. Descriptus habetur in Martyrologio Romano die vigesima secunda Ianuarij, in hæc verba. Soræ sancti Dominici Abbatis miraculis clari. Videatur ibi Cardinalis Baronius.

CAPVT LXI.

IVNCTA temporis constructa est Ecclesia à Fratribus huius Monasterij intra Caietanam ciuitatem in honore sanctæ virginis Christi Scholasticæ, iuxta veterem, quæ inibi fuerat, nominis eiusdem Ecclesiam, quæ videlicet largitione bonæ memoriæ Domni Stephani eiusdem ciuitatis Episcopi, ideò illis fuerat olim concessa, vt si quando gratia emendi aliquid inibi eos proficisci contingeret, proprium, vbi hospitarentur, locum haberent.

Miraculum.

Ibi ergo quale, quantumq; miraculum per merita Beati Benedicti Deus effecerit ad Dei gloriam enarrare decreuimus.

Digitized by Google

mus. Cum enim die quadam, quidam ex operarijs de monte proximo, qui mari imminet, petras, quibus Ecclesiæ ipsius parietes fabricarentur, excinderet: subito ferrum illud quo operabatur, de manubrio exiens, præceps in maris voraginem decidit. Quo Fratres per eumdem, cui contigerat agnito, aliud pro illo malleum, quo instanter cęptum opus perficeretur, fieri mox decernunt. Cum repente vnus eorum fide feruentior: nequaquam, ait, sed omnes simul fiducialiter ad locum, quo ferrum decidit accedamus, manubrium in aquam mittamus, miraculumq; quod in Gothi falcastro Pater Benedictus exhibuit, in malleo etiam per eundem patrem mox fieri in dubiè præstolemus. Quid plura? Inspiratione diuina placet consilium omnibus, & descendentes ad mare, nauiculam omnes ascendunt, sinumq; gyrantes, ad locum, quo ferrum deciderat veniunt; in quo loco quamuis nimiam profunditatem aquarum inesse conspicerent, nihil tamen impossibile Deo esse credentes, & de meritis Beati Patris benedicti nihilominus præsumentes, manubrium in mare fideliter mittunt, moxq; diuino imperio ferrum idem ad manubrium suum reuersum, non sine maxima multorum admiratione, recipiunt.

Per idem tempus defuncto Roma supranominato Papa Ioanne, Benedictus nepos illius, natione Tusculanus, ex Patre Alberico patritio, in Apostolicam sedem Pontifex ordinatur. Anno 1032.

CAPVT LXII.

PRAEFATVS autem Abbas senex, iam & plenus dierum apud iam dictum sancti Liberatoris Monasterium, tertio nonas Iunij defunctus est, ibidemq; honorabili sepultura locatus. Quo defuncto, monachi quidem nullam electionem absque Principis nutu facere præsumebant. Princeps verò iam dudum prædicto Basilio dare Abbatiam decreuerat, non tamen absque Fratrum consensu, licet iniquus, & impius, agere id volebat. Erat etiam alter in hoc Monaste-

Digitized by Google

Monasterio quidam Frater Antonius nomine, genere Capuanus, litteris, vtcumq; imbutus. Hunc itaque Princeps Capuam ire iubet, nam & ipsi quoque eandem olim repromiserat Abbatiam. Cumq; per dies plurimos sæpe huiusmodi vtrumque suspenderet, & iam ferè annus euolueretur: tandem aliquando Antonium præficere dissuasus, quoniam iurare sibi nullatenus adquiescebat, Basilium eligere complacet. Mandat igitur ille summus Archimandrita, vt aliquot de huius loci prioribus ad eum Capuam pergant, quatenus eorum consilio Abbatem illis constituat. Ieum est, & in palatio eius prædictus Abbas electus, idemq; ad Monasterium eiusdem ciuitatis est cum laude transmissus, præbito prius suis manibus, satis turpiter, Principi sacramento, vt vltra viginti solidos per annum, de rebus Monasterij, omnibus ei traditis, nil retineret.

CAPVT LXIII.

BASILIVS Abbas trigesimustertius, sedit annis duobus. Hic indigne quidem, ac sæculariter ordinatus, sed longè indignius, ac turpius quamdiù præfuit conuersatus; non enim quasi tanti Monasterij Abbas, sed quasi quidam procurator causarum Principis existebat; ita vt ab ordinatione sua vsque ad quinque circiter continuos menses Capuæ remoratus, in seruitio potius Principis, quam in cura studuerit monachorum. Enimuero quoties illum huc venire aliqua necessitas cogeret, quoniam Todinus Abbatis deorsum curiam, vt supra diximus, obtinebat, nequaquam sibi illic remorari dabatur, sed quasi quidam alter extraneus hic ascendens, & hic etiam in nulla à Fratribus reuerentia, in nulla solita Abbatibus honorificentia habebatur, nisi quantum ipse ab inuitis; atque nolentibus extorquebat. Sub hoc Abbate Alferius, & Stephanus presbyteri de oppido Mutelanensi obtulerunt huic Monasterio vnam Ecclesiam iuris sui, vocabulo sanctus Bartholomæus, prope prædictum oppidum, cum vna domo sua, & cum omnibus

Digitized by Google

bus eiusdem Ecclesiæ rebus, & pertinentijs. Hic fecit libellum de castello, quod dicitur Petra fracida, cum pertinentijs eius quibusdam Termulensibus, pro quo recepit solidos mille ducentos, pro censu vero solidos quadraginta,

CAPVT LXIV.

CVM autem iam Deus omnipotens tantis iniquitatibus, tantisq; huius sancti loci direptionibus decerneret modum imponere, & orationes, ac gemitus seruorum Dei, orphanorumq; ac viduarum, & pauperum singultus, ac lacrymæ à maxilla, in cœlum intra ipsum exauditionis sacrarium essent ad missæ, Anno diuinæ incarnationis millesimo tricesimooctauo, Conradus Imperator cum valido nimis exercitu, transitis Alpibus, Italiam intrauit, venitq; Mediolanum (namq. eiusdem Ciuitatis Archiepiscopo vehementer erat infensus) Ibi de nostri Monasterij prioribus aliquot, qui ad eum vltra montes proclamationis gratia iam dudum perrexerant, illum adeuntes, vniuersa, quę per tot annos à Pandulfo mala pertulerant, fidelibus ei querimonijs denuò retulerunt, orantes, ac supplicantes, vt tandem dignaretur venire, ac Beati Benedicti cœnobium, quod carenus sui antecessores sub sua tutela reuerenter nimis habuerant, de tanti tyranni manibus dignaretur eripere. Quorum Imperator querimonijs, ac precibus, vt erat valde pijssimus, inclinatus, Romam concitus venit, vbi etiam innumerabilium aliorum, tam videlicet Ecclesiasticorum, quam reliqui ordinis virorum, innumeras super Pandulfo querelas accepit. Habito itaque cum magnatibus suis cõsilio, Deumq. timentium virorum adhortatione commonitus, strenuos aliquot à latere suo Principi Capuam destinauit viros: mandans, vt nisi indignationem suam vellet protinus experiri, ante omnia Monasterio Cassinensi vniuersa, quæ abstulit bona restituat, captiuos cuiuscumque ordinis, seu generis viros statim dimittat, bona vnicuique sua sine diminutione aliqua celeriter reddat. Legati igitur Imperatoris Anno 1038.

Digitized by Google

ratoris Capuam adeunt, atque cum Pandulfo multis frustrà sermonibus habitis, ad Imperatorem sine effectu aliquo reuertuntur; indurauerat enim cor eius Dominus, vt quondam indurauerat Pharaonis, vt quod spontaneus contempserat, inuitus facere cogeretur. Imperator autem cernens se à Pandulfo contemptum, ira succensus, sumpto exercitu venit Casinum, cuius ministri, qui præmissi de more fuerant, ad apparatum regium exigendum, cum Monasterij curiam introissent, præfatus Todinus valde perterritus clãculo intra homines exijt, & festinanter Roccam properans aufugit, quod cum Fratribus sursum fuisset relatum, in medium se proripiens vnus ex prioribus Otto nomine. Tempus (inquit) Fratres tacendi pertransijt, & loquendi tempus aduenit. Ecce illuxit dies reparationis nostræ, descendamus igitur, & regijs ministris, quæ sunt necessaria coaptemus. Quo facto, honorifice satis, quantum ad illos, Imperator receptus, & hospitatus; die altero cum vxore pariter, & nuru sua, Beato Benedicto, ac Fratribus se commendaturus, ascendit ad Monasterium. Quem cum Fratres multa honorificentia gratulantissime suscepissent, post orationem illos allocuturus capitulum est ingressus. Quo residente omnes simul monachi consurgentes ante eius se faciem prostrauerunt, surgentesq; . Ita vos (inquiunt omnes pariter) expectauimus, ita faciem vestram contemplari desiderauimus, ita denique vestrum præstolati aduentum sumus; vt iustorum animæ in inferno redemptoris aduentum præstolasse noscuntur. Adhæc lacrymis Imperatore suffuso, omnes iterum in faciem corruunt, ac demum surgentes, quæ & quanta à Pandulfi reuersione, per duodecim circiter annos, mala perpessi fuerint, ordine referunt, vtq; tantis calamitatibus finem dignetur imponere, per Deum, & per Beatum Benedictum obtestantes exposcunt. Tunc Imperator iureiurando affirmans, se ob eam præcipuè causam ad has partes transisse, seq; locum hunc ex toto corde suo honoraturum, ac protecturum quamdiù viueret deuotissime pollicens: Iubet demum, vt duodecim ex eis ad se Capuam pergant, vbi quicquid super hoc negotio agendum sit, illorum consilio peragat, sicq; petita benedictione Capuam

Ab anno videlicet 1026 vsq; ad præsẽs.

est

Digitized by Google

est profectus, vt Beati Benedicti cœnobium de seruitute nequissimi Principis liberaret, ac deuotissime se illorum orationi commendans, posuit super altarium Beati Benedicti coopertorium purpureum valde pretiosum aureo friso ad mensuram palmi, in circuitu pulcherrimè adornatum.

Interea Pandulfus capuæ Augustũ præstolare minime ausus, vna cum prædicto Abbate suo, in Roccam sanctæ Agathæ, quam summo studio, vndique communierat arrepta fuga se contulit. Imperator verò Capuam in ipsis vigilijs sanctæ Pentheccostes intrauit. Altera die ciuitatem egressus apud Capuam veterem tentoria figit. Adsunt & monachi rogantes, vt opere compleat, quæ promisit. Abbatem sibi ante omnia constitui postulantes: ad quos Imperator ex consilio, non est meum hoc, inquit, vos eligite vnum ex vestris. Respondentibus non se habere idoneum, neque esse congruum in tantis perturbationibus, in tanta domo, aliquem sine magno vigore, & potentia ordinari, & idcirco de suis magnum aliquem illis oportere præficere, Imperator in priori sententia perdurans, nequaquam, ait, sed de congregatione vestra sicut sancti Benedicti regula præcipit, idoneum vobis Abbatem eligite. Illi verò nihilominus in petitione pristina permanentes, Augustæ etiam suffragijs fulti, Richerium tandem, qui tunc Leodiensem Abbatiam regebat, in Abbatem sibi dari expostulant. Super quo Imperator valde mæstificatus, erat enim sibi nimium charus, & in oĩbus suis negotijs vtilissimus, quamuis primo negare satis institerit, victus demum monachorũ, vel ratione, vel precibus, acquieuit: eumq; aduocatum, licet plurimum flentẽ, ac repugnantem in Abbatem eligendum Fratribus tradidit.

Pandulfus interea mandauit per necessarios, Imperatori veniam postulans, trecentas auri libras pollicens se daturum, si eius veniam cum gratia mereatur; cuius quidem auri medietatem ad præsens dare, pro medietate verò altera filiam, & nepotem obsides transmittere spondet. Annuit Imperator, ille pecuniam delegat, & obsides. Quo facto, Pandulfum facti protinus pœnitet, & existimans se ciuitatem, recedente Augusto, facile posse recipere, reliquum auri mittere denegat. Imperator itaque consilio tam

cum

Digitized by Google

cum ſuis, quàm cum Capuanis magnatibus habito, Guaimario Salernitano Principi Capuani tradidit Principatus honorem. Rainulfum quoque ipſius Guaimarij ſuggeſtione de Comitatu Auerſano inueſtiuit, Adenulfum etiam Capuanum Archiepiſcopum, quem peſſimus Pandulfus carceri manciparuerat ſedi ſuæ reſtituit, eiſq; Richerium Abbatem, vniuerſamq; cauſam Monaſterij noſtri multum commendans, vt ſua hunc vice tueri, & procurare deberent, Pandulfi ſecum obſides ferens, Beneuentum perrexit, indeque vltra montes poſt dies non plurimos per Marchias repedauit, atque poſt non integrum annum defunctus, Henrico filio reliquit Imperium.

Eodem tempore Guaimarius Normānis fauentibus Surrentum cepit, & fratri ſuo Guidoni contulit. Amalfim nihilominus dominatui ſuo ſubdidit.

Interea Pandulfus relicto in præfata Rocca, ad expugnandam quoquomodo poſſet Capuam, filio, ipſe cum Baſilio ſuo, Conſtantinopolim adijt ad Imperatorem cauſa adiutorij, ſiue pecuniæ. Cui Imperator non ſolum nil adiutorij contulit, verum etiam à nuntijs Guaimarij præmonitus, eum in exilium miſit, vbi miſer per duos, & eo amplius annos, vſque ad mortem videlicet Imperatoris, remoratus, tandem relaxatus, ac ſine effectu aliquo reuerſus eſt.

ADNOTATIO.

EA, quę Leo de aduentu Imperatoris in Italiam, & de his, quę circa Pandulfum Capuanum Principem acta fuiſſe commemorat: referuntur etiam à Deſiderio Abbate Caſſinenſi lib. 1. Dial. Deinde paulo inferius refert de Pādulfi damnatione ea, quæ Leo retulit ſupra hoc eodem lib. cap. 60.

CAPVT LXV.

HIS diebus, cum à principio ferè Maij menſis vſque ad quintum diem ante Kalendas Auguſti, vix vel tenuiter pluuialis imber arua rigaſſet, die qua diximus, ruſticus quidam in vicinia Monaſterij

sterij commanens, postquam segetes agelli sui, quem iuxta radicem montis habuerat, messuit, mox stipulis, quæ remanserant ignem suppossuit: repentè igitur flamma paulatim succrescens, non iam contenta tantummodo paleis, sed obuiantia quæq; & ipsam siluam deuorare perniciter cepit. Itaq; contiguus Monasterio ignis, non dubium illi imminentis incendij ostendebat exitium. Cum ecce superna omnipotentis misericordia, Benedicti Patris precibus inclinata, de supernis cœlorum super hunc locum respexit, & exilem prorsus nubeculam in immensa aeris vastitate creatam cum largissima imbrium inundatione super totius Monasterij ambitum insperate produxit; cuius quidem fluenta, non modo voracis incendij flammas restinxerunt, sed & vniuersi huius sancti loci circuitum abundanter, ac copiosè rigauerunt. Mira omnipotentia creatoris, vt patenter ostenderet nubem illam ad solam huius loci venerabilis creasse liberationem, cum tota vndique cœli orbita serenitate continua rutilaret, ita se ad Monasterij mensuram eadem nubes cohibuit, vt quæq; adiacentia vbertim perfunderet, finitima verò non attingeret. Rusticus itaque, qui tanti mali, licet ignarus, auctor extiterat, vt Monasterio ignem propinquare conspexit, amarissime lamentans, & pœnitens, statim descendit, & sola conscientia torquente, ac pertrahente, sponte se carceri publico condemnauit. Quod Abbas, & Fratres altius, & religiosius perpendentes, & illum quidem illæsum abire fiuerunt, & misericordi Domino, pro tanti loci liberatione, gratias innumeras reddiderunt.

Eodem quoque tempore, dum piscatores huius Monasterij retia in mare, quo pisces ad refectionem Fratrum caperent, misissent: Normannus quidam mente tumidus, ac inflatus superbia, furibundo spiritu superuenit, & vt sunt ad rapinam auidi, ad inuadenda aliena bona in explebiliter anxij, comprehensum vnum ex piscatoribus, vestimentum ei, quo erat indutus, abstraxit, sibiq; mox induit, deinde nauiculam ingressus, piscatorem cogere cœpit, vt retia ex alto educeret, quatenus pisces, qui in ea inuenti essent, secum abstrahens deportaret. Cumq; piscator renueret, &

pisces

piſces ad Monachorum, non ad Normannorum refectionem capere velle ſe diceret, valde cæſus ab eodem Normanno in mare proiectus eſt. Cum verò iſdem Normannus piſcium præda auidus, retia ex alto per ſemetipſum abſtraheret; ſubito in mare ex nauicula cecidit, atque interclusus ab æquore ſpiritum exhalauit. Sed mirabile dictu, ante illum vnda mortuum proiecit in littore, quam piſcator, qui ab eo proiectus in aquas fuerat, viuus natando venire potuiſſet.

ADNOTATIO.

Petrus Damiani. Deſiderius Abbas.

PRimum miraculum relatum in hoc capite refertur etiam à Petro Damiani, ſermone habito in vigilia ſancti Benedicti: necnon à Deſiderio Caſſinenſi Abbate lib. 2. Dialogorum, vbi aſſerit fuiſſe prius ſcriptum à venerabili Petro Oſtienſi Epiſcopo, in ſermone quem in vigilijs Beati Patris Benedicti legendum luculentiſſimè compoſuit. Illud autem de Normanno, & piſcatoribus refertur etiam ab eodem Deſiderio lib. 1. Dialog.

CAPVT LXVI.

Electus anno 1038.

RICHERIVS natione Bauarus triceſimoquarto ordine Abbatiam huius loci ſortitus, ſedit annis decem & ſeptem, menſibus ſex. Huic Conradus Imperator anno Domini milleſimo trigeſimooctauo, quo Abbas ordinatus eſt, per preces Giſlæ coniungis ſuæ, & Henrici filij, necnon & Cadeloi Epiſcopi, atque Cancellarij ſui, apud Beneuentum præceptum aureo ſigillo bullatum, iuxta morem Priorum Auguſtorum, de vniuerſis Monaſterij pertinentijs fecit. Sed & Benedictus Papa nonus priuilegium nihilominus illi ſecundum Romanorum Pontificum conſuetudinem ſcripſit. Eodem tempore Guaimarius Princeps fecit præceptum Beato Benedicto cum aurea bulla de vniuerſis Monaſterij pertinentijs, ſpecialiter autem de ſancto Vrbano, & Vicalbo,

Digitized by Google

Vieálbo, & decima parte totius ciuitatis Atinæ, de alueo quoque Carnello, qui fluit circa Insulam cognomento Limatam, centum videlicet passus super eandem Insulam, & centum inferius, cum ripis, & limitibus vtriusque partis. Alio etiam præcepto concessit in hoc Monasterio Ecclesiam sancti Nicolai apud Amalphim, cum vniuersis possessionibus suis; necnon & alij eiusdem ciuitatis nobiles Ecclesiam sanctæ Crucis, cum omnibus rebus suis huic Monasterio obtulerunt. Hoc tempore Nantarus quidam Sacerdos, & monachus de Venafro, obtulit in hoc Monasterio Ecclesiam sancti Nazarij, quam idem nuper à fundamentis constructerat in ipso colliculo de Peperuzzo super riuum decentesimo. In qua videlicet Ecclesia cum nonnullos Fratres ad Dei seruitium aggregasset, & codices aliquot, necnon & ornamenta Ecclesiastica, cum non paruis terrarum possessionibus inibi acquisitis, eorum omnium consensu, eãdem Ecclesiam cum omnibus omnino pertinentijs eius huic cœnobio contulit. Hieroinus quoque ciuis Draconarien sis, & Ioannes presbyter obtulerunt in hoc Monasterio Ecclesiam sancti Nicolai, sitam iuxta eandem ciuitatem, cum omnibus mobilibus sibi pertinentibus. Ioannes etiam Comes, qui cognominatus est Scinthus per chartam oblationis contulit Beato Benedicto Monasterium sancti Nicolai, quod situm est in pertinentia Pontiscurui, in pede montis, qui dicitur sancti Leucij, prope castellum Pico: necnon & aliam Ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ non longe à prædicto Monasterio sita est, cum omnibus ex integro rebus, & possessionibus, ac pertinentijs earundem Ecclesiarum. Fecit etiam cum supradicto Abbate commutationem, confirmans in hoc loco Monasterium sancti Sabini, quod adiacet rupi præfati montis sancti Leuci, cum vniuersis pertinentijs de rebus ipsius: recipiens verò vnam curtem in pertinentia Capuæ, loco, qui vocatur Baniolum, quam videlicet curtẽ ipsemet Ioannes antea in hoc Monasterio donauerat.

Hic Abbas fecit libellum Berardo Comiti Marsorum de sancto Saluatore in Auezzano pro censu trecentorum piscium. Adelferius quoque Comes de Beneuentano Principatu, fecit Beato Benedicto chartam oblationis de

Monasterio sancti Eustasij, quod nuncupatur de Pantasia, constructum prope castellum sancti Iuliani, cum quatuor Ecclesijs sibi subiectis, & cum vniuersis rebus, ac pertinentijs ipsius. Id ipsum fecerunt Ioannes, & Ademarius Comites de ciuitate Moronæ de Ecclesia sancti Angeli, sita intra eãdem ciuitatem super ipsam portam maiorem. Sed & Petrus quidam Abbas de eadem ciuitate similiter fecit de Ecclesia sancti Ioannis, quæ est constructa in loco, qui dicitur Serra maior, cum alia Ecclesia sancti Bartholomæi, & cum omnibus earundem Ecclesiarum possessionibus. Ragenaldus quoque, & Leo Presbyteri Aquinensis ciuitatis, pari modo obtulerunt Beato Benedicto Ecclesiam sanctæ Barbaræ, & duas casas suas, cum omnibus rebus Ecclesiæ ipsius, quæ sita est prope prædictam ciuitatem, in loco, vbi dicitur Caput de ripa. Similiter & Stephanus presbyter eiusdem ciuitatis fecit de sancta Maria de Gualdo, loco, qui dicitur Vrsitrude. Lando etiam ipsius ciuitatis id ipsum fecit de Ecclesia sancti Stephani, quam ipsemet in proprio iure suo à fundamentis construxerat intra eandem ciuitatem, iuxta portam, quæ est prope ipsam fistulam. Idem fecit & Bonifacius Iudex eiusdem ciuitatis de Ecclesia sancti Nicolai de Insula, cum omnibus sibi pertinentibus in toto Comitatu Aquinensi. Pari etiam modo oblata est in hoc Monasterio Ecclesia Domini Saluatoris apud castrum, quod vocatur Vicalbum, cum omnibus pertinentibus sibi. Necnon & Ecclesia sancti Blasij in territorio Marsicano, in monte, qui dicitur Sabuco, cum cæteris etiam pertinentijs suis.

CAPVT LXVII.

PER idem tempus Dux Moniacus ab Imperatore Cõstantinopolitano cum exercitu ad debellandos Saracenos in Siciliam transmissus, cum Apuliæ, atque Calabriæ milites in auxilium asciuisset, ad Guaimarium quoque Legatos direxit, exorans, vt Normannorum illi suffragium

gium mitteret. Qui eius precibus annuens Gulielmum, Draconem, & Hunifridum Tancredi filios, qui nouiter à Normannia venerant, cum trecentis alijs Normannis illi in auxilium misit. Cumq; maxima iam pars Siciliæ recepta esset, & Syracusana ciuitas capta, à sene quodam præfato Duci mausoleum sanctæ virginis Luciæ proditum, eiusq; sacrum corpus inde sublatum, & in argentea theca, cum omni reuerentia positum, Constantinopolim est transmissum. Sed post paululum in sua reuertentibus Græcis, atque Normannis, mox Saraceni cuncta, quæ amiserant receperunt. Præfato itaque Moniaco, eo quod ad Imperium aspirasset pessime trucidato, alius in Apuliam Catapanus, nomine Ducaliano, ab Imperatore transmittitur.

Huic Arduinus quidam Lombardus, de famulis scilicet sancti Ambrosij, aurum non modicum offerens, candidati ab illo honore donatus, & nonnullis Apuliæ ciuitatibus Prælatus est. Hic in superiori expeditione apud Siciliam, cum Saracenum quendam strauisset, eiusq; insignem equum victor cepisset; cumq; à supradicto Moniaco idem equus expetitus, & ab Arduino constanter illi negatus fuisset, cum vi tandem, atque dedecore equus illi sublatus est. Huius autem iniuriæ Arduinus ex tunc, aptum retributionis tempus patientia dolosa expectans, & tandem inuenisse se putans, omni conamine Græcis molitur insidias. Orationis igitur gratia Romam ire se simulans, Auersam venit, & Rainulfo Comiti causam suam aperiens, ad vniuersam Apuliam se duce facilè acquirendam animum illius accendit; effeminatos prorsus, atque remissos asserens Græcos; terram opulentissimam, se iam, & numero multos, & armis insignes, angusti tamen vnius oppiduli penurijs, vsque ad id tempus, non sine iniuria sui contentos. Placet consilium, adhortatio comprobatur, & id protinus aggrediendum, consilio vnanimi definitur. Mox idem Comes duodecim de suis Capitaneos eligit; & vt æqualiter inter se acquirenda cuncta diuiderent præcipit, Arduino de omnibus medietatem concedendam disponit, idq; ad inuicem sacramento firmato, trecentos numero milites eis adhibuit.

His ita dispositis, anno vtique Dominicæ natiuitatis mil-

Digitized by Google

Anno 1061. lesimo quadragesimoprimo, quo videlicet anno dies paschalis Sabbati ipso die festiuitatis sancti Benedicti venit; Arduino Duce Melphiam primitus, quæ caput, & ianua totius videtur Apuliæ, adeunt, eoque interueniente, ac mediante, sine aliqua illam controuersia capiunt. Inde Venusiam, inde Asculum, inde Labellum viriliter occuparunt. Mittitur interea Constantinopolim de præsenti calamitate relatio, remittitur Ducaliano ad Normannorum exterminationem maximus Græcorum exercitus: tandem condicto die, ac loco iuxta fluuium scilicet oliuentum conuenitur in pugnam: mandatum autem fuerat Græcis, vt Normannorum partem occiderent, partem Imperatori legandam, vinculis manciparent. Sed ò superbia Deo semper inuisa, ex omnibus, qui semel, & bis ad eos missi sunt nemo fere remansit. Dux cum paucis aufugiens euentum belli Imperatori rescribit.

Perturbatus Imperator iterum Ducaliano potiorem delegat exercitum. Normanni interea, vt incolarum ad se animos inclinarent, Adenulfum Beneuentani Principis fratrem sibi Ducem constituunt: rursumq; conuenientes in prælium, Græcos euentu mirabili sternunt. Fluuium namque, qui Aufidus dicitur, cum in ipso belli præcinctu, pene siccum Græci transissent, ita Dei iudicio redundantem, ripasq; transgredientem fugientes reperiunt, vt plures fuerint aquis absorpti, quam gladijs interempti. Normanni Castris, & spolijs maximis Græcorum potiti ditescunt. De hinc Imperator his auditis ira succensus, pulso Ducaliano, Exaugustum nomine quendam vice illius cum Normannis dirigit congressurum, Guaranorum illi, & aliorum Barbarorum copiam socians. Cur pluribus? Iterum in pugnam circa montem cui Pilosо nomen est vtrimque concurritur. Tandem ruentibus Guaranis, cadentibus Calabris, fugientibus, qui euaserant Græcis, Exaugustus capitur, Normanni victores, & alacres reuertuntur. De hinc habito consilio, Græcorum Ducem Duci suo contradunt. Quo ille accepto sperans se multis ab eo diuitijs locupletandum, relictis Normannis Beneuentum reuersus est, eumq; non parua pecunia vendidit. Normanni autem Argiro Meli supradicti

Digitized by Google

pradicti filium sibi præficientes, cæteras Apuliæ ciuitates partim vi capiunt, partim sibi tributarias faciunt.

Post hæc Gulielmo Tancredi filio Comitatus honorem tradentes, ad Guaimarium omnes conueniunt, eumq; pariter cum Rainulfo Auersano Comite ad diuisionem terræ, vel acquisitæ, vel acquirendæ venire Melphim inuitant. Primo igitur eidem Rainulfo Domino suo Sipontinam ciuitatem, cum adiacente Gargano, necnon pertinentibus sibi oppidis omnibus, honoris causa concedunt: de hinc cætera ad illorum placitum inter se diuidunt. Statuunt itaque Gulielmo Asculum, Draconi Venusiam, Arnolino Labellum, Hugoni Autaboni Monopolim, Petro Tranim, Gualterio Ciuitatem, Rodulfo Cannini, Tristaino Montempilosum, Herueo Trigentum, Ascilittino Acerentiam, Rodulfo sanctum Archangelum, Rainfrido Monorbinum. Arduino autem iuxta quod iurauerant parte sua contradita, Melphim primam illorum sedem communiter possidere decernunt. Hoc itaque modo à Normannis acquisita Apulia est.

Mortuo igitur Comite illorum Gulielmo, Frater illius Draco illi successit, & isto quoque occiso, Hunfridus defunctorum frater Comes effectus est, atque post eum Robertus, qui, & Guiscardus dictus est: qui non sola contentus Apulia, Calabriam quoque totam, & vniuersam sibi subiugauit Siciliam, sicut insequentibus ostendemus. Robertus Guiscardus.

Apud Auersam autem defuncto Rainulfo successit ei Ascilittinus, qui cognominatus est Comes iuuenis, de hinc Rodulfus cognomento Coppellus. Quo ab Auersanis expulso, Raidulfus Trindi Comes effectus est: & isto quoque mortuo Riebardum filium Ascilittini (qui tunc apud Apuliam in Draconis militia consistebat, cui etiam idem Draco suam sororem coniunxerat) Auersani sibi Comitem statuerunt. Et hic etiam qualiter Capuanum Principatum adeptus sit, congruenti loco monstrabitur. Iam nunc ad nostri Abbatis seriem redeamus.

Digitized by Google

CAPVT LXVIII.

CONRADO igitur ab Italia recedente, non multo post Guaimarium Principem Abbas cum exercitu aduocat, & ad oppugnandam, seu recolligendam Roccam superius dictam, qua potest instantia properat. Quam cum per trium mensium spatium obsedissent, & Guaimarius tam priuatim, quàm publice machinaretur eandem Roccam de Bantra Theanensibus Comitibus reddere: quidam de primoribus einsdem arcis fideles nostri Monasterij hoc perscientes, per Theutonem tunc Præpositum cum Abbate pacisc untur, vt si se vna cum præfato Todino in sua vellet fide recipere, & sua tantum sibi, quæ ante Imperatoris aduentum, & Todinus in castello sancti Heliæ, & ipsi in oppido, quod Pinlatarium nuncupatur hereditatis iure possederant, reddere, Roccam illi sine aliqua mora contraderent. Libentissime id ab vtrisque factum est, & in ipsis vigilijs assumptionis sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ipsa Rocca de Bantra à nostris recepta est.

Interea cum, & Aquinenses Comites, & Comites de Sexto Pãdulfi parti pro posse fauerent, Laidulfus Theanensis Comes Adenulfum, qui postea Dux Caietæ fuit, fratrem Landonis Comitis Aquinensis, cum alijs non paucis apud Theanum captum, in Guaimarij Principis captionem tradidit. Vnde Aquinenses Comites vehementer irati, aggregato tam Normannorum, quàm nostratium non paruo exercitu, super Theanum pergere disponebant, sed obsistente illis Abbate, fluuium transire nequibant. Cumq; in Cassini campo per quindecim fere dies hac de causa hostiliter resedissent; in auxilium quoque Abbatis nonnulli milites apud sanctum Germanum commorarentur, ipso die calendarum Maiarum consilio habito, Ceruarium oppidum expugnatum iri aggressi, secum pariter Abbatem ire precati sunt; sed cum nihil ibi agere potuissent, ab inde reuertentes subito prædicti aduersarij conspiciunt, & vado fluminis, quod per tot dies inuenire nequiuerant, extemplo reperto,

perto, à loco, qui nunc pons ligneus appellatur, præcipiter transeuntes, Abbatem protinus capiunt, eiusq; socijs partim captis, partim fugatis, nonnullos interimunt. Landulfus verò Theanensis Comes. qui hora eadem in Abbatis seruitium venerat, euentum rei conspiciens, valde perterritus, ita vt armatus erat, mox ad Monasterium ascendit, vt se in fide sua reciperent, & Aquinensibus Comitibus non traderent precari, & obtestari monachos cœpit. Cumq; nihil timere illi suasum fuisset à Fratribus: mandant è vestigio Aquinenses ad Monasterium, vt si eundem Landulfum eis contradere vellent, ipsi protinus Abbatem illis, eum omni honore remitterent. Fratres autem ab Abbate commoniti, nullo vnquam pacto id se facturos renuntiant, potius se omnem Monasterij substantiam daturos, potius vitam propriam amissuros, quàm vt homo in fide susceptus ab eis proderetur, remandant. Ita demum Abbas Aquinum perductus est, & die sequenti oppidum sancti Angeli sponte ad Aquinenses defecit.

Post paucos dies vniuersi Fratres, qui pedites incedere poterant Aquinum pariter properantes, Abbatem sibi restitui lacrymantes expostulant, sed frustra precibus fusis, neque videndi, neque alloquendi, eis concessa licentia, sine aliquo effectu ad propria repedant. Non autem multo post Guaimarius, quia non aliter potuit, Adenulfo prædicto cum sacramento fidelitatis suæ Fratribus reddito, Abbatem monachis recollegit.

Post hæc illum ad se è vestigio conuocans, monet, vt vltra montes impiger vadat, omniq; rei veritate Imperatori exposita, vel illum ad has partes, si potest, ad sui Monasterij liberationem perducat, vel militum ab eo auxilium instanter exposcat. Alioquin, & Monasterium in proximo destruendum, & principatum sibi pariter amittendum ostendat. Præbitis igitur à Principe abundanter vniuersis, quæ illi erant in itinere necessarijs, duobus tantum Fratribus; & aliquot seruientibus Abbas acceptis, marino itinere ad Romanum portum deuenit; vbi fracta naui, & vniuersis (præter solos homines) quæ ferebat amissis, à quibusdam Romanorum nobilibus honorifice Romam deductus,

Digitized by Google

ibiq; aliquandiu remoratus est. Post hæc præfati nobiles equos illi, & quæq; itineris necessaria satis liberaliter concedentes, eumq; proficiscentem honorabiliter deducentes, arreptum iter pergere non segniter adhortati sunt. Illo itaque vltra montes profecto: grauis eodem anno Aquinenses vexare pestilentia cepit, & vno de Comitibus, Siconolfo nomine interempto, ad duo millia quingentos numero promiscui vulgi consumpsit. Prædicti igitur Adenulfus, & Lando defuncti Comitis fratres, diuinitus se percuti ob Abbatis iniuriam peruidentes: mox ad Monasterium ligatis collo restibus properantes, magnis se vocibus in tantum virum grauiter deliquisse, & tam venerabilem locum nequiter paruipendisse confessi: præfatum sancti Angeli oppidum monachis restituerunt. Protinus ergo Fratres nuntium super hoc Abbati transmittunt, vtq; reuerti ad Monasterium debeat adhortantur. Qui cum reuersus, quingentibus se comitantibus ex Lombardia militibus esset: apud Patenariam cum Guaimario loquutus, è vestigio eiusdem consilio, gratia potioris exercitus vltra montes regressus est.

Per hos dies Basilius Pandulfi Abbas à Constantinopoli cum eo reuersus, iterum ad hoc Monasterium venit, & Aquinensium Comitum adminiculo fultus per dies aliquot Abbatiæ incubuit. Sed cum Normannorum exercitus à Guaimario contra Comites prædictos venisset: Basilius ingenti pauore perterritus, noctu per montana Aquinum transfugit, ibiq; aliquantisper est remoratus. Interea apud Salernum defuncto Præposito Monasterij sancti Benedicti huic Casinensi cœnobio subditi: Guaimarius eundem Basilium accersiri fecit: ipsamq; illi cellam nostram regendam commisit.

CAPVT LXIX.

POST duos ferme annos, quod fuerat vltra montes profectus Richerius, iterum maiori satis exercitu congregato, redijt. Sed nec cum eis Normannos aggredi Guaimario placuit. Tandem itaq; vniuer-

sos

Digitized by Google

sos Normannos, qui Terras Monasterij retinebant Abbati iurare fidelitatem faciens, exercitum omnem ad sua remisit: Abbas verò ad Monasterium redijt. Inter hæc cum supradicti oppidani sancti Angeli adhuc inquieti consisterent, & Aquinenses ad se recipiendos rursus sollicitarent: Abbas reminiscens qualiter olim suæ captionis tempore à se defecissent, congregatis Normannis, idem oppidum adijt: captisq; ac deprædatis cunctis eius primoribus, muros in circuitu à fundamentis euertit: sicq; demum, hactenus infidos, & inquietos, deinceps manere quietos coegit.

CAPVT LXX.

PORRO demum Normannis arcem, quæ nunc sancti Andreæ dicitur, in suum refugium ædificare agressis, mandat Abbas ab incæpto desistere; sed nullam inde obedientiam, nullam illi reuerentiam, voluerunt habere. Cernens itaq; Abbas nullo se modo proficere, & Normannorum quotidie vires accrescere: decernit vltra montes vlterius huc non regressurus abire. Sed cum hoc illi à suis omnino dissuaderetur: potiusq; sumendum consilium, qualiter se de tam manifestis periuris suis, cum auxilio Patris Benedicti defenderet: Ecce nutu Dei non post multos dies Comes illorum Rodulfus nomine, non paucis se militibus comitantibus ad Abbatis curiam venit: eundem (vt tunc putatum est) Abbatem, seu capturus, seu occisurus: sed dolor, immo dolus, eius conuersus est in caput eius. Cum enim foris Ecclesiam iuxta consuetudinem armis depositis; eandem Ecclesiam cum omnibus pariter oraturus intrasset, repente Monasterij seruientes insimul omnes conueniunt, equos, & arma illorum capiunt, ianuas Ecclesiæ claudunt, & campanas omnes simul pulsare incipiunt. Quod subito audientes reliqui ciuitatis homines valde perterriti, diuersis vndique armati telis occurrunt, & reseratis Basilicæ portis ingressi, Normannos solis spatis armatos inuadunt; eosq; nunc sese defensare nitentes; nunc ri-

dem

dem Dei, quàm ipſi dudum paruipendentes infregerant, fruſtra fuſis precibus implorantes: fugiẽtibus cæteris quindecim ex illis obtruncant, ſolum Comitem ſalua manu ſuperuenientes monachi capientes, eumq; vix à tumultuaria manu eripientes: mox illum ſurſum apud Monaſterium trudendum in cuſtodiam mandant. Quo facto vniuerſam protinus Terram in circuitu peragrantes, ac ſubita formidine captos homines aggredientes, præter caſtellum ſancti Victoris, & prædictam arcem ſancti Andreæ, vniuerſa ferè eo die, Domino auxiliante, recipiunt. Deinde nihil morandum rati, Comites Marſorum, & filios Borrelli, cæterosq; Monaſterij fideles in auxilium aduocant, & prædicto ſancti Victoris oppido poſt paucos dies recepto, ad Roccam ſancti Andreæ, in qua & vxor prædicti Comitis, & Normanni cæteri ſe contulerant, obſidendam, expugnandamq; proficiſcuntur. Cumq; per dies fermè quindecim reſediſſent, & tam loci munitione, quàm commanentium repugnantia prævalere minimè poſſent: Stomachati tandem Fratres, qui aderant aduerſus obſidentes, iam quaſi nona hora dici: Quid, inquiunt, moras in dies teritis, & nihil omninò agentes fruſtra tempus conſumitis? Inſurgite tandem, & omnes vnanimiter aggredimini, nihilq; trepidetis, contra inimicos ſiquidem Dei, contra periuros noſtros, contra latroculos denique non plurimos nobis pugna eſt. Aderit Deus, & Pater ſanctiſſimus Benedictus, qui & aduerſarijs noſtris, fidei, ac periurij reis, dignam confuſionem, & victoriam nobis de iuſtitia præſumentibus afferat.

Hac adhortatione vehementer accenſi omnes, mox arma corripiunt, omniq; conamine ab intus aduerſarijs reſiſtentibus lapidibus, telis, atq; miſſilibus arcem ad oriuntur. Mira dicturus ſum, ſed abſque vlla prorſus cunctatione veriſſima. Deniq; cum ex vtraq; parte viritim lapides, ac iacula mitterentur: Normannorum tela, ſeu quælibet miſsilia deintus venientia noſtris permixta, veluti à vento quodam valido introrſum reducta, in eos, qui ea mittebant retorqueri, & plurimos ſauciare cęperunt. Quod Normanni cernentes, & voluntati Dei contraire vlterius non valentes, arcem protinus reddunt, ſe ſeq; monachorum manibus tradunt: à quibus

Digitized by Google

bus vix defensari, inermes ad socios Auersam confugiunt: equi eorum, arma, atque pecunia hostibus vniuersa permissa: statuentibus deinde Auersanis sociorum iniurias vindicare, Guaimarius obstitit: ficq; Beati Benedicti ope, & meritis, suo iuri Terra hæc ex integro restituta, ex tunc & deinceps à Normannorum infestatione Dei miseratione quiescit. Acta sunt autem hæc de Normannorum expulsione, Anno Dominimillesimo quadragesimoquinto. Anno 1045.

CAPVT LXXI.

DENIQVE, vt hæc omnia Benedicti Patris voluntate, & auxilio gesta crederentur: nocte ipsa, quæ diem istam præcesserat, cum quidam rusticus de castello Ceruario nomine Hieronymus in domo sua quiesceret, videbat in somnis se per viam quæ à castro Mortula ducit, redire. Cum ecce subito quidam Monachus reuerendi admodum habitus, quasi fessus itinere, virgam manu gerens, illi in via coniunctus est. Cumq; pariter incedendo ad biuium peruenissent, vnde ad villam sancti Andreæ diuertitur: rogat socium Monachus, vt pro labore itineris parum quiescat. Quibus residentibus, vnde tam lassus veniret, monachum rusticus percunctatur. Ego, inquit, iam diu est, quod in monte illo Cassini Monasterium construens, cum Fratribus habitaui: sed cum valde mihi ingrati existerent, iam illorum molestias ferre non valens, recessi ab eis, & Ierosolymam abij: ibiq; iam per quadraginta, & amplius annos cum Beato sum Stephano remoratus. Nunc autem frequentibus eorum nuntijs, ac precibus euocatus redij; & siquidem deinceps mores correxerint, ibidem cum illis habeo commorari: sin autem, confestim via, qua veni regrediar. Perquisitus de nomine, quod Frater Benedictus appellaretur respondit, & iterum surgentes viam incipiunt. Cumq; viam illam, qua ad sanctum Andream pergitur monachus fuisset ingressus; & quo tenderet fuisset à rustico percontatus. Hac, inquit, vado, quoniam in Arce hac proxima mihi aliquid est agendum. Notéthoc Cassinêses Monachi.

Digitized by Google

dum. Experrectus rusticus retulit Domino suo Mainardo Archipresbytero, quod viderat somnium; & die sequenti Arx eadem, ordine supra scripto, recepta est. Hodieq; supersunt aliqui eiusdem Arcis incolæ, qui asserunt, in ipso graui vtriusque partis conflictu, vidisse se quendam monachum viriliter contra Normannos pugnantem, suosq; enixius confortantem: cum nemo, qui tunc aderant monachorum se illi pugnæ miscuerit. Item ante non multos dies cuidam alio rustico visum per visum est, quod Pater Benedictus virga, quam manu gestabat, vniuersos Normannos, huius dumtaxat Terræ incolas, insequendo ante se ageret, eosq; seueriſsimè verberans, cum maxima ignominia de hac Terra procul eliminaret: nullo sibi, vel ad modicum resistente.

ADNOTATIO.

Desiderius lib. 2. Dialogor. non longe à fine, de hac eadem materia agens, ita scribit. Dum præcessoris nostri Athenulfi tempore, prædia huius Monasterij ab Aquinensi Comite infestarentur, & neque Monachorum precibus, neque reuerentia Almi Patris Benedicti, qui fundator, & ædificator huius cœnobij extiterat, animus eius emolleſceret, vt ab huius loci læsione se aliquo modo temperaret: prædictus Abbas necessitate compulsus, postquam vidit ferocem animum viri nullo modo mitigari posse, aliquot ex Normannis, qui tunc temporis conductu nostrorum Principum Italiam aduentabant, in possessionibus huius Monasterij, quatenus eas à prædicto Comite per eos tueretur, induxit. Qui postquam & domos ad manendum, & stipendia, quibus sustentarentur abundè percepere: cęperunt quaq; Monasterij pertinentia, more strenuorum militum, inimicis longe repulsis, circumcirca nobiliter, fideliterq. defendere. Igitur cum prædictus Abbas, & qui ei in regimine secundo gradu succesſerat, superuixere, conducti milites satis honeste in eorum fidelitate manserunt: postquam verò ipsis hac vita subtractis, fortuna nostrorum Principum mutata, aliquantulum vaccillare cępit: Normannica cohors, quæ ob nostram defensionem admissa fuerat, nobis infida, atque aduersa paulatim

Digitized by Google

lutim esse cepit, quæ quotidie ad nostram pernicitm, vt caue-
er serpens, modo hac modo illa nobis auferens. ad domina-
tionem sui iuris, sacrilega ducti cupiditate, deuolauunt. Vn-
de factum est, vt ex tanta, tamq. ampla possessione, nihil a- Ciuitas S.
liud ad nostri commodi vsum, præter ciuitatem, quæ ad ra- Germani.
dicem Cassini montis sita est, cum quatuor, vel quinque vil-
larum fundis, remanserit: qui etiam (sicut barbarica aua-
ritia nescit tenere modum) quotidie ab eis oppressi, illis opes
auferentes, nobis miseriam, atque inopiam tribuebant.

Cùm igitur per aliquanti spatium temporis sine vlla ani-
mi pietate id incessanter agerent, & misericors, ac pius Deus
seruis suis fame, atque inopia laborantibus, sua benignitate
subuenire decreuisset, Beatissimus Pater Benedictus cuidam
rustico in agello cuiusdam nostræ villulæ commoranti per vi-
sionem apparuit, eiq. vt egrediens se sequeretur iussit. Cum-
que idem rusticus ad eandem visionem animum intenderet
visum est ei, quod Beatus Benedictus cunctos Normannos,
qui eius bona inuaserant, virga quam manu gestabat, poten-
ti virtute à finibus huius Terræ expelleret, eosq. vacuos re-
bus, oneratosq. ignominia à sui hereditate Monasterij elimi-
nares. Eodem itaque anno præfata cohors Normannica
amplius, quam solebat per audaciam insolescens, ad nostram
calamitatem, arcem, quæ sancti Andreæ nuncupatur, vt se-
curius nobis sublata retinere posset, occupauit: quæ vtique
res illorum animum ad dominationem, nostrum ad despera-
tionem adduxit. Postquam ergo Arce potiti sunt, quadam
die in vnum conglobati magna cum superbia in præfatam
Cassini (idest sancti Germani) *Ciuitatem venientes, intraue-*
runt: ibiq. nutu Dei à populo ciuitatis oppressi, aliquanti
eorum, vel occisi, vel capti sunt: cæteri autem, qui rema-
serunt in munitionem prædictæ Arcis fugientes se contule-
runt.

Igitur habitatores huius Terræ omnes vnanimiter facto
grege, vicinis vndique auxiliantibus, ad obsidionem eiusdem
arcis animum intendunt. (Mira dicturus sum) obsidione
facta, cum dura iacula ex vtraque parte acriter impulsa
mitterentur, Normannorum pila, velut à ventorum flamine
retorta, eos à quibus missa fuerant, saucibant. Quid mul-

tis

Digitized by Google

vis opus esset eum se à semetipsis ita impugnari conspicerent, & iam amplius resistere minimè valerent: cernentes sibi deorum esse contra stimulum calcitrare (& quod contra se dimicare cognoscerent) facta deditione in manibus Abbatis, & Monachorum se tradunt: à quibus vinc desensi, ad socios, qui in Auersano oppido commorabantur remissi sunt. Sicq. factum est, vt ab eo tempore, Beati Benedicti meritis, hæc in qua degimus terra, ab eorum infestatione illæsa permaneat, atque sub ipsius sancti tutamine, secura persistat.

CAPVT LXXII.

HOC tempore quidam viri nobiles de Asculo, ideſt Rolandus, & Taro, & Tedericus, & alter Rolandus, obtulerunt Beato Benedicto de cauſa iuris ſui duo caſtella, quorum vnum dicitur Decimianum, aliud Tribilianum, cum Eccleſijs, & vniuerſis omninò pertinentijs, ac poſſeſsionibus prædictorum caſtellorum: necnon & totam portionem ſuam de caſtello, qui vocatur Cabino, & alias per diuerſa loca poſſeſſiones multas, quæ eſt terra modiorum circiter duo millia. Hic Abbas fecit libellum Raynerio Comiti de Larino de omnibus Eccleſijs, & rebus huius Monaſterij, quæ erant in eodem Comitatu, & in pertinentia Thermulenſi, pro cenſu annuo centum bizantiorum. Eodem tempore Corbo quidam Aprutienſis obtulit Monaſterio Beati Benedicti, quod ſitum eſt in eodem Comitatu, iuxta fluuium Trontum, & huic cœnobio ſubiacet, totam portionem ſuam de caſtello Fani, & de monte Donnelli, cum omnibus omninò rebus, ac pertinentijs earumdem portionum, quæ ſunt modia terrarum tria millia; ſimiliter etiam fecit quidam Todericus Aſculanus de integra portione iuris ſui de duobus caſtellis, ideſt Pomonte, & Arano, terra videlicet modiorum quatuor millium.

Anno 1046. Guaimarius poſt hæc, cum iam ferme annus elaberetur, vna cũ Dracone Normãnorum Comite, & cum multis alijs Capitaneis

Digitized by Google

Capitaneis ad hoc Monasterium venit, & eorũ supplici valde rogatu, vt prædictus Comes Rodulfus absolueretur, vix tandem impetratum est: sacramento ab eodem prius exacto, ne vnquam vlterius de aliqua huius Monasterij pertinentia conquirenda se intromitteret, neve Abbati, vel alicui ex parte huius cœnobij talionem pro huiusce modi facto, seu meritum aliquando retribueret: sicq. tandem libertati redditus, & mille tarenis, qui ea die à prædictis Capitaneis oblati fuerant ab Abbate donatus, ita ad socerum est Auersam reuersus.

CAPVT LXXIII.

ABBAS autem iam dudum suspectam habens Normannorum nequitiam, singula Monasterij castella muris in gyro muniuit, ibiq. rusticos, qui hactenus in villis habitauerant manere constituit. Tunc etiam & oppidum sancti Angeli, quod ipse dudum destruxerat, muris amplioribus cinxit. Iuxtaq. illum pontem optimum super Lyrim fluuium fecit.

CAPVT LXXIV.

PRAETEREA Caietani ob inuidiam Guaimarij, Adenulfum supradictũ Aquini Comitem euocant, sibiq. illum in Ducem præficiunt. Quo audito Guaimarius mox illuc exercitum destinat. Sed his impiger obuians Adenulfus, cum primo impetu aliquantos illorum fudisset, ipse protinus captus est, atque Guaimario deportatus.

Pandulfus demum expulsos hinc Normannos accersit, eisq. vniuersam huius Monasterij Terram, de qua proiecti fuerant, facile se restituturum promittit, si ei contra Guaimarium ferre auxilium vellent. Quibus id libentissime pollicentibus: mox adunato tam illorum, quàm sociorum non paruo exercitu Terram istam ingressus, ad primum oppidum

dum ſancti Petri in fine tentoria figit: futurum, vt niſi Deus impediret, cunctam ex integro Terram peruaderet. Iterum igitur fuga, iterum tribulatio, & pauor ingens, adeo totam Terram inuadit, vt aliquantorum fidelium domus ſurſum iuxta Monaſterium ad eius defenſionem tunc fuerint ordinatæ; & quia iam nullum ab homine ſperabant auxilium, mandat Fratribus Abbas, vt opem ſuper hoc diuinam expeterent, & diſcalciatis pedibus cum litanijs per omnes montis Eccleſias pergerent.

Cognitis his Adenulfus mandat Guaimario, vt ſi ſe mittere vellet, ipſe protinus Pandulfi incepta deſtrueret, ſibiq; fidelitatem perpetuam, & Monaſterio Beati Benedicti omnimodam defenſionem iurare inuiolabiliter ſpondet. Nam, quia ſororem Theanenſium Comitum, quam idem Pandulfus in captione habebat pro abſolutione Adenulfi reddere noluerat: propterea contra illum, valde, & merito commotus erat, ſe pro fœmina recollectum non eſſe nimium conquerens. Factum eſt, & dimiſſus Adenulfus pacto, quo idem ſtatuerat, ad Abbatem protinus venit, rem omnem aperuit. Mane cum maxima lætitia cunctorum ad Monaſterium aſcendit, ac ſuper altare Beati Benedicti aureum calicem Imperatoris, & pluuiale diaſprum, quæ à prædicto Pandulfo iam dudum in pignus acceperat, deuotus repoſuit. Ibi eum Abbas, & equo optimo, & armis præcipuis, cum inſigne pulcherrimo donans, Monaſterij defenſorem illum conſtituit. Mandat protinus Pandulfo ſe eſſe reuerſum, defenſorem ſe Monaſterio datum, quam citius poteſt de Monaſterij finibus exeat, niſi forte velit, vt ipſe turpiter illum expellat. Nullatenus id credente Pandulfo, intra biduum Adenulfus, tam ex propinquis, quàm ex amicis exercitum non modicum aggregat, & congreſſurus die altera cum Pandulfo in campo, qui ad Porticellas vocatur, tentoria locat. Quo viſo Pandulfus ſtatim confuſus receſſit: Adenulfus verò cum pace ad Caietanum Ducatum, quem Guaimarius illi firmauerat, redijt.

C A-

Digitized by Google

CAPVT LXXV.

POST hæc supradictus expulsorum Comes Rodulfus, sicut est genus infidum, & auaritiæ in explebilis: oblito, immo paruipenso sacramento, quod fecerat, cum quibusdam suæ nequitiæ socijs, statuit in Terram istam prædatum venire. Cumq; hoc apud illos firmiter decretum fuisset; deq; hoc consilio certus nutius, vt caueret, ad Abbatem venisset, die illo, quo id se facturum statuerat, mane subita morte necatus, repertus est. Quo facto tam ingens terror reliquos Normannos peruasit, vt vlterius neque inuasionis, neque prædationis gratia, in hanc Terram venire præsumerent. Denique ad manifestam huius sancti loci vindictam, centum, & quinquaginta eiusdem Comitis Normanni milites, intra ipsum fermè biennium, diuersis in locis, diuersa morte consumpti sunt.

CAPVT LXXVI.

CVIDAM post hæc propinquo suo nomine Ardemanno, quem in Rocca, quæ Vandra dicitur Abbas ad custodiendum posuerat, Theanenses Comites, & munera maxima, & sororem suam daturos se in coniugium, si Roccam eandem illis traderet, instantius pollicentur: callidus ille cuncta promittit. Nocte condicta venientes, eos clam intromittere spondet. Cumq; ad locum, & horam dispositam ventum fuisset, Laidulfum vnum ex eisdem Comitibus, cum aliquot militibus intromittens, portas subito claudit, vniuersosq; illos pariter in vincula conijcit, cæteri verò repulsi, ad sua sunt cum digna confusione reuersi. Postmodum verò rogatus à Guaimario Abbas per Guidonem fratrem suum, & Comitem Rainulfum, & Leonem de Manso illustrem virum, quos pariter ad eum miserat, vt Comitem fratribus redderet: nequaquam congruum ducens tantorum virorum spernendas preces,

Digitized by Google

accepto à prædicti Comitis fratribus sacramento, ac refutatione, cum obligatione centum librarum auri, fecit quod fuerat postulatus. Quam rem prædictus Ardemannus indignissime ferens, seq; in eadem Rocca protinus rebellans, Normannis eam tradere minabatur. Abbas verò nequaquam moratus, congregatis aliquot militibus ad Roccam accessit, eundemq; Ardemannum ad colloquium suum descendere, multis precibus, ac pollicitationibus vix aliquando tandem obtinuit: sed cum magnis rationibus, maximisq; blanditijs illi satisfacere, & eum placere nullatenus posset: cernentes hoc, qui cum Abbate erant milites eum protinus capiunt, & nisi Roccam illis quantocius reddat, mortem illi præsentem minantur. Cumq; vir pessimus, nec sic acquiesceret, seq; malle necari, quàm Roccam reddere testaretur, eundem mox super crates ligneas alligantes, ad expugnandam Roccam vnanimiter armis instructi, accedũt: cum nequam ille diabolo plenus suis vociferando clamaret, vt prius ipsum opprimerent quam Roccam alicui rederent. Illi autem, qui in arce erant ab Abbate commoniti, pariter & exterriti, mox portas aperiunt, & Abbatis prostrati pedibus indulgentiam postulantes, Roccam illi sine mora restituunt.

CAPVT LXXVII.

IVVIVS Abbatis tempore sanctæ memoriæ Stephanus Hungariæ Rex, qui gente sua ad Christi fidem conuersa, multis post mortem virtutibus claruit, auream crucem valde pulchram sancto Patri Benedicto direxit, multis Abbatem efflagitans precibus, vt de Fratribus loci huius aliquot sibi ad Monasterium in illis partibus ordinandum mittere non differret. Ad quem cum Abbas nequaquam negligens, duos de Prioribus huius Monasterij Fratribus trãsmisisset, iam eo defuncto Salomon filius eius, qui in Regno illi successerat honorificè nimis eos recepit, & quinque pluuialibus optimis, cum alijs non paucis donis illos remunerans, ad Abbatem remisit.

CA-

CAPVT LXXVIII.

Romana Ecclesia laborat.

APVD Romam præterea cum Papa Benedictus per annos duodecim Romanam cathedram sedisset, à Romanis expulsus est, & Ioannes Sabinensis Episcopus, cui positum est nomen Siluester, non tamen gratis, in Romanum Pontificem subrogatus. Qui cum trium ibi mensium præfuisset, expulsus Benedictus, propinquis suis Tusculanis Proceribus adnitentibus, Siluestro repulso, Romanam sedem iterum occupauit. Nec multo post inuisum se cunctis aspiciens, cuidam Archipresbytero Ioãni nomine, qui quasi religiosior habebatur, Papatũ tradidit: ipse libere deinceps cupiditates suas exercicurus in paternam domum receßit.

Gregorius VI.

Iam duobus annis, & mensibus octo prædictus Archipresbyter, cui Gregorij nomen in Papatum est inditum, Apostolicæ sedi præfederat: cum Henricus Imperator Conradi filius, tot de Romana, & Apostolica sede perturbationibus auditis, cœlitus inspiratus, anno Domini millesimo quadragesimoseptimo Italiam ingrediens Romam accelerat. Qui de tanta hæresi sedem Apostolicam desiderans expurgare, Sutri restitit, & super tanto negotio deliberaturus vniuersale ibi Episcoporum Concilium fieri procurauit. Missi ergo, & magna inibi Episcoporum, seu Abbatum, ac religiosorum virorum multitudine congregata, Romanum quoque Pontificem, qui eidem consilio præsideret decenter inuitat. Quid multa? consilio habito Synodicis, Canonicisq; sententijs conuictus Gregorius Simoniacus, sponte sua è sede desiliens Põtificalibus se infulis exuit, & terræ prostratus inuasi honoris indulgentiam sibi concedi humiliter petit. Quo facto Imperator valde lætificatus, cum omnibus eiusdem Concilij Episcopis Romam venit, & in Ecclesia Beati Petri Apostoli congregato Clero, Populoq; Romano, primo quid Sutri actum fuisset exposuit: deinde tractare cepit de ordinatione ipsius Romanæ Ecclesiæ. Facta itaq; discussione in eadem Ecclesia dignus quisnam inueniretur tanto Sacerdotio fungi, cum nullus (heu

Anno 1047.

Cõcilium Sutrinum.

Greg. VI. Pontificatumdeponit.

Digitized by Google

proh dolor), reperiretur, demum electione cunctorum. Epiſcopus Bambergenſis, de gente Saxonum, Papa Romanus Clemētis II. electio. nus ieuatur, eiq. Clemens nomen imponitur. Tunc temporis ob huiuſmodi res tam proſpere, tamq. canonice geſtis, eidem Henrico patritiatus honorem Romani contribuunt, eumq., præter Imperialem coronam, aureo circulo vti decernunt.

ADNOTATIO.

EA, quæ hoc loco ſtrictim refert Auctor, fuſius proſequitur Deſiderius Caſſinenſis Abbas initio lib. 3. Dialogorum in hunc, qui ſequitur modum.

Expletis duobus, Chriſti gratia comitante, libellis: quos de mirabilibus Dei, vel in hoc cœnobio, vel in ſibi ſubditis cellis, ipſo largiente patratis, deſcripſimus, ad narrationem tertij, concedente Domino veniamus. Et quia cetera, quę extra huius Monaſterij clauſtra facta ſunt, quaq. viſu, vel auditu percepimus, in alijs duobus libellis adhuc exaranda remanent, opere pretium mihi videtur, ab ipſo capite Eccleſię exordium ſumere, ſicq. poſtea ſeriatim ſtylo proſequente, ad ſingula membra venire.

Dum igitur negligentia Sacerdotum, maximeq. Romanorum Pontificum, Italia à recto religionis tramite paulatim deuians labefactaretur: in tantum mala conſuetudo adoleuit, vt ſacræ legis auctoritate poſtpoſita, diuina, humanaq. omnia miſcerentur: adeo vt populus electionem, & Sacerdotes conſecrationem, donumq. ſancti Spiritus, quod gratis accipere, & dare, diuina auctoritate ſtatutum fuerat, data acceptaq. per manus pecunia, ducti auaritia venderent: ita vt vix aliquanti inuenirentur, qui non huius ſimoniacæ peſtis contagione fœdati, mundi coram Deo, præcepta Dominica obſeruantes, exiſterent. Itaq. cum vulgus clericorum per viam effrenate licentiæ, nemine prohibente, graderetur: cęperunt ipſi Presbyteri, ac Diacones (qui tradita ſibi ſacramenta Dominica mundo corde, caſtoq. corpore tractare debebant) laicorum more vxores ducere, ſuſceptosq. filios hęredes teſtamento relinquere: nonnulli etiam Epiſcoporum Simoniaca labes.

verecun-

verecundia omni contempta, cum vxoribus domo simul in vna habitare; & hęc pessima, & exacranda consuetudo intra Vrbem maxime pullulabat, vnde olim religionis norma ab ipso Apostolo Petro, eiusq. successoribus, vbiq. diffusa processerat. Igitur dum per aliquot annos nonnulli solo nomine Pontificum cathedram obtinerent: Benedictus quidam nomine, non tamen opere, cuiusdam Alberici Consulis filius (Magi potius Simonis, quam Simonis Petri vestigia sectatus) non parua à patre in populum profligata pecunia, summum sibi Sacerdotium vendicauit: cuius quidem post adeptum Sacerdotium vita, quam turpis, quam fęda, quamque execranda extiterit horresco referre; ea potius, qualiter omnipotens Deus in faciem Ecclesiæ suæ sit dignatus respicere, exordia enarrabo. Benedict. Nonus.

Denique cum rapinas cędes, aliaq. nefanda in Romanum populum aliquanta per tempora sine vlla dilatione ageret congregati in vnum populi (quia eius nequitiam amplius ferre nequibant) eum à Pontificatus cathedra exturbantes, vrbe pellunt, alterumq. in locum eius, Ioannem videlicet Sabinensem Episcopum (non tamen vacua manu) canonica parui pendentes decreta, substituunt. Qui tribus non amplius mensibus Romana vsus est cathedrę successione, Benedicto vndiq. suis cum propinquis infestante vrbem, quia ex consulibus terrę ortus erat, & in eis maxima virtus, vrbe cum dedecore pulsus, suum ad Episcopatum reuersus est. Benedictus igitur, quod amiserat Sacerdotium recepit, pristinos verò mores minime mutauit, secundum quod scriptum est. Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Et quia durum est in corde veteri noua meditari, in eisdem prauit, & peruersis operibus, vt antea, perseuerabat. Cumq. se à Clero simul & Populo propter nequitias suas contemni conspiceret, & fama suorum facinorum omnium aures impleri cerneret: tandem reperto consilio (quia voluptati deditus, vt Epicurus magis quam vt Pontifex viuere volebat) cuidam Ioanni Archipresbytero, qui tunc in Vrbe religiosior cęteris clericis videbatur (non parua ab eo accepta pecunia) summum Sacerdotium relinquens, tradidit: ipse verò in proprijs se castellis recipiens, vrbe cessit. Interea Pron. 22. vers.

Gregor. VI. tertia Ioannes, cui Gregorius nomen inditum est, cum duobus annis, & octo mensibus Sacerdotium administrasset: Henricus Rex, qui tunc Germaniæ, Pannoniæ, & Italiæ imperabat, ad suscipiendam de manu Romani Pontificis imperialem coronam, quatenus deinceps Augustus appellari posset, Italiam ingressus, Romanam adiit vrbem. Sed antequam vrbem ingrederetur, plurimorum Episcoporum, necnon Abbatum, clericorum quoque, ac religiosorum monachorum in Sutrinâ vrbe concilio congregato, Ioannem, qui Gregorius dictus est, missis ad eum Episcopis, vt de Ecclesiasticis negotijs, maximeq. de Romana Ecclesia, quæ tres simul tunc Pontifices habere videbatur, ipso præsidente tractaretur, venire rogauit. Sed hæc de industria agebantur: iam enim dudum regio animo insederat, vt tres illos, qui iniustè Apostolicam sedem inuaserant, cum consilio, & auctoritate totius concilij iustè depellere, & vnus, qui iuxta sanctorum statuta Patrum, Dominico gregi sollicite præesset, clero, & populo eligente, ordinaretur. Prædictus itaq. Pontifex exoratus à Rege, caterisq. Pontificibus, Sutrium (vbi Synodus congregata erat, allectus spe, quod alijs duobus depositis, sibi soli Pontificatus confirmaretur) gratanter perrexit. Sed postquam eo ventum est, & res agitari, ac discuti à Synodo cepta est, agnoscens se non posse iustè honorem tanti Sacerdotij administrare, ex pontificali sella exiliens, ac semetipsum pontificalia indumenta exuens, postulata venia, summi Sacerdotij dignitatem deposuit.

Gregor. Pontificatum deponit.

Clemens II.

Post hæc Rex vrbem ingressus, congregato in Ecclesia Beati Petri Apostoli Romano clero, & populo, vna cum Episcopis, qui in prædictam conuenerant Synodum, communi consilio Clementem Bambergensem Episcopum elegerunt (quia in Romana Ecclesia non erat tunc talis reperta persona, quæ digne posset ad tanti honorem sufficere Sacerdotij) eumq. in Apostolica sede ad regendum Dominicum gregem intronizantes, constituunt. Quo non amplius nouem mensibus

Damasus II. Sacerdotio functo, ex hac vita decedente, Damasus ex Germania ortus fultus auctoritate regia, eidem succedens, Sacerdotium est adeptus: qui non amplius quã viginti & tribus diebus sacerdotio administrato, diem clausit extremum.

Huic

Digitized by Google

Huic successit Leo, de quo nobis est sermo præ manibus, vir per omnia Apostolicus, regali genere ortus, sapientia præditus, religione conspicuus, omniq. doctrina Ecclesiastica apprimè eruditus, ac qui (quemadmodum scriptum est) cepit inuocare nomen Domini: quemq. etiam vidi, cuiusq. familiaritatem habere merui, sæpe etiam eo in Ecclesia missas celebrante, cum illo ad diuinum altare sacris indutus vestibus steti, eiq. Euangelium legi. A quo omnia Ecclesiastica studia renouata, ac restaurata, nouaq. lux mundo visa est exoriri. Hic sæpe sacerdotale concilium aduocans, Sacerdotes, Diaconos, & reliquos clericos non regulariter ordinatos, remouit, & in eorum locis, ad veri, & summi Dei culturã, qui digne ministrare possent, constituit. Quotidie quoque per se, suosq. discipulos, vbiq. missos, populis viam Domini litteris, & verbis prædicans, ostendebat. Qui per Apostolicam viam semper gradiens, Apostolicos etiam viros in miraculis est imitatus. De quo quidem plura audire me contigit, sed multis occupatus negotijs, singula quaq. discurrere non valens, pausa referre de pluribus satagam, vt per hæc quanti vir iste meriti fuerit, quicumque in posterum legerit agnoscat. Hactenus Desiderius. Leo I.

CAPVT LXXIX.

POST hæc sumpto exercitu Imperator ad hoc Monasterium venit, & cum omni honore receptus à Fratribus, planetam purpuream optimam auro, ac gemmis ornatam super altare cum altero pallio optimo posuit: in capitulo verò auri libras aliquot Fratribus obtulit, seq; illis deuotissime commendans, Capuam adijt: Ibi Guaimario renuntiante Capuam, quam per nouem iam annos tenuerat, Pandulfo illam priori Principi simul cum filio, multo ab illis auro suscepto, restituit. Dracone Apuliæ, & Rainulfo Auersæ Comitibus ad se conuenientibus, & equos illi plurimos, & pecuniam maximam offerentibus, vniuersam, quam tunc tenebant, terram, imperiali inuesticura sanxit. Henricus Casinum venit.

Digitized by Google

uit. Ibi etiam præceptum aurea bulla signatum Abbati Richerio iuxta imperialem consuetudinem fecit. Inde Beneuentum contendens, cum noluissent eum ciues recipere, tam ob suam, quàm ob patris iniuriam, totam ciuitatem à Romano Pontifice, qui eum illo tunc erat excommunicari fecit, cunctamq; Beneuentanam Terram Normannis auctoritate sua confirmans, vltra montes exinde est reuersus, Gregorium secum portans.

CAPVT LXXX.

CLEMENTE verò post nouem menses vltra montes defuncto præfatus Benedictus iterum in Pontificatum reuersus, per octo circiter menses illum retinuit, donec ab Imperatore transmissus ex Germania Damasus Brexenorum Episcopus illi in Papatu successit. Quo etiam post viginti & tres dies apud Præneste vita decedente, Brunonem Tullensem Episcopum Theutonicum natione, ex stirpe regali progenitum Romani ab vltramontanis partibus expectantes in suum Pontificem eligunt, eumq; Leonem Papam vocari decernunt. Qui scilicet Pontifex eodem anno quo ordinatus est, orationis gratia montem Garganum adijt. Indeq; reuertentes, in ipsa festiuitate palmarum valde deuotus ad hoc Monasterium ascendit, & reuerentissime susceptus à Fratribus, eo die missam sollemniter celebrauit, & in refectorio cum ipsis comedit: post prandium in capiculum veniens, maximas Fratribus pro tam honorifica sua receptione gratias egit, seq; pro suo posse idem Monasterium, vbiq; exaltaturum promittens descendit; & die altera Ecclesiam sancti Mauritij apud Insulam, quæ Limata vocatur ab eodem Abbate constructam, & sancti Saluatoris in territorio Atinensi sollemniter dedicans, demum redijt Romam. Ad quem Abbas profectus, priuilegium ab eo, iuxta morem Prædecessorum suorum honorabiliter adeptus est: in quo idem sanctus Pontifex vsum Sandaliorum, atque Dalmaticæ, necnon & chirothecarum in principalibus festis

Damasus II.

Leo IX.

Anno 1049. Leo IX. Cassinum venit.

Digitized by Google

ris ad missarum sollemnia, tam illi, quàm & vniuersis in hoc cœnobio regulariter promouendis, ob honorificentiam sancti loci huius, Apostolica auctoritate concessit. Quo etiam tempore idem Apostolicus Monasterium sanctæ Crucis in Ierusalem, quod Sessorianum appellatur, intra Romanam vrbem situm, præfato Abbati cum omnibus pertinentijs suis contradidit, & priuilegium exinde illi faciens, sacrationem tantummodo sibi Abbatis eiusdem loci, quem tamen Cassinensis Abbas eligeret, reseruauit.

CAPVT LXXXI.

PER hos dies quidam Capuani nobiles, pro castro quodam huius Monasterij, quod Concа vocatur, multas cum Abbate contentiones effecerant: conantes vtique illud à Monasterij ditione subtrahere, & ad sui iuris vsus redigere. Sed cũ Abbati nil prænalere valerent, quadam die consilio habito, statuerunt prædatum in Terram istam venire. Decernunt igitur, vt adueſperascente die iter incipiant, & apud quandam curtem suam in Theanensi Comitatu parumper quiescant, inde sequali noctis hora promoueant, vt summo mane Monasterij fines ingressi, ex insperato protinus irruant, & quantum magis ex ea prædam potuerint agant. Venientes verò ad condictum locum, cum quantum illis visum est quieuissent, circa mediam fermè noctem ascensis equis aggrediuntur iter quo dispoſuerant. Res mira, sed omninò certissima, quippe, quæ ab vno eorum, qui tanto equitatui interfuit, mihi relata est. Ab illa itaque hora vsque ad crepusculum iter conficientes, cum se iam venisse in finitima huius Terræ putarent, atque ad discurrendum, vt prædantium moris est, se instantius præparārent, subito respicientes in eo loco, quo equos ascenderant, se reperiunt. Obstupefacti, niminmq; attoniti, ac seſe inuicem aspicientes: intelligunt tandem Patris Benedicti meritis, se noctis errore cæcatos, dum tanto temporis spatio recto se itinere gradi putantes, prædictam curtem gyrando, ac regyrando, mane se imbi reperis-

reperiſſent: ſicq; confuſione, & admiratione repleti, Capuam ſunt reuerſi: ipſimet palam omnibus referentes quæque ſibi contigerant.

ADNOTATIO.

EA, quæ hoc capite narrantur, referuntur etiam à Deſiderio Abbate Caſinenſi lib. 1. Dialog. vbi aſſerit caput, & ducem huius factionis fuiſſe Pandulfum quendam Capuanum ciuem.

CAPVT LXXXII.

EO etiam tempore quidam ſeruus Dei Neapolitanæ regionis, in prærupta rupe, iuxta viam publicam ſolitarius habitabat. Qui nimirum dum nocturno tempore pſalleret, & feneſtram cellulæ horarum explorator aperiret: ecce videt multos nigros homines tanquam æthiopes iter carpere, & longo tractu onuſtos fœno ſaumarios comminare. Cumq; eos curioſus inquireret, qui eſſent, cuiusue rei gratia hæc iumentorum pabula pararent: dæmones dixerunt, nequaquam eſſe pecoribus alendis, ſed fomenta potius ignium, hominibus comburendis. Præſtolamur enim in proximo Principem Capuæ Pandulfum, quia iam decumbit. His auditis vir Dei nuntium proſinus ad mœnia Capuana direxit, qui veniès Pandulfum iam mortuum reperit. Quo mortuo mons Veſuuius in flammas erupit, tantaq; ſulfureæ reſinæ congeries ex ipſo Veſuuio protinus fluxit, vt torrentem faceret, atque decurrente impetu in mare deſcenderet.

Pandulfi mors anno 1049.

Veſuuij montis eruptio.

CAPVT LXXXIII.

Anno 1050.

SEQVENTI anno prædictus Pontifex iterum ad hoc Monaſterium venit in vigiliis ſancti Petri, & die ſequenti, & altero Apoſtolorum Petri & Pauli miſſas ſollemniter celebrauit. Cumq; die illo Sabbatum eſſet

esset, ad Fratrum mandatum ingressus, duodecim monachis pedes lauit, & ipse etiam ab eis lotus, in refectorium quoque cum illis ad bibendum, nimis deuotus perrexit. Beneuentum deinde profectus, ab excommunicatione illam prædecessoris sui Clementis tandem absoluit. Anno iterum tertio Capuam veniens, rursus Beneuentum, & inde Salernum perrexit; debinc expellendorum Normannorum gratia vltra montes ad Imperatorem abijt, milites abinde conducturus. Gebardus tunc Episcopus Aistetensis, gente Noricus vir prudentissimus, & rerum sæcularium peritissimus, Regius Consiliarius erat. Sed cum iam Imperatoris imperio magnus valde Apostolico traditus fuisset exercitus, iamq; itineris partem non modicam confeciſſent: idem Episcopus ad Imperatorem accedens, vehementerq; super hoc illum redarguens, vt totus exercitus eius reuerteretur dolosus effecit: de propinquis tantum, & amicis Apostolici quingentis circiter illum in partes has comitantibus. Tunc temporis facta est commutatio inter eundem Apostolicum, & Imperatorem de Beneuento, & Episcopio Bambergensi sicut iam supra retulimus.

Leonis Papæ humilitas.

Anno 1051.

Hoc libro cap. 46.

CAPVT LXXXIV.

HOC anno Guaimarius Princeps coniuratione Amalphitanorum, quos nimis indigne tractabat, necnon & cognatorum, ac Salernitanorum quorundam, iuxta oram maris Salernitani occisus est; triginta & sex plagis perfossus, & valde turpiter, ac cum magno ludibrio per littus maris aliquandiu tractus, & ciuitas simul cum arce ab eis peruasa. Sed post quintum diem, Normannis auxiliantibus, à Guidone fratre ipsius Principis eadem recepta ciuitas, & Gisulfo filio eius reddita est, trucidatis auctoribus tanti facinoris, quatuor scilicet cognatis eiusdem Guaimarij, & triginta sex alijs.

CA-

Digitized by Google

CAPVT LXXXV.

HOC etiam tempore Ladenulfus, & Adenulfus germani fratres nobiles Capuanæ ciuitatis, vna cum Petro nepote suo simul ad hoc Monasterium gratia conuersionis venerunt: cunctasq; facultates, & hereditates, seu possessiones suas, quas in toto Principatu Capuano habebant, Beato Benedicto ex integro obtulerunt. Ecclesiam videlicet sancti Nicolai intra Capuam cum omnibus pertinentijs eius, necnon & integras portiones suas, quas habebant in Ecclesia sancti Saluatoris, & sancti Rufi, similiter intra Capuam. Viridarium etiam, quod est ad pontem Casulini. Curtem, quæ dicitur Calabrina, cum Ecclesia sancti Nicandri, quæ ibidem constructa est. Terras & molas in fluuio Saone. Curtem in Salam, curtem, quæ dicitur Rapedella cum siluis, & paludibus sibi pertinentibus. Terras, & siluas, & prata ad ipsam Auciam. Curtem in Calinulo circa prædictum Saonem. Curtem in loco, qui dicitur Ceruianum, & portionem de Ecclesia sancti Iacobi, & de curte in loco Bucino, cum Ecclesia sanctæ Anastasiæ. Terras, & siluas, & paludes, in loco, qui dicitur Rustinito, cum curte de Ecclesia sancti Ioannis. Curtes, & terras in finibus Liburię, loco Porano, prope lacum Patrię. Fundum in Vico Cupuli. Item fundos in casa Pesenda. Fundos in loco Felice. Terras in Gualdo de Mattaloni, & in Marcenisi, & in Mandrelle. Curtem iuxta Grecinianum, in loco, qui dicitur Fenora. Curtem in Laeno ad pontem ruptum. Terras in Massa Valentiana, & vniuersas casas sibi intra Capuam pertinentes.

CAPVT LXXXVI.

REVERSVS itaq; ab vltramontibus Romanus Pontifex, ascendensq; iterum ad hoc Monasterium, valde suppliciter se Fratribus commendauit. Cumq. apud sanctum Germanum honorifice hospitatus fuisset: rogatus à Fratribus, vt Monasterium sancti Stephani

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA
Digitized by Google

phani; quod iuxta Tarracinam est, illis restitueret. Interrogauit, vtrum ad eos aliquando pertinuisset: respondentibus, etiam, ostendi sibi expostulat, mox itaq; dialogo sancti Gregorij in medium exhibito, & ex vita Beati Benedicti, qualiter in visione illud idem Pater construxerat demonstrato (aut enim ignorabant, aut minime ad manum habebant priuilegium, quod Agapitus Papa, exinde Baldoino Abbati fecerat) Vere, ait sanctus Pontifex, iustissimum est, quod requiritis: moxq; priuilegium inde fieri Friderico Cancellario iussit, & ipsum Monasterium, cum omnibus suis nobis assignari constituit. Fecit etiam eodem tempore huic Monasterio, & aliud præceptum de libertate nauis huius Monasterij in portu Romano, vt omni tempore cum nauclero, & vniuersis nauticis suis maneat libera ab omnimoda conductione, & debito pensionis.

Post hæc adiunctis sibi ferè cunctis partium istarum militibus, Apuliam, cum Normannis dimicaturus, perrexit, Anno Domini millesimo quinquagesimotertio, & ex parte eiusdem Apostolici Rodulfus in Beneuentanum Principem iam electus, & Guarterius Sueuus signa sustollunt. Normanni verò tres de suis statuunt turmas, quarum vna Comes Hunifridus, aliam Comes Ricchardus, tertiam Robertus agebat Guiscardus. Inito autem certamine in planitie maxima, quæ iuxta ciuitatem est, paulatim se subtrahentibus, fugientibusq; nostratibus, & solis, qui vltra montes venerant remanentibus, cum diu ab his, fortiterq; pugnatum fuisset, omnibus tandem in ipso certamine trucidatis, Normanni, Dei iudicio, extitere victores. Dehinc Hunifridus ad Papam venit, & in sua illum fide suscipiens, cum omnibus suis Beneuentum perduxit, promittens, vt quandocumque Romam ire disponeret, ipse illum Capuam vsque perduceret. Intrauit autem idem Papa Beneuentum in vigilia sancti Ioannis Baptistæ, & stetit ibi vsque ad festiuitatem sancti Gregorij Papæ, ibiq; infirmatus, vocato prædicto Comite Capuam ab illo deductus est, vbi per dies duodecim remoratus: accersito tandem nostro Abbate, sui itineris comite, Romam redijt, ac post non multos dies sancto fine quieuit. Ad cuius tumulum plurima tunc temporis signa

Anno 1053.

Anno 1054.

Christus

Digitized by Google

Christus effecit. Hic sanctus Pontifex inter innumera bonitatum suarum insigniá, quamdiù Romæ moratus est, omni tempore, tribus per hebdomadam diebus à Lateranis vsque ad sanctum Petrum, priuato habitu, nudis pedibus, cum duobus, aut tribus clericis, noctu psallendo, & orando, pergebat.

ADNOTATIO.

Plura miracula ab hoc sancto Pontifice patrata, tam in vita, quàm post obitum, recenset Desiderius Cassinensis Abbas lib. 3. Dialog. In Martyrologio Romano assignatur eius obitus, die 19. Aprilis.

CAPVT LXXXVII.

EODEM Anno, gratia concordandi Ecclesias Romanam, & Constantinopolitanam, prudentissimos valde viros ad Imperatorem Constantinum, cognomento Monomachum, apocrisarios transmiserat, Fridericum scilicet Cancellarium suum, & Humbertum, filuæ candidæ, & Petrum Archiepiscopum Amalphitanum. Qui ad hoc Monasterium primitus venientes, seq; Fratribus deuotissime commendantes, ita demum viam suam, profecti sunt: quos Imperator nimis honorabiliter suscepit, & in palatio per aliquot dies detinuit. Intra quod spatium nonnullas Græcorum hæreses corrigere decernentes: tandem Patriarcham Michaelem, & Leonem Acridanum Episcopum cum vniuersis eorum sequacibus, auctoritate Apostolica anathematizauerunt. Sed cum iam intra hos dies defuncto Papa redire disponerent, imperialibus illos donis Constantinus Monomachus honorificè munerans, Beato quoque Petro per eosdem dona non parua transmisit: insuper etiam, vt omni anno binas auri libras de palatio eius hoc Monasterium reciperet, illorum rogatu concessit. Quos prospere reuertentes, Trasmundus Theatinus Comes, per Terram suam transeuntes, cepit, & vniuersa, quæ ferebant

Digitized by Google

ferebant cum magna iniuria auferens, tandem dimisit. Atque ita Fridericus Romam reuersus est.

CAPVT LXXXVIII.

DEFVNCTO præterea sanctæ memoriæ Papa Leone, Hildebrandus, tunc Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, ad Imperatorem à Romanis transmissus est: vt quoniam in Romana Ecclesia persona ad tantum officium idonea reperiri non poterat, de partibus illis, quem ipse tamen vice cleri, populiq; Romani in Romanum Pontificem elegisset, adduceret. Quod cum Imperator assensus fuisset, & Gebardum Aistetensem Episcopum, cuius supra meminimus, Hildebrandus ex industria, consilio Romanorum expetiuisset: tristis super hoc valde Imperator effectus est, nimis enim illum earum habebat; & cum eundem sibi omnimodis necessarium Imperator assereret, & alium, atque alium huic officio magis idoneum iudicaret: Hildebrandus tamen, vt alterum reciperet persuaderi nullatenus potuit. Erat enim idem Episcopus, super id quod prudentia multa callebat, post Imperatorem potentior, ac ditior cunctis in Regno. Hunc ergo Hildebrandus, inuito licet Imperatore, inuito etiam eodem Episcopo (propter quod vtique postmodum dictus est Monachos non amasse) Romam secum adduxit, eiq; Victoris nomen imponens, Romanum Papam, cunctorum assensu, constituit: cum iam fermè à transitu Papæ Leonis annus elaberetur. Qui quoniam eidem prædecessori suo, vt supra diximus, impedimento maximo fuerat, quoties à circumpositis molestiam aliquam patiebatur, dicere solitus erat. Meritò hæc patior, quia peccaui in Dominum meum; & item, dignum est (inquit) vt quod fecit Saulus patiatur Paulus, quod fecit lupus, sustineat agnus. Anno 1055. cap 83. huius lib.

Comperiens itaque Imperator Fridericum à Constantinopoli reuersum magnam valde pecuniam detulisse, cœpit eum vehementer suspectum habere. Nam eo tempore fratri

Digitized by Google

tri eius Duci Gotfrido inimicissimus erat. Quapropter scripserat Apostolico, vt illum capere, sibiq; festinanter studeret transmittere. Quo per necessarios cognito Fridericus, Abbatem nostrum (qui per eos dies à Luca, vbi ad eundem Imperatorem profectus fuerat reuertebatur) latêter apud Romam alloquitur, & vt se Cassinum perduceret, ibiq; monachum facere studeat, instantissime deprecatur. Quod cum Abbas gratantissime annuisset, præmissus cum omnibus suis ad Monasterium est. Abbas verò post dies aliquot cum nuntijs Imperatoris, qui ad Principes mittebantur, aduenit. Mox igitur Fridericus in eorundem nuntiorum præsentia pretiosa valde, quibus tunc vtebatur indumenta proijciens: religionis habitum induit, & vt hoc de se per eosdem missos Imperatori nuntiaretur efficiens, Fratribus se de cetero sociauit; nec multo post, vt ad Insulam Tremitensem transmitteretur rogauit Abbatem, quod & fecit. Dehinc, cum pro quibusdam reprehensibilibus, quæ inibi repererat, Abbati eiusdem loci cepisset ingratus existere, nequaquam ibi remorandum ratus: egrediens inde ad Monasterium sancti Ioannis, quod Veneris cognominatur, perrexit, ibiq; diebus aliquot commoratus est.

Per idem tempus proclamauit prefatus Abbas in placito Cadeloi cancellarij Henrici Imperatoris, vbi erat cum multis Episcopis, & Comitibus illarum partium, supra quodam Dodone, qui retinebat de caussa Monasterij huius octingenta modia de terra in Comitatu Theatino, loco ad casa Hildebrandi, & recollegit ea. Eodem tempore supradictus Transmundus, & Bernardus Comites firmauerunt per sacramentum eũdem Abbatem de omnibus rebus S. Benedicti in Comitatu Theatino, & Pennensi, quod neque ipsi illas inuaderẽt, & contra omnes homines eas S. Benedicto defenderent, apud Monasterium sanctæ Scholasticæ in Penne.

CAPVT LXXXIX.

Anno 1055. HOC etiam anno Princeps Pandulfus iunior fecit præceptum concessionis in hoc Monasterio de castello, quod Saracenisscum vocatur, in confinio Cominensi, cum omnibus adiacentijs, siue pertinentijs

Digitized by Google

centijs eius: quamuis idem castellum intra antiquos nostri Monasterij terminos videatur esse constructum. Quem videlicet locum non multo ante Marsorum Comites Oderisius, & Rainaldus, qui tunc Comino præerant, per chartulam oblationis cum finibus, ac terminis eius Beato Benedicto firmauerant. Vnde cum quidam Aquinenses contra Abbatem super hoc murmurarent, pro eo videlicet, quod ipsi prius eundem locum centum bizantijs comparauerant, à quodam Berardo Marsicano, in hanc tandem conuenientiam cum eo venerunt, vt sponte sua in quorundam Iudicum præsentia, omnem querelam, & calumniam Domino Abbati de hoc refutarent, & quieti de cætero essent, proposita pœna librarum argenti centum, si aliquando amplius de hoc contendere vellent, nisi quantum ipse illis per libellum, concederet. Saraceniscum autem ea de causa ipsum castellum nuncupari fama est, quod cum ijdem Saraceni à facie nostrorum, tempore illo, quo de Gariliano eliminati sunt, fuga dilapsi fuissent, cæteris interemptis, aliquanti ex eis ad ipsum tandem locum peruenerint, ibiq; aliquandiu latitantes, prædas nonnullas à vicinis habitatoribus clanculo, ac si latrunculi, agebant. Quod cum à quodam captiuo illorum transfuga Soranis innotuisset, eodem transfuga duce, ad eorum latebras mane summo perueniunt, illosq; licet somnolentos, ad huc conantes resistere, vniuersos gladijs trucidarunt.

CAPVT XC.

PER idem tempus præfatus Comes Trãsmundus grauiter infirmatus, & monachus effici cupiens, Richerium ad se venire rogauit. Cui sese suppliciter tradens, multamq; illi pecuniam offerens, tria sui iuris castella sancto Benedicto in territorio Theatino concessit, quorum vocabula sunt Mons Alberici, Frisa, & Mucla, cum portu, & piscatione sua, & cum Ecclesijs sanctæ Mariæ, & sanctæ Luciæ, & sancti Blasij, & omnibus omninò rebus, ac pertinen-

Digitized by Google

tijs eorundem caſtellorum, & Eccleſiarum; quæ ſunt quinque millia quingenti modij de terra: Eccleſiam quoque ſanctæ Iuſtæ cum omnibus pertinentijs ſuis, quæ ſunt modij quingenti. Simul etiam conceſſit huic Monaſterio in territorio Pennenſi in caſtello, quod vocatur Laſtenianum, vnam Eccleſiam ſancti Nicolai, cum omnibus ſimiliter pertinentijs eius, ideſt modij terræ tria millia. Sed cum prædictus Papa tranſiſſet Anconam, Abbas ad illum eiuſdem Tranſmundi cauſa profectus eſt. Cumq; ad Monaſterium ſancti Liberatoris illum veniſſe Fridericus agnouiſſet, perrexit ad eum, & pœnitentia maxima ductus, rogauit vt Caſſinum illum reuerti liceret: quo mox impetrato, Fridericus huc extemplo regreſſus eſt. Abbas verò iter quod inceperat peragere feſtinabat: qui cum iam dudum febribus non modicis æſtuaret, ac metu mortis reditum in dies acceleraret, Aternum veniens, tertio idus Decembris, nimia vi febris extinctus eſt. Fratres verò, qui cum illo erant nihil morati, tollentes illum eadem hora, cum media nox eſſet, iter arripiunt, & ad Monaſterium ſancti Liberatoris ſummo mane peruenientes, eiq; honorabiliter exequias facientes in ſepulchro, quo Abbas Theobaldus prædeceſſor ſuus humatus fuerat, eum recondunt. Anno Domini milleſimo quinquageſimoquinto.

Richerij Abbatis obitus anno 1055.

CAPVT XCI.

HIC Abbas inter cætera Eccleſiam ſancti Benedicti plumbeis tabulis cooperuit: palatium ab orientali parte Monaſterij ſexaginta octo cubitorum incepit, & vſque ad ſolarium perduxit. Ante Eccleſiam verò in circuitu atrij deambulatorios arcus cum columnellis lapideis fecit; & licet ipſe propter innumeras circummanentium oppreſſiones (ſicut ex parte oſtendimus) laborare in Monaſterio non potuerit, initium tamen, & materia omnis laboris præſentis ipſe fuit, quando ſuo ſtudio, & induſtria, meritis tamen Beati Benedicti, adiuuante ſe Deo, terram iſtam

istam de manibus Normannorum eripuit.

Fratribus igitur, qui cum illo fuerant, mox eo sepulto ad Monasterium reuersis, habito ad inuicem vniuersi consilio, elegerunt de congregatione Domnum Petrum religiosum valde, & honestissimi habitus virum, eumq; licet inuitum, & renitentem, ac senectutem niueam, tanto officio minus idoneam obiectantem, libentiusq; se decaniam resumere, quam Abbatiam suscipere asserentem, Abbatem sibi constituunt, paucissimis admodum in hoc dissidentibus, & Domnum Ioannem cognomine Marsicanum, qui tunc Capuæ erat Præpositus, digniorem huic Monasterio iudicantibus: quamuis ipse præcaueas, ac timens hoc onus sibi imponi, super altare iurauerit, nunquam se ipsum Abbatiam suscipere aliquatenus consensurum. Fuit electus in fine anni 1055.

CAPVT XCII.

PETRVS quintus, & trigesimus huius Monasterij Abbas, sedit anno vno, mensibus quinque. Hic à pueritia monachus, & Ecclesiasticis rebus non mediocriter eruditus, adeo religiosis, & honestis moribus creuit, & tam Angelici vultus, & reuerendi habitus extitit: vt Imperator Henricus, eo tempore, quo ad hoc Monasterium venit, transeunti illi ante se, satis humiliter assurrexerit, testatusque fit, nunquam se in toto Regno monachum honestiorem eo vidisse. Comperta igitur exabbas noster Basilius apud Salernum Petri ordinatione, mox Capuam venit, & magnam valde Principi pecuniam offerens, vt hanc sibi Abbatiam redderet orare obnixius cepit, sed Princeps, quoniam in Petri electione consenserat: hoc se nequaquam posse facere asseuerans, apud Monasterium nostrum Capuæ illum manere constituit. Ita prudens, immo fatuus vir, & Salernitanam Abbatiam amisit, & hanc adquirere nequaquam promeruit. Post aliquot verò dies à Fratribus nostris Princeps conuentus, cur Abbatem in nostra cella constituisset: inuitum se hoc fecisse, & quodammodo coactum respondit.

Digitized by Google

Si ipsi tamen eum in suo Monasterio recipere vellent, sibi gratissimum fore. Ita demum prædictus Basilius ad hoc Monasterium veniens, & virgam Abbatiæ, quam eatenus retinuerat humiliter reddens, post paucos dies ad Vallem luci transmissus Præpositus est.

Per hos dies Henricus, & Rolandus germani fratres Lucensis ciuitatis viri nobiles, obtulerunt in hoc Monasterio Ecclesiam sancti Georgij, quæ intra eandem ciuitatem in eorum patrimonio sita est, prope posterulam, quæ dicitur Guirigala, ad Monasterium inibi constituendum, cum horto, & puteo, & casis, & cum vniuersis, tam intus, quàm extra non minimis ipsius Ecclesiæ rebus, ac pertinentijs. Ad quod videlicet Monasterium constituendum, siue ordinandum transmissus est Domnus Ioannes genere, atque cognomine Apulus, qui in nostro hoc Monasterio Decanatus officio tempore non modico functus est. Vir supra cætera bonitatum suarum insignia, compunctionis, & lacrymarum gratia munere diuino ditatus: qui cuius apud Dominum meriti fuerit, non debet videri superfluum, si vel breuiter, ex his, quæ pro certo nobis comperta sunt ostendamus.

Ioannes Apulus Lucam mittitur.

Denique cum fama sanctitatis eius longe, lateq; crebesceret: mulier quædam diro possessa dæmonio ad illum perducta est, rogatus idem vir Dei à perductoribus magnis precibus, vt pro ea Dominum exoraret. Qui vt erat benepolus, nimisq; cõpatiens, mox congregatis Fratribus, Oratorium est ingressus, & cum aliquantisper fuisset oratum, lacrymis eius, & singultibus miseratione diuina placata, mulierem, fugato dæmone, sanam redire concessit ad propria.

Ioannis Apuli miracula.

Præterea cuiusdam Illustris viri Lucensis vxor, valida per aliquot dies infirmitate detenta: ad id tandem nimia vi languoris deuenerat, vt per triduum iam sine voce, ac sensu recubans, nihil minus, quam mortua putaretur. Quoniam igitur humana omnis fiducia omnino defecerat, ad diuina subsidia propinqui mulieris se conferunt, atque ad præfatum virum Dei, vt pro ea Domino supplicare dignaretur, supplices mittunt. Benignus itaque vir nequaquam moratus: mox vestibus sacris indutus, salutarem hostiam

pro

Digitized by Google

pro illa Domino oblaturus accessit. Cumq; ad locum Canonis peruenisset, quo viuorum solent nomina recenseri, eamq; multa cum deuotione nominatim, ac specialiter Domino commendaret: illa procul à Monasterio in domo propria velut exanimis decubans, Sacerdotis vocem se memorantis audiuit, statimq; illi, quasi iuxta lectulum stanti, velut ex graui somno experrecta, festinanter respondit. Obstupefacti, qui aderant sollicitè cęperunt ab ea requirere, quidnam diceret, vel cui tam insolite respondisset. Illa vero nunquid nam (inquit) Domnum Ioannem venerabilem Præpositum hic non stare vidistis? nunquid non etiam vocem illius me inclamantis audistis? Ad hæc mulieris verba attoniti simul, & gaudentes, qui aderant: mox ad Monasterium mittunt, & quid pro ea Dei famulus ageret diligenter inquiri præcipiunt. Qui venientes inueniunt præfatum virum Dei sanctis altaribus assistentem, proq; illa missarum Domino sollemnia celebrantem, certumq; constitit eadem hora illam ad se reuersam, locutamq; fuisse, qua Domini famulus eam in loco Canonis solito memorasset: & gratias omnipotenti Domino maximas referentes reuersi ad eos, qui se miserant, rem pro certo, sicut contigerat, palam, omnibus retulerunt. Mulier verò eadem incolumitati mox pristinæ restituta, vna cum coniugali suo mira semper hominem Dei deuotione percoluit. Ferebatur etiam idem vir Dei huiusmodi gratia præpollere, vt si ex aqua, qua post missarum sollemnia manus ablueret, aliquis febribus laborans fideliter sumeret, nullum deinceps in eo febris ius exercere potestatis valeret. Anselmus tunc eidem ciuitati Episcopus præerat, vir tantæ auctoritatis, atque prudentiæ, vt Romanam postmodum feliciter rexerit sedem. Hic cum quodam tempore ardore febris vehementissimo æstuaret, repente memoratus est hoc, quod iam dudum de prædicto viro Dei, fama multorum vulgante, perceperat. Misit continuo, qui ex aqua eadem clanculo sibi deferret. Quam mox, vt in potum accepit, nulla interposita mora, omnis ab eo valitudo illa febris aufugit: idemq; præfatus Antistes ad gloriam Dei, & commendationem tanti viri sæpe referre solitus erat, Multa etiam de virtutibus præ-

Anselmus Lucensis Episcopus

Digitized by Google

dicti Dei famuli referuntur, sed non sunt, neque temporis, neque codicis huius.

ADNOTATIO.

DEsiderius Cassinensis Abbas lib. 1. Dialogor. refert eadem miracula de Ioanne isto: asserens praeterea miraculum, quod in persona Anselmi Episcopi factum dicitur, se accepisse ab eodem Anselmo, qui postea ad summum Pontificatum euectus, Alexander II. dictus est.

CAPVT XCIII.

AVDIENS praeterea Apostolicus, & insperatum obitum Riccherij, & Petri electionem, valde grauiter tulit, moxq; litteras huc blanditijs primum: demum verò redarguitionibus plenas direxit, nequaquam nos absque illius consilio, ac voluntate Imperatoris, electionem ipsam debuisse facere asserentes. Quamobrem duo Fratres ad eum, qui omnem rei huius veritatem, seu necessitatem illi exponerent, ex parte Abbatis, & Fratrum directi sunt. Ad Imperatorem etiam de eadem re protinus legati transmissi.

Henricus Quartus obijt anno 1056.

Interea Apostolicus vltra montes profectus, ibiq; iam Imperatorem languentem reperiens, vsque ad eius obitum cum illo est remoratus: filioq; paruulo quinque circiter annorum, quem in manu eius pater reliquerat, Regni totius optimates iurare faciens, eumq; in Regno confirmans, reuersus tandem in Tuscia est. Friderieus dehinc comperto Imperatoris obitu, iam fiducialiter ad Papam accessit, & vniuersa, quae illi Transmundus fecerat pleniter referens, eundem Transmundum excommunicari fecit. Demum verò idem Transmundus absolutionis suae causa Romam pergens, & ferè omnia, quae Friderico abstulerat referens, cum post magnam satisfactionem se absolui obtinuisset, suggerente eodem Friderico, atque Humberto, conuentus à Papa, atque admonitus, castellum nomine Frisa, quod vxor eius

Digitized by Google

eius sancto Benedicto concesserat, isq; post eius mortem inuadendo abstulerat: in manu eiusdem Papæ sponte refutauit, & in ius Monasterij huius restituit.

Et quoniã, vt supra iam dictum est, idem Apostolicus nimis indignetulerat, quod absq; sua scientia prædicti Abbatis electio esset effecta: super hæc etiam relatum illi à quibusdam inuidis fuerat, in eandem electionem non omnes monachos consensisse, eumq. seditiosè, & nequaquam canonice ad id officium promotũ fuisse, occasionem nactus, mandat eidem Abbati, vt Romam quãtocius, cum duodecim ad se monachis vadat, & ita de sua ordinatione rationem sibi opportunissimam reddat; cumque sicut mandatum fuerat profectus ad illum Abbas fuisset, vix iam post biduum in eius camera, cum duobus tantum Fratribus, intrare permissus est. Honorificè tamen receptus, cum inter loquendum nonnunquam mentis suæ commotionem Apostolicus demonstraret, reuerti tandem ad Monasterium iussus est, vt ibi in præsentia totius conuentus, siue per se ipsum idem Pontifex, siue per Nuntios suos causam illius exquisite addiscens, demum quod esset canonicum diffiniret. Igitur Abbate regresso, non multo post missus est ex parte Papæ Hũbertus Episcopus ad Monasterium, dato illi præcepto, vt diligentissime causa ipsius ordinationis inuestigata, si quam fortè inibi occasionem reperire valeret: mox Abbatem absque vlla procrastinatione deponeret: quod si contradicere aliquo modo præsumeret, tam ipsum, quàm & omnes suos fautores Apostolica excommunicatione feriret. Ita ad subiugandam sibi Abbatiam animum Papa intenderat, cum nunquam aliquis ante illum Romanorum Pontificum attentauerit; sed libera ab initio permanente, Abbatis quidem electio Monachis, Papæ verò sacratio tantummodo pertinuerit. Ipsa itaque die sancti Pentecostes, prædictus Humbertus capitulum Fratrum ingressus, Apostolicam illis benedictionem, si obedientiæ filij esse vellent, pronuntiat. Ea die nihil ab eo quæsitum, sed Pascha sollemniter celebrato: secunda feria propter quod venisset aperuit, & quid olim de illis, deq. illorum Abbate Apostolico relatum fuerit, ordine retulit. Voluntatem illorum agnoscere, & re-

Digitized by Google

ſponſum recipere quærens. Reſponſum itaque à prioribus eſt, Caſſinenſis Abbatis electionem, & regulæ auctoritate, & conceſſione Apoſtolica, nulli omninò mortalium, niſi proprijs monachis pertinere: liberam auctore Deo hanc domum nulli conditioni obnoxiam aliquatenus eſſe. Electionem, quam concorditer fecerant, ratam omnimodis, atque canonicam, & qualiter monaſtica regula præcipit, & qualiter vniuerſorum ferè anteceſſorum ſuorum Apoſtolicorum auctoritas conſtituit, ſe feciſſe. Nulli ambitioni locum aliquem in ea ordinatione fuiſſe. Neminem porrò de ſuis, neque honeſtiorem, neque religioſiorem, neque meliorem denique, in Abbatem eligendum inuenire ſe potuiſſe. Inuito illi, & omnimodis renitenti officium iſtud impoſitum eſſe. Omnesq. vnanimiter in eius prælatione concordes exiſtere. Seditionis verò conſuetudinem, Dei gratia, in hoc monaſterio nunquam fuiſſe. Nullius demum imperio alterum ſeſe conſenſuros recipere. Huiuſmodi ratione perecpta Epiſcopus ſiluit, nihil quod contradiceret aliquatenus peruidens; & eo etiam die ita diſceſſum à capitulo eſt.

ADNOTATIO.

Pagina 225.

CArdinalis Baronius tomo 11. *Annal. ad annum milleſimum quinquageſimumquintum, ſuper his, quæ hoc capite referuntur, ſic ſcribit.*

Mortuo Riccherio Caſſinenſi Abbate, Petrus in locum eius à monachis electus eſt. Sed eius electionem Victor Pontifex indigne tulit, quod eam abſque nutu ſedis Apoſtolicæ, & Imperatoris celebraſſent. Erat plane magni ponderis opus Abbatem conſtituere Caſſinenſem, vtpotè non tam Monaſterij Abbatem, quam Principem, qui complura caſtra, & oppida poſſideret. Sed dum iſta litteris Pontifex ageret, neceſſitate incumbente proficiſcendi in Germaniam ad Imperatorem, à cœptis deſiſtere coactus eſt, vſque ad tempus, cum reuerſus eſt in Italiam: interim Petro anno vno cum dimidio præfectura illa potito.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XCIV.

INTEREA quatuor tantum quidam de Fratribus indigne ferentes, & ad hoc solum, vt Abbatem deponeret, Apostolicum Nuntium venisse putantes, tam Abbate, quàm cæteris ignorãtibus, ineptissimo inter se consilio habito, mandant protinus, & omnes ferè huius terræ incolas ad arma ascitos, die altero quasi in Abbatis auxilium aduocant. Cum ecce die sequenti cum omni pace à Capitullo surgentibus: subitò diuersis armata telis aduenit innumera multitudo frementium, & qui essent, qui Abbatem illorum vellent deponere inquirentium, eosq; perdere cupientium. Quod fortasse fecissent, nisi Abbas ad illos egressus, vix tandem multis rationibus ostensis, eorum sæuitiam repræssisset, adijciens: nunc vsque nemo mihi Abbatiam tollere potuit, sed vos hodie vestra stultitia eripuistis. Quod pro certò verissimum fuit. Nam prædictus Episcopus iam iamq; recedere, nulla contradictione super eius ordinatione inuenta, parabat. Hac igitur sola tandem occasione reperta omnes pariter Fratres in Abbatis cameram vocat. Deq; tanta sibi, Romanis videlicet Nuntijs, ante ipsas Romanorum ianuas facta iniuria, proclamando conqueritur. Huic etiam monachi iuncti, & sibi quoque nihilominus eãdem factam iniuriam contestantur: nolle se amplius Abbatem, qui non per illos, sed per huius terræ homines haberetur, asseuerantes. Inde simul omnes in Capitulum redeuntes, cepit idem Humbertus sub districtissima anathematis indictione perquirere: qui nam fuissent tantæ seditionis auctores: cumq; tam Abbas, quàm cæteri Fratres huiusce rei, se prorsus ignaros constantissime faterentur, & ille super hoc negotio nimis instaret: surgentes tandem illi quatuor Fratres, seq; de more Monasterij terræ humiliter prosternentes, se tantum, cæteris ignorantibus, huius facinoris auctores fuisse confessi sunt. Commoti Fratres de claustro Monasterij protinus illos exturbant, atque ad hospitum domum in grauioribus eos culpis constitui mandant.

Digitized by Google

dant. Abbas interea Humbertum latenter alloquitur, libenter se Abbatiam dimittere pollicetur: dari sibi locum, vbi decenter possit consistere flagitans. Tertio post hæc die coram cunctis Fratribus in Ecclesiam veniens, & virgam super altare ponens, Abbatiam tali ordine refutauit.

Altera verò die, idest sexta feria post Pentecosten, in Capitulo vniuersi Fratres conuenientes, præsidente prædicto Humberto Apostolicæ sedis Legato, cęperunt de eligendo sibi Abbate tractare, vno igitur tandem consensu, & vnanimi voluntate Fridericum omnibus eligere complacet: qui cum & nobilitate, ac sapientia magna polleret, quod his quoque præcipuum esset, monachus eiusdem congregationis existeret. Quod cum Humberto quoque Episcopo satis laudabile videretur: mox ab eo Fratribus traditus, ingenti gaudio, & exultatione cunctorum, de more Monasterij Abbas electus est, Anno Domini millesimo quinquagesimoseptimo.

Fridericus fit Abbas.

Anno 1057.

CAPVT XCV.

FRIDERICVS natione Lotharingus trigesimussextus Abbas cœnobij huius, sedit mensibus decem: qui ex regali progenie ducens originem, à puero liberalibus, litterarum studijs eruditus, atque apud Ecclesiam sancti Lamberti Canonicus conuersatus est. Dehinc à Leone Papa Cancellarius sedis Apostolicæ ordinatus, post eius obitum ad hoc Monasterium venit. Ac demum ordine, quo supra relatum est, loci huius Abbatiam recepit. Post decem igitur dies paratis omnibus itineris necessarijs, assumptis octo Fratribus, vna cum Episcopo Humberto, gratia consecrationis suæ ad Papam profectus in Tusciam est. Super quo postquam Apostolicus nimis exhilaratus esset, vniuersa ei per ordinem, quæ vel qualiter gesta fuerant retulerunt: religionem, & conuersationem nostrorum, ac loci istius dignitatem Humberto plurimum collaudante. Sabbato itaque in ieiunijs mensis Iunij Cardinalis Presbyter titulo

cap. 88. huius libri.

Digitized by Google

titulo sancti Chrysogoni ordinatus: in natiuitate verò sancti Ioannis Baptistæ est consecrationem adeptus, atque vsque ad festiuitatem sancti Apollinaris cum eodem est Apostolico remoratus. Quo etiam tempore priuilegium ab eo per manus præfati Humberti recepit, in quo translatam ad se à Petro, saniori Fratrum consilio, Abbatiam, idem Apostolicus valde collaudans, Apostolica illi hanc auctoritate, iuxta consuetudinem antecessorum suorum firmauit. Vsum quoque illi Sandaliorum, cæterorumq; insignium, iuxta quod sanctus Papa Leo dudum concesserat Abbati Richerio eadem auctoritate concesit, in omni præterea conuentu Episcoporum, ac Principum superiorem vniuersis Abbatibus sedem, & in Concilijs eorum, atque iudicijs priorem nihilominus sui ordinis hominibus sententiam, & illi pariter, & successoribus eius auctoritate simili roborauit. Quod & ipse postmodum similiter tempore Pontificatus sui cœnobio huic, & per ipsum omnibus deinceps cœnobij huius Abbatibus cœnobialiter promouēdis, cum sollemni priuilegio in perpetuum delegando firmauit. In quo etiam præter cætera seditiones, quas dicunt, leuas, seu depræda-tiones, quas hic in Abbatis dormitione fieri solere expertus fuerat, ne aliquo modo deinceps fierent, seueriſsime interdixit.

Fridericus Cardinalis creatur.

ADNOTATIO.

CApitulo præcedente dictum est, Fridericum electum fuisse Abbatem Cassinensem feria sexta post Pentecosten, in præsenti verò asseritur post decem dies, vna cum Humberto gratia consecrationis sua profectum fuisse in Tusciam ad Papam, ibiq. Sabbatho in ieiunijs mensis Iunij Cardinalem presbyterum fuisse ordinatum: quæ quidem possent remorari Lectorem, eumq. dubium facere de eorum veritate, cum ieiunia quatuor temporum æstiualium semper incidant in ipsam hebdomadam Pentecostes, & hic asseratur post hebdomadam Pentecostes Tusciam abijsse, & Sabbatho quatuor temporum mensis Iunij ordinatum fuisse Cardinalem presbyterum. Sed qui circa hæc dubitauerit legat Micrologum

De ieiunio æstiuali.

Digitized by Google

crologum de Ecclesiasticis obseruationibus cap. 25. vbi docet Gregorium septimum constituisse, vt æstiualem ieiunium infra octauam Pentecostes annuatim celebraretur. Friderici autem electio præcesit Pontificatum Gregorij septimi, ante cuius tempora ieiunium æstiuale celebrabatur secunda hebdomada Iunÿ, nulla habita ratione ad festum Pentecostes. Optimè igitur potuit Fridericus eligi in Abbatem Casinensem feria sexta post Pentecostem, ac postea in Tusciam proficisci, & Sabbatho in ieiunijs Iunÿ Presbyter Cardinalis ordinari.

CAPVT XCVI.

Fridericus Romã venit.

VMQ. petita remeandi licentia Romam venisset, Dominica sequenti apud sanctum Petrum missam sollemniter celebrans, ingenti Romanorum multitudine comitatus, ad titulum suum de more Cardinalium, cum laude perductus est. De hinc ad Pallariam, vbi hospitabatur, non dissimili prosequutione profectus. Vbi cum vsque ad quintam feriam, ornamentorum acquirendorum gratia, substitisset, & omnibus iam ad recedendum paratis, vrbem protinus exire pararent: subito Bonifacius Albanensis Episcopus festinus à Tuscia rediens, obitum Vrbi Romani Pontificis nuntiauit.

Victoris Papæ obitus.

Tali mox nuntio consternatus, restitit, & ita demum paulatim, ac pedetentim frequentari à Romanis tam clericis, quàm ciuibus cepit. Residuum itaque diei illius, & nox integra cum die sequenti ab his in Concilijs huiuscemodi rei peracta: consultus tandem ab eis, quid facto opus esset, vel quem eligere ad tantum Pontificatum deberent: quinque illis personas, quæ digniores in suis partibus essent, ad quem vellent eligendum proposuit. Humbertum scilicet Episcopum sanctæ Rufinæ, Episcopum Velitrensem, Episcopum Perusinum, Episcopum Tusculanensem, & Hildebrandum Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum. Sed cum Romani neminem sibi de his idoneum ad hoc videri censerent,

eique

Digitized by Google

eiq; demum tantum se honorem largiri velle assererent: de me (inquit) ille nil poteritis agere, nisi quod permiserit Deus, & absque illius nutu, neque concedere, neque tollere mihi istud potestis. Fuere tamen, qui Hildebrandum adhuc apud Tusciam, vbi cum Apostolico fuerat, remorantem, opportunè dicerent expectandum. Ceteri verò moras aliquas nequaquam esse congruas iudicantes, vno omnes consilio, ac voluntate concordi summo mane Abbatem simul conueniunt: eundemq; Fridericum violenter à Pallatia extrahentes, ad electionem faciendam ad S. Petri, qui ad vincula nuncupatur, Basilicam illum perducunt. Vbi eius vocationem de consuetudine facientes, Stephanum eum, (quoniam festum sancti Stephani Papæ eo die celebrabatur) appellari decernunt, ficq; vniuersa Vrbe cum laudibus prosequente, ad Lateranense Patriarchium illum deducunt. Die verò altera illucescente, Cardinalibus vniuersis simul cum Clero, Populoq; Romano ad eum conuenientibus, apud Beati Petri Basilicam ingenti cunctorum lætitia summus, & vniuersalis Pontifex consecratur. Fridericus fit Papa.

Post hæc remissis ad Monasterium Fratribus, & duobus tantum ad seruiendum sibi retentis: mandat Præposito nostro, vt cum duodecim monachis, quos litteris ipse significabat, ad se protinus pergat, vt tam de se, quàm de illis commune consilium habeat. Profecti itaq; omnes, vt iusserat sunt, atque post dies fermè decem reuersi. Per quatuor igitur continuos menses Romæ moratus, ac frequentibus Synodis clerum Vrbis, populumq; conueniens, maximeq; pro coniungijs Clericorum, ac Sacerdotum, necnon & consanguineorum copulationibus destruendis, nimio zelo decertans: ad hoc tandem Monasterium in festiuitate sancti Andreæ, cum non parua Romanorum manu, reuersus est: & vsque ad festiuitatem sanctæ Scholasticæ sommoratus. Et quoniam vitium proprietatis paulatim in hoc loco à prioribus annis irrepserat: cœpit omnimodis insistere opportunè, importunè, arguendo, obsecrando, increpando, necnon & districtissimè interminando, vt prædictum vitium hinc, iuxta mandatum Regulæ, radicitus amputaretur, & hoc quidem ex parte maxima fecit. Tunc etiam & Proprietatis vitium

Ambro-

Ambrosianus cantus.

Ambrosianum cantum in Ecclesia ista cantari penitus interdixit.

CAPVT XCVII.

PER hos dies Pandulfus vir nobilis, & Ecclesiasticus ad hoc Monasterium venit, atque ab eo nimis honorificè, amanterq; receptus est. Cui etiam & priuilegium, Episcopale fecit, & in hoc Monasterio locum illi primum post se in omni conuentu concessit. Qui videlicet Episcopus obtulit in hoc loco planetam scaramanginam, pluuiale diasprum cum lista aurea. Faciem altaris purpuream cum listis, & gemmis. Thuribula argentea duo, calicem aureum, crucem argenteam paruulam cum ligno Domini, situlam argenteam vnam cum leonibus, pallium magnum vnum ad appendendum, & vnum tapetum optimum, & alia nonnulla, quæ scribere superflua duximus; & sic societate, ac benedictione Fratrum percepta, reuersus est: semper ex eo tempore familiarissimus, & deuotissimus circa locum istum existens.

Marinus etiam Traiectensis Comes, eisdem diebus obtulit huic Monasterio totam, & integram portionem suam, ideſt quartam partem totius Comitatus Traiectensis, & medietatem castri Spinei, & quartam partem de castro Fractæ, necnon & Monasterium sancti Marini, quod in pertinentia eiusdem Fractensis oppidi situm est, cum vniuersis omnino substantijs, ac pertinentijs eius. Gezzo quoque, & Petrus germani fratres de Pontecuruo, his diebus tradiderunt in hoc loco Ecclesiam sancti Nicolai, & sancti Blasij, quæ est in castello sancti Ioannis de Carica, cum omnibus rebus ipsi Ecclesiæ pertinentibus.

Desiderij electio in Abbatem Cassinens.

Sed cum prædictus Apostolicus Romana febre iam dudum langueret, circa ipsam natalis Domini festiuitatem adeo grauiter infirmatus est, vt pro certo se mori putaret. Electo itaque Desiderio, cum priorum consilio, in Abbatem (quemadmodum loco congruo iuuante Domino, ostendemus,

Digitized by Google

mus) & Apostolicæ Legationis ad Constantinopolitanum Imperatorem illi commisso viatico, ipse Romam reuersus est.

Alphanum, olim Desiderij socium, Salernitanæ tunc sedis electum, secum duxit, eumq; in ieiunijs Martij primo Presbyterum, de hinc sequenti Dominica Archiepiscopum consecrans, cum honore Salernum remisit. Alphanus Archiepiscopus Salernitan.

CAPVT XCVIII.

POST paucos dies mandauit Præposito nostro, vt omnem Ecclesiæ huius loci thesaurum in auro dumtaxat, atque argento, festinanter sibi, & quam posset latenter, per se ipsum deferret; multo potiora his in breui se huc remissurum promittens. Disponebat autem fratri suo Duci Gotfrido apud Tusciam in colloquium iungi, eiq;, vt ferebatur, imperialem coronam largiri: demum verò ad Normannos Italia expellendos, qui maximo illi odio erant, vna cum eo reuerti. Cumq; licet tristes, nimiumq; dolentes, quod Papa mandauerat, Fratres matutinali tempore perficere maturarent: Quidam nouitius bonæ conuersationis, Frater Leo nomine, ciuis Amalphitanus, post nocturnam synaxim, cæteris Ecclesiam exeuntibus, orandi gratia substitit; & post orationem parumper residens obdormiuit. Cernebatq; in somnis quendam reuerenda canitie monachum cum alia sanctimoniali, ab ipsis absidæ adytis procedentes, vsque ad Ecclesiæ medium peruenisse: eamdemque sanctimonialem suffusam lacrymis, quasi pro eo, quod deprædaretur, elata voce non mediocriter conqueri; quamobrem vociferantem, monachus ille à latere comitans, taliter consolabatur. Noli, inquiens, Soror, noli flere, nam vniuersa hæc ad nos proculdubio in proximo reuertentur. Expergefactus Frater cœpit esse de visione attonitus, pergensq; fortuito ad secretarium, & videns, quæ agebantur, cum illius mandati prorsus esset ignarus, accepta mox à Priore loquendi licentia, visionem, quam viderat, per ordinem retulit,

Digitized by Google

tulit, cæperuntq; omnes, qui aderant, flere. Sed quoniam quod mandatum fuerat prætermittere non audebant, assumptis omnibus, Romam illa ad Apostolicum detulerunt. Quibus visis totus intremuit: demum verò recitata illi prefata visione, cognita quoque super hoc immensa nostrorum tristitia, pœnitentia ductus, lacrymari cepit: ac protinus (vnam tantummodo Iconam ex his, quæ ipsemet à Constantinopoli detulerat inde assumens) omnia huc referri mandauit. Cum itaque mox receptis omnibus prædictus noster Præpositus maturaret reuerti, & magnam iam partem itineris confeciſſet: Nuntium repente à Papa recepit, vt remisso ad Monasterium thesauro per socios, ipse quantocius ad eum rediret. Quem reuersum de Abbatia sancti Vincentij, quemadmodum à filijs Borrelli exoratus fuerat inuestiuit, eumq; protinus ad eam recipiendam transmisit.

CAPVT XCIX.

POST hæc congregatis intra Ecclesiam Episcopis, & Clero, Populoq; Romano, sub districta nimis interdictione constituit: vt si antequam Hildebrandus, Romanæ tunc Ecclesiæ Subdiaconus, ab Imperatrice, ad quam pro quibusdam Reipublicæ negotijs communi consilio mittebatur, rediret, se obire contingeret, nullus omninò eligere Papam præsumeret, sed vsque ad illius reditum Apostolica sedes intacta vacaret, eius demum consilio ordinanda. Dehinc ipse in Tusciam properans, non multo post subito languore depressus, apud Florentiam obijt, quarto Kalendas Aprilis, ibiq; digno satis est honore sepultus. Ad cuius sanctissimum corpus, meritis eius interuenientibus, plurima Christus signa ostendit. Fratres igitur nostri, qui cum eo perrexerant, cappellam eius, quam hinc detulerat, fidelibus viris apud Florentiam commendantes: quoniam per Romam regredi formidabant, admittentibus, ac deducentibus se Florentinensibus, per Marchias ad nos reuertuntur.

Stephanus Florentiæ obijt anno 1058.

CA-

Digitized by Google

CAPVT C.

INTEREA Gregorius de Alberico Lateranensis, & Tusculanensis Comes, comperto Romani Pontificis obitu, sociato sibi Girardo de Galera, & Romanorum potentium aliquot, nocturno tempore cum armatorum turbis Ecclesiæ iura pernadunt, & Ioannem Veliternensem Episcopum, Mincium postea cognominatum, Papam constituunt, Benedicti nomine illi imposito. Ecclesia Romana inuaditur

Quod cum Petrus Damiani vir valde religiosus, quem eo tẽpore Stephanus Papa distractum ab Eremo in Ostiensi Ecclesia Episcopum fecerat, comperisset, vna cum Cardinalibus cepit obsistere, reclamare, ac anathematizare; sed omnes hi tandem fautorum eiús terrore compulsi, per diuersa coacti sunt latibula fugere. Ita à satellitibus Satanę, Ostiensis Ecclesiæ Archipresbyter, vt prædictum Mincium ad Apostolatus culmen proueheret raptus, ac violenter attractus est. Humbertus interea Episcopus tunc à Florentiâ reuertens, vna cum Petro Tusculanensi Episcopo, nequaquam Romæ remorandum ratus, clam iter aggressus, apud Beneuentum Pascha celebraturus accelerabat. Qui cum feria quarta ante Cœnam Domini ad sanctum Germanum applicuisset, simul cum socio inuitatus à Fratribus, atque recentus festiuitatis gratia est. Petrus Damiani Episcopus Ostiensis.

CAPVT CI.


HAEC præterea sunt, quæ de Friderici muneribus hoc Monasterium tempore diuerso recepit. Crucem auream gemmis, ac margaritis ornatam librarum duarum, cum tripode argenteo deaurato, & hastili onichino argento, & auro ornato quinque librarum inter vtrumque. Iconas argenteas deauratas quatuor. Auream vnam cum gemmis, ac smaltis valde pulcher-

Digitized by Google

rimam, cum non parua ligni Dominici portione. Ceraptata cryſtalina parium vnum, argentea parium alterum. Codicellum Euangelij auro, gemmisq; decoratum. Pluuialia ſex. Lanternam argenteam magnam librarum quinque, cum nigello. Vrceolum argenteum ad miniſterium altaris. Siculam argenteam deauratam cum ſmaltis. Pallia quoque & hoſtiaria aliquot. Taperia ſeptem, & vnum maius, quolibet pallio pretioſius. Antiphonarium vnum.

Secundo operis huius ab Aligerno ad Deſiderium, Domino faciente, deducto libello, opportunum, ac decens eſſe putamus, ſi vitam, moresq; illius, ac geſta ex integro deſcripturi, tertium hiſtoriunculæ huius primordium, eius auſpicijs dedicemus, ac ſic illius opera contexamus. DEO GRATIAS.

Finis Libri Secundi.



CHRO-

Digitized by Google

CHRONICI CASSINENSIS

Liber Tertius.

PROLOGVS LEONIS OSTIENSIS

De vita, & actibus Reuerendiſſimi Abbatis Deſiderij, qui & Victoris Tertij Papæ.

DESIDERIVS *Abbas huius Monaſterij trigeſimusſeptimus, & quartus huius loci reſtaurator, ac renouator, ſedit annis viginti nouem, menſibus quinque. Primus ſiquidem Monaſterij huius Fundator, atque conſtructor fuit, Pater ſanctiſſimus Benedictus. Petronax ſecundus, tertius Aligernus, Deſiderius hic noſter extitit quartus. In quo videlicet omnipotens Deus, noſtro hoc tempore, etiam corporaliter, Euangelicam illam pollicitationem viſus eſt adimplere, qua dicitur. Amen dico vobis, quod omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Huius plane admirabilis, & ſingularis ſui ordinis viri, tam diues, tam multiplex, tam denique copioſa eſt geſtorum materia, vt ipſi* Matthæus 19.

Digitized by Google

Hieronymo ſi adeſſet, vel Sulpitio, non poſſet videri ad ſcribendum indigna. Ego tamen quamuis omnium imperitiſſimus, & tanto ſim opere nequaquam ſufficiens, tum pro Imperio ſanctiſſimi Patris Oderiſii minime contemnẽdo, tum pro maxima, quàm idem Pater Deſiderius in me ab ipſa ferè infantia habere dignatus eſt, dilectione: cum me vixdum quatuor & decem annos egreſſum in hoc ſancto loco, quam libenter ſuſcepit, inſtruxit, enutriuit, ac prouexit. Cernens inſuper, & dolens, cum tanti vtilitate operis, memoriam quoque tanti viri ſcriptorum negligentia paulatim in obliuionem, ac per hoc in contemptum fore venturam: licet non decenter, licet non elegantter, licet deniq; non ſufficienter valeam eius opera ex toto complectere, aggrediar tamen, confiſus de auxilio Dei, quoquomodo illa perſtringere, & ad gloriam Dei, tantiq. viri ſanctam memoriam, necnon ad ſolatium filiorum eius, fratrum noſtrorum, litteris vtcumque mandare. Aequius vtiq. iudicans cum obedientia, & deuotione, inſcitiæ notam ſubire; quàm de tam pretioſa materia ex toto ſilere, & indignum prorſus eſſe decernens, vt ſi omnia nequeo, vel aliquanta non ſtudeam de tot, tantisq. operibus eius referre: prudentiſſimo vtiq. more venantium, inſectantium feras, qui & ſi omnes capere nequeunt, nequaquam tamen quotquot poſſunt capere negligunt. Et quoniã plurima prorſus, & ferè innumera tanti viri ſunt opera; multa me, ex ipſis etiam, quæ ſcio, prætermiſſurum confiteor, quoniam ſcribere ſi omnia voluiſſem, prolixam certè, & immenſam hiſtoriam condidiſſem; quamuis ob hoc à multis noſtrorum, qui mecum pariter illa recolunt, me redarguendum fore non dubitem. Sed ego, Lectorum faſtidio vtiliter conſulens, ſi ea tantum, quæ relatu eſſent digniſſima ſcriberentur, ſufficere iudicaui. Nam ſi qua minus noſtris literis reperiuntur, in eius operibus luce

clarius

Digitized by Google

clarius conspiciuntur. Huius sanè viri primordia (quoniam opitulante Christo, hinc exordium sumere gestio) ab his, qui eius ab incunabulis extitere sodales addidici. Multa præterea ex eiusdem ore veridico, cum frequenter me sibi nimia bonitate faceret adhærere percepi. Nonnulla etiam à prioribus quibusdam audiui. Cætera postremo illius, & oculis proprijs plurima vidi, & vniuersis ferè vsque ad obitum eius interfui. Vnde Lectorem meum reddere certissimum volo, nulla me in hoc opusculo extrinsecus additamenta facturum: nulla prorsus de illo, nisi veraciter comperta scripturum, vtpote, qui me simplici intellectu legisse meminerim: Perdes Domine omnes, qui loquuntur mendacium: saluo vtiq. intellectu alio, quod dictum id de hæreticis affirmatur. Quod si forte aliquis inuidentia, seu malitia ductus, fidem his accommodare noluerit, & fauoris potius gratia huic rei me operam dedisse putauerit: huc si placuerit properans aperiat visus, & videat, ac per ea, quæ videntur, illa quoque, quæ videri non possunt, semoto liuore considerans, admiretur, & credat, credensq. bonorum omnium largitori laudes super hoc, & gratias referat: sicq. tandem, me de multis illius pauca, deq. maximis minima, prorsus scripsisse cognoscat. Psalm. 5.

CAPVT PRIMVM.

DESIDERIVS igitur ex nobilissima Beneuētanorum Principum origine sanguinis lineam ducens; spiritu potius, quam carne nobilis esse ab ipsis rudimentis infantiæ cępit; & Dei magis seruitio, quam sæculi vanitatibus operam dare, ab ipsis (vt ita dicam) vberibus matris, elegit. Desiderij genus.

Studebat namq; puerulus adhuc frequentare Ecclesiam, diuinas Lectiones, & audire libenter, & legere: cum quibus- Desiderij indoles.

Digitized by Google

dam etiam Religiosis sæpe de his sermonem innectere, & quæq; ab eis de bonis moribus addiscere poterat, in semetipso satagebat exprimere. At pater illius sæcularibus eum negotijs cupiens implicare, & vtpote vnicum diligens, per posteritatis illius lineam, suæ nobilitatis nomen disponeret propagare, puellam ei ad æque nobilem, cum iam inciperet adolescere, studuit desponsare, vtq; parentelæ eadem ad inuicem firmaretur, modis omnibus maturare. Sed quoniam Dei spiritus suo igne cor Desiderij ad mundi contemptum accenderat, è contrario longe aliter, quam pater disposuerat, agere, puer egregius destinabat, seq; potius Eremum, quam nuptias appetere, secretis, quibus poterat gestibus, indicabat, & feciſſet suis desiderijs satis, nisi quod diligens parentum custodia, & singularis amor, ac sollicitudo ingens impediebat.

CAPVT II.

NON post multos dies, Domini *iudicio*, patre à Normannis perempto: Desiderius aliquo modo nactus occasionem, quam dudum optauerat, omnibus cępit modis, clam licet, satagere, vt desideriũ, quo cogitata conceperat, opere parturiret. Cuidam igitur Monacho benè sibi noto, prudenti satis in sæcularibus viro, nomine Iaquinto (cuius ego relatione percepi) consilium totum communicat, pandit votum, voluntatem ostendit, & vt ei super hoc fidenter auxiliaretur, fideli prece deposcit. Erat tunc circiter annorum viginti. Nosti, inquiens, mi pater, qualiter me sæculo huic misero propinqui innexuerint, sed quoniam, vt verè fatear, iam dudum Deo vacare decreui; per ipsum te obtestor, & obsecro, vt iuxta quod scis, & potes, his me vinculis resolutum Deo liberius seruiturum, clam omnibus ad aliquam remotissimam solitudinẽ transferas. Quid multa? pollicetur in omnibus Iaquintus auxilium; sed cauere imperat, ne forte sit hæc suggestio dæmonum. Verum cum eius per omnia firmum in Christo pectus agnouit, & iterũ ite-

Iaquintus monachus.

Digitized by Google

rumq; illum frequentando pertẽtans, idem semper quod pridem inuenit, Quadam die iam circa vesperam pariter ascensis equis, quasi spatiandi gratia, ciuitatem egressi, cõsequentibus aliquot famulis, ad Ecclesiam B. Petri cognomento maioris, quæ iuxta eandem ciuitatem est sita, peruenitũt: ibiq; quasi causa orationis ingressi, equos, & gladium, quo idem Desiderius tunc erat accinctus, prædictis famulis præ foribus veluti seruãda, relinquunt. Inde iam sero, per quandam illius Ecclesiæ posterulam vadentes, iter aggrediuntur, & cum non plus octo milliaribus ab inde locus ille distaret, ad quem pergere dispoſuerant; noctis errore simul ac pauore confusi, vix illuc alterius diei mane perueniunt. Quos cum vir Domini, qui solitariam inibi vitam ducebat, Sanctari nomine, conspexisset, valde miratus, atque lætatus est. Moxq; inducens illos in cellam suam, ac Desiderium frequenter exosculans cepit solerter exquirere, cur ita veniſſet. Cognita itaq; Desiderij voluntate, vehementer obstupuit, quod puer tam nobilis, tam delicatus, tam dines, & præcipuè parentibus singularis, tam feruenter vniuersis sæculi pompis, ac vanitatibus spretis, sub tam districto proposito seruiturus Domino accessisset. Sed quoniam nil Deo difficile, aut impossibile esse sciebat, laudes illi, & gratias maximas referens, veterem hominem cum actibus eius Desiderium (ipso, vel maxime insistente) protinus exuit, & nouum, qui renouatur in Dei cognitionem illum, consequenter vestiuit; & Iaquinto in sua maturius redeunte, solus Desiderius cum Sanctari solo remansit.

Desiderius Deo militaturus patriam deserit.

Sanctari solitarius Desiderium recipit.

CAPVT III.

TAMVLI igitur eius, vt supra dictum est, cum equis, & armis ipsius frustra iam illum præ foribus Ecclesiæ præstolantes, cum discessum illius tandem aliquando cognouissent, vicina iam nocte, ad ciuitatem maturius reuertuntur, matriq; ac propinquis, quid accidisset, pauitantibus animis referunt. Noctem illam mater cõtinuauit lacrymis,

Digitized by Google

propinqui vero, & affines ipsius mane facto, equis ascensis, per diuersas vicinias, requirendi illum gratia, dispergun-tur; ac tandem, quod erat in re suspicantes probitatum eius indicio, ad Sanctari cellam deueniunt. Quam statim violenter ingressi, veste illum monastica vestitum reperiunt: ac vehementer irati, prefatum Dei seruum contumelijs magnis, conuitijs multis adoriuntur; & inhoneste satis sacram vestem Desiderium exuentes; manibus eam proprijs scin-dunt, eumq; Priori veste reuestiunt, inuitum licet, ac repu-gnantem. Ac postremò illum equo impositum, ipsis lora tenentibus, quasi maximam ante se prædam agentes, ad vr-bem more triumphantium reuertuntur. Hic iam matris la-crymas, & querelas, simul ac suadelas frustra in Desiderium iactas, propinquorum etiam, imò totius vrbis tripudium, quis referre contendat? Annum ferè integrum sub ingen-ti custodia, in domo matris habitu tantummodo sæculari, cæterum mente cœlebs, exegit: nullusq; illi, neq; de nuptijs, neq; de aliquo actu sæculari persuadere aliquatenus potuit. Ita, quem fidelem, ac strenuum domui suæ dispensatorem constituere Dominus disponebat, ab omni eum carnalis cõ-tagij macula purum, immunemq; seruauit, vnde non immeritò à cunctis ciuibus mirabilis, ac desiderabilis habebatur.

Desiderius Beneuẽtum reducitur.

CAPVT IV.

SED cum iam nulla fugæ ipsius suspitio matrem teneret, eumq. quoniam coniugatum non poterat, secum, vel clericum retinere niteretur, ad Episcopium, quod domui suæ satis erat contiguum, primo quidem non sine custodia, dehinc securitate crescente, solum sæpius ire sinebat. Erat tunc in Monasterio sanctæ Sophiæ Præpositus, nomine Siconolfus, qui Desiderij desiderium pleniter noscens, quoniam per diem, ne suspitio reuiuiscceret, non præsumebat; nocte cum eo apud Episcopium sæpissime loquebatur. Post non multos dies, noctu, sicuti consueuerat ad eum cum equis veniens, cuculla indutum, clam, Salernum perduxit: ac Be-

Desiderius cucullã induit.

neuentum

neuentum perniciter rediit. Mox Desiderius ad Principem Guaimarium consanguinitate sibi propinquum accedit: aduentus causam ostendit, orat, vt quoniam in patria viuere monachus parentum pertinacia non auderet, quiete apud illum Deo sibi seruire liceret. Si hoc mereretur impetrare, nusquam inde procederet. Si vero aliquando illum reddere propinquis deberet, modo potius sibi licentiam daret alio properandi. Huius igitur aduentu nimis exhilaratus Guaimarius, & vehementer admiratus tantum in tanto adolescente feruorem, annuit postulatis: eumq, secum per dies aliquot retinens, nulliq. se contra votum reddendum fidissime pollicens: demum ad Monasterium S. Trinitatis, quod ad Cauam nuncupatur, non longe à Salerno situm, eodem petente transmisit. Quod propinqui persentientes, magnis, & frequentibus precibus Desiderium sibi reddi, Guaimarium interpellant, Sed Principe in promissione, quam Desiderio fecerat, permanente: per semetipsum Landulfus Beneuentanus Princeps, matris, ac propinquorum orationibus fatigatus, Salernum venit, & Desiderium affinibus reddi deposcit.

Monasterium sanctæ Trinitatis Cauensis.

CAPVT V.

ITALI igitur tandem aliquando conditione ad Beneuentum redeat impetratur: vt sine alicuius impedimento, vel contradictione, apud Monasterium sanctæ Sophiæ sub monastica professione, sibi manere liceret. Postquam ventum est Beneuentum vniuersis affinibus sibi obuiam simul cum ciuitate tuentibus, cum omni pariter comitatu Princeps illum ad Monasterium est prosequutus. Gregorius tunc vir valde prudens, & strenuus eidem Monasterio præerat in Abbatem, qui Desiderium multa hilaritate recipiens; pro eo, quod vniuersis desiderabilis erat, tunc primum mutato eius nomine, Desiderium appellari præcepit: nam vsque ad id tempus Dauferius vocabatur.

Digitized by Google

ADNOTATIO.

ARnoldus Vuion monachus ſancti Benedicti de Mantua in prima parte ſui ligni vitæ cap. 8. agens de Abbatibus qui poſt S. Patrẽ Benedictum Caſſinenſi cœnobio præfuerunt, aſſerit Deſiderium noſtrum monachum fuiſſe Monaſterij ſanctiſſimæ Trinitatis Cauenſis. Cui aduerſatur Leo bis duobus capitibus, dum aſſerit, indutum fuiſſe habitu monaſtico in Monaſterio ſanctæ Sophiæ de Beneuento à Sicenolfo eiuſdem Monaſterij Præpoſito; poſtea verò à Gregorio Abbate mutatum ſibi nomen, vt qui prius Dauferius vocabatur, deinceps Deſiderius appellaretur. Profeſſionem verò emiſit in Monaſterio Caſſinenſi, vt apparet ex capite 7. Hoc enim ſignificant verba illa, receptiq. decenter ab Abbate, & Fratribus ſociati, honeſte nimis, atque humiliter inter illos aliquandiu conuerſati ſunt, & ab vniuerſis in dilectione plurima habiti, necnon & monaſticam ab eodem Abbate conſecrationem adepti. Præterea cum Deſiderius ad Cauenſe Monaſterium perrexit, iam monaſticum habitum apud S. Sophiã induerat: in Monaſterio autem Cauenſi paucos dies manere permiſſus eſt, quod expreſsè hic aſſerit Leo. Sed quoniam Cauenſes monachi contendunt Deſiderium in Monaſterio ſuo à B. Alferio tunc eiuſdem cœnobij Abbate ſuſceptum, ac monachum factum fuiſſe, atque ibidem profeſſionem emiſiſſe, audiamus Deſiderium de ſe ipſo, ac B. Alferio in 3 lib. Dialog. ita loquentem.

S. Alferius primus Abbas Cauẽſis.

Alferius Abbas Monaſterij S. Trinitatis, ab ipſo in latere montis ædificati, quod inter Salernitanam, Amalfitanamq. ciuitatem præeminet mari, extitit. Cuius religioſam, & Deo amabilem vitam, & ipſe ex parte vidi, qui apud eũ aliquantulum familiariter manſi, & alijs referentibus agnoui, hæc ille. Quæ verba profecto oſtendunt, Deſiderium non fuiſſe B. Alferij monachum, ſed ſibi tantum cognitum, ex eo, quod apud eum aliquantulum familiariter manſit, illis videlicet paucis diebus, quos ibidem à Guaimario Salernitano Principe tranſmiſſus peregit: donec Landulphus Beneuentanus Princeps matris, ac propinquorum Deſiderij precibus exoratus, Salernum venit, ac Deſiderium Beneuentum reduxit.

Digitized by Google

sit, hac conditione, vt in Monasterio S. Sophiæ sub monastica religione sibi manere liceret. Arnoldus ergo contra auctoritatem antiquorum, absque ratione probata, asserit Desiderium monachum fuisse Cauensem. Dico tamen in gratiam monachorum sacri cœnobij Cauensis, Desiderium, aliquantulum illud tempus, quo in præfato cœnobio mansit, sub magisterio, & disciplina sancti Alferij mansisse: qua ratione potest ipsius discipulus, & Cauensis monachus aliquatenus nuncupari.

CAPVT V.

IBI ergo illo per annos aliquot sub vita religiosissima commorãte, & sæpe secum reputante monachum in sua patria perfectum esse non posse: peruenit interim ad notitiam illius fama Monasterij Tremitẽsis, quod videlicet in Adriatico mari apud Insulam Diomedis, quondam nomine vocitatam, triginta circiter millibus à terra distans situm esse dignoscitur. Et quoniam iam dudum apud Beneuentum familiaritatem Abbatis prædicti loci adeptus fuerat, vix licet impetrata licentia, illuc perrexit, ibiq; satis austere conuersationi se tradens, non parum tempus exegit. Sed cum ab eodem Abbate adeo diligeretur, vt eandem ei Abbatiam se quoque viuente contradere cuperet; ille verò subiectioni potius, quam prælationi mentem accommodaret, ac propterea cedendum loco illi decerneret. Quodam tempore idem Abbas ad res Monasterij disquirendas egrediens, eundem Desiderium secum ire rogauit, quam ille egressionis opportunitatem libenter amplexus, minime differendam putauit. Cumq; pariter ad Transmundi Comitis (quoniam res ita poscebat) curiam perrexissent; vxor eiusdem Comitis super aduentu Desiderij, quod eius affinis esset, valde exhilarata, à viro suo, vt aliquandiu secum illum retineret, etiam inuito Abbate, obtinuit: eius videlicet retentionis auctor ipsemet, vt dicitur, extitit: audiens autem Celebre tunc nomen eremitarum Maielli degentiũ, illuc

illuc properare, ac Deo secretius seruire desiderans; prædictum Comitem, vt ibidem transmitteretur orauit, quod & factum est. Vbi cum tribus circiter mensibus à principio videlicet Februarij, vsque in tertiam post Pascham Dominicam sub ingenti continentia remoratus fuisset, transmissus est illuc supra nominatus Iaquintus cum litteris ex parte Apostolici ad eremi ipsius priorem; quarum tenore, & priori sub interminatione iubebat, ne illum amplius retinere præsumeret, & illi nihilominus mandat, ne vel aliquantas inibi moras innectere auderet. Ita regressus ad sanctæ Sophiæ Monasterium est.

CAPVT VII.

Vide annotata super cap. 79. lib. 2.

ON post multos dies Domnus Leo Papa sanctissimus è partibus Vltramontanis regressus, Beneuentum intrauit, & quoniam Desiderius iam dudum Hūberto Siluæ candidæ Episcopo cognitus, & nimis carus extiterat, tam per illum, quàm & per Fridericū tunc Cācellarium eidem Papæ notus, & valde familiaris efficitur; adeò vt illi frequenter in altaris officio adhæreret, & Euangelium ad eius missas sæpius legeret. Per idem tempus præfatus Pontifex descendit in Apuliam cum Normannis dimicaturus, sed Dei iudicio superatus ab his, ac Beneuentum regressus, ordinato Volderico Archiepiscopo, quem secum adduxerat, post nouem circiter menses Romam reuersus, atque defunctus est. Interea Desiderius ob nimiam abstinentiam, multasq; vigilias, in languorē non modicum decidens, medendi gratia Salernum perrexit. Ibi itaq; illo aliquandiu remorante, Alphanus (qui postmodum eiusdem ciuitatis Archiepiscopatum adeptus est) prudentissimus, & nobilissimus clericus, maxima illi est familiaritate coniunctus. Cuius animum frequentibus monitis ad mundi contemptum exhortans, sic tandem ab illo exegit, vt monachus fieret, si prius, vt iam dudum mente conceperat, Ierosolymam ire permissus fuisset. Hac inter illos sponsione firmata, Beneuentum reuersus Desiderius est, atque post non

Alphanus Salernitanus.

multos

multos dies mandat eidem Alphano, vt ad se veniat. Renuente illo, ac potius pauitante Salernum egredi, iterum Desiderius ad illum abijt, eumq; propter quorundam inimicantium illi timorem, cuculla sua indutum, noctu de ciuitate educens, secum Beneuentum adduxit. Cum verò cæpissent Alphanum nobiles, quiq; viri, ac clerici frequentare, eumq; ob maximam eius prudentiam decenter excolere: propositum autem Ierosolymitanæ viæ paulatim cepisset in eius mente repescere, seq; à Desiderij latere nullo vnquam modo, nullo vnquam tempore assereret velle diuidere, tempus ab eis aliquantum apud Monasterium S. Sophiæ exactum est. Cum ecce fama percrebuit, Victorem Papam ab Vltramontanis partibus Romam venisse; eumq; ad partes istas in proximo venturum fore. Territus Alphanus huiusmodi Nuntio, quod Fratres suos super Guaimarij Principis occisione insimulandos proculdubio nosset: præoccupare statuit Apostolicum, secumq; ire orat suppliciter Desiderium. Et quoniam miram cantandi peritiam, & medicinæ artis scientiam non paruam habebat, eiusdem artis codices nonnullos secum à domo detulerat, magni aliquid se habendum in summi Pontificis curia omnimodis confidebat. Confectis igitur, atque aptatis quotquot potuit medicaminibus, vna cum ciuitatis ipsius Archiepiscopo ad Romanum Pontificem in Tusciam proficiscuntur, eumq; apud Florentiam remorantem reperiunt. In breui itaque maximam apud illum familiaritatem adepti, & satis honorifice habiti sunt. Sed cum iam ibi per tempus aliquantum remorati, pro certo Desiderius comperisset Papam minime ad partes istas venturum, insuper etiam vltra montes proxime profecturum, simulq; valde inutilem esse proposito suo considerans in eiusdem Pontificis curia conuersationem, cepit omnimodis instare Alphano, vt iam iamq. peteret ab eo licentiam reuertendi.

Victor Papa II.

Petrus ante non multos dies huic Monasterio electus fuerat à Fratribus in Abbatem, qui pro sua ordinatione insinuanda, duos huius loci ad Papam tunc Fratres transmiserat. Igitur Desiderius optata iam dudum opportunitate reperta, accedit pariter cum Alphano ad Romanum Pontificem,

Ad finem ann. 1055.

Digitized by Google

cem, simulq. pedibus illius se prosternentes orant recedendi licentiam. Adduntq. perentes, vt gratia religiosius viuendi, per monachos, qui ad eum à Cassinensi Monasterio venerunt, illuc eos transmittere, suisq. litteris illos Abbati dignaretur, ac Fratribus commendare. Annuit Apostolicus, atque ita sicut popoſcerant cum Fratribus illis ad hoc cœ-
Ann. 1056 nobium transmissi sunt. Receptiq. decenter ab Abbate, & Fratribus sociati, honeste nimis, atque humiliter inter illos aliquandiu conuersati sunt, & ab vniuersis in dilectione plurima habiti, necnon & monasticam ab eodem Abbate consecrationem adepti, Friderico super eorum aduentu plusquam satis est gratulante.

CAPVT VIII.

Visio Desiderio ostensa.

VIDERAT per hos dies Desiderius visionem non contemnendam, quam satis proxime, rei commendauit effectus. Cernebat siquidem se vna cum Alphano in quadam Ecclesia, ac valde pulcherrima turri, quæ iuxta Capitulum Fratrum sita esset, consistere, in qua nimirum Pater Benedictus videbatur sede decentissima residere. Cumq. ad illius visionem stupefacti paurent, & accedere propius nequaquam præsumerent, B. Benedictus Desiderio hilariter innuebat, eumq. iuxta se sedere manu porrecta iubebat: Alphanus vero, quoniam vocatus ab eo non fuerat, quasi indigne ferens, de domo illa exibat; quæ nimirum visio manifestissime portendere visa est, & Alphanum in loco hoc non diu remoraturum, & Desiderium Benedicti Patris vicem in hoc Monasterio susceperum. Non multo post igitur à Gisulfo Principe Alphanus expostulatus, primo apud Salernum in Monasterio sancti Benedicti Abbas effectus, de hinc eiusdem ciuitatis Archiepiscopatum indeptus est. Desiderius vero ad Capuanum Monasterium est transmissus Præpositus. Richardus tunc Auersanus Comes Capuam expugnabat: sed cum Pandulfus ipsius ciuitatis Princeps indigna quædam, & superflua, iuxta priorum temporum consuetudinem

Digitized by Google

suetudinem Desiderio vellet iniungere, ille constanti, vt erat pectore, nequaquam in his ei congruum duceret assentiri: Capuam egressus ad Richardum accessit, & omnium, quæ extra ciuitatem erant Monasterio pertinentium, ab eo securitate accepta, & maxima insuper illi ex tunc fœderatus amicitia, in obedientijs eiusdem Monasterij aliquandiu remoratus est.

CAPVT IX.

DEHINC cum prædictus Fridericus, in Abbatem huius loci electus, demum verò in Romanum Pontificem, vt suo loco iam supra tractauimus, ordinatus fuisset, Romam ad illum mense Augusto cum duodecim alijs Fratribus huius loci, nominatim ab ipso vocatis, perrexit, ibiq; febre perculsus, post paucos dies huc redijt. Cum autem idem Apostolicus ad Monasterium hoc post quatuor circiter menses veniisset, non multo post graui languore detentus ad extrema ferè perductus est. Accersitis itaq; cœnobij huius Prioribus, dat optionem illis in Abbatem eligendi, quem vellent. Qui cum habito ad inuicem consilio nunc illum, nunc alium (vt in talibus consuetudo est) eligendum censerent, communis tandem vniuersorum consensus in Desiderium expetendum adspirat, & vt ipse illis in Patrem concederetur, communibus vocis Papam exorant. Cumq; satis sibi placere eandem electionem Apostolicus asseruisset: Nam, & olim tempore Leonis Papæ, optime illi apud Beneuentum notus extiterat, & ex quo Petrus Abbas eundem Desiderium ante non plenum biennium receperat, multa se illi familiaritate deuinxerat: ita quidem, vt in camera erat, Fratrum electionem confirmauit, dicens: Quod quamuis plures eo tempore religiosos, ac spirituales viros, multaq; honestate, ac prudentia præditos Monasterium hoc haberet, neminem tamen magis idoneum eligere ad id officium de suo collegio potuissent. Et quoniam dum ipse adiuueret, nulli se mortalium eandem Abbatiam tradere decreuerat, Desiderium

Anno 1057

Desiderius in Abbatē Casinensem eligitur.

Digitized by Google

rium vero ad Constantinopolitanum Imperatorem iam dudum Romanæ sedis apocrisarium facere disposuerat: constituit, vt si idem Desiderius, se superstite reuerteretur, ipsum illis velle Abbatiam contradere: si vero ante illius reuersionem defunctus fuisset. redeuntem illum absque aliqua contraditione in Abbatem congregatio vniuersa reciperet. Stephanum itaq; Cardinalem, & Mainardum postmodum Siluæ candidæ Episcopum illi socios itineris donans, & in Epistolis, quas Imperatori mandabat Cassinensis Abbatiæ illum electum commemorans, emisit à se, præcipiens, vt expleta Legatione, reuerti quam citius posset festinaret. Desiderius igitur iniunctum sibi officium perficere satagens, assumptis quæq; essent tanto itineri necessarijs, simul cum sibi traditis socijs, iter aggressus, ad Monasterium sancti Ioannis, quod appellatur in Venere, vt ibi mare ingrederetur, profectus est. Cum autem per dies aliquot ibi frustra remoratus fuisset, & propter aeris inclementiam mare ingredi nequaquam præsumeret, Siponcum inde contendit: ibi nauem, qua Barium nauigaret. ingressus, per quendam Episcopum, qui orationis gratia montem Garganum adierat Fratribus se commendari, seq; mare ingressurum, illis significari rogauit; sed cum apud Barium quoque causa tempestatis aliquandiu restitisset, alium item Nuntium huc dirigere studuit, per quem videlicet significando mandabat, ob temporis in temperiem, vsque ad illum diem apud Barium morari. Contigit autem dispositione diuina, quæ illum ad loci huius recipiendum honorem hactenus retardauerat, vt eodem die, quo idem Nuntius huc applicuit, eo quoque die Fratres nostri, qui cum Papa profecti fuerant, illo apud Florentiam defuncto, atque sepulto, redijssent. Mox itaq; nostri consilio habito, duos Fratres, qui Desiderium reuocare, nuntiata Apostolici morte, deberent, festinanter transmittunt.

Stephani PP. mors.

CAPVT X.

IAM tandem Desiderius sufficienter necessaria, quæq; itineri cæpto parauerat, iam iamq. simul cum Argi-

to

Digitized by Google

ro Barensium magistro, nauigare disponebat: cum eccè ipso palmarum Dominico die circa vesperam, eosdem Nuntios à nostris directos accepit, defunctum Apostolicum, & se ad reuocandum illum festinanter transmissos ab vniuersis Fratribus, asserentes: rediret ergo quantocius, & regimen Monasterij, prout Dominus ordinauerat, cunctis se desiderabiliter præstolãtibus, sumeret. Obriguit Desiderius tam subita Apostolici morte perculsus, moxq; socijs aduocans aperuit, quid Nuntij detulissent, cæperũtq. pariter cum Argiro satagere, qualiter (antequam mors Papæ diuulgaretur) reuerti valerẽt: non enim dubitabãt se (cognito eius obitu) à Normannis, vel capiendos, vel disturbandos. Redemptis igitur protinus, seu acquisitis pro se, ac socijs aliquot, quibus veherentur, iumentis, secunda feria post palmas iter aggredientes venerunt ad Robertum Guiscardum, tunc quidem Normannorum tantum Apuliæ Comitem: postmodum vero totius Apuliæ, & Calabriæ, atque Siciliæ Ducem: rogantes, vt secure illis per Terram ipsius transire liceret. Qui, vt fuit vir maximæ bonitatis, licet iam Papæ transitum compertum haberet, & securitatem illis concessit, & tres Desiderio equos, quibus adhuc indigebat, largitus est. Ita Deo in omnibus prosperante, sine aliquo impedimento reuersi, ipso Paschali Sabbatho, iam tardiuscule, ad ciuitatem sancti Germani applicuerunt. Dominico vero sequenti Paschæ valde diluculo huc ascendentes, de more Monasterij Capitulum Fratrum ingressi sunt, præsidentibus Humberto sanctæ Rufinæ, & Petro Tusculanensi Episcopis, & Stephano Cardinali, ac Mainardo, Desiderij socijs. Nam prædicti Episcopi Humbertus, & Petrus (vt longe iam supra retulimus) à Roma tunc, Mincij ordinationem fugientes, Beneuentum Pascha celebraturi pergebant, sed Deo ordinante, gratia tantæ festiuitatis à nostris Prioribus inuitati, atque retenti fuerant. Post sollemnem itaq. diei tanti sermonem, mox Humbertus, totius illius ordinationis optime conscius, aduocat Desiderium, eiq; (quemadmodum olim fuerat à Papa dispositum) Abbatiæ obedientiam recipere ex parte Fratrum omnium imperat. Nulla in medium mota, nulla expectatio responsionis, protinus vniuersi surgentes,

Ann. 1058

Lib. 2. capit. 100.

Digitized by Google

tes, eundem Desiderium acceperunt, atque cum maximis laudibus ad Ecclesiam deportantes, in sede illum Abbatis honorifice locauerunt: vniuersis pro sollemnitate Paschali, tum pro ipsius ordinatione immensa lætitia, & iucunditate repletis. Anno scilicet Dominicæ incarnationis millesimo quinquagesimo octauo. Ann. 1058

CAPVT XI.

IGITVR Abbatia susceptа, Desiderius cepit modis omnibus studere, atque satagere, vt quod dicebatur, dici veraciter posset. Cernens itaq; Monasterij officinas, & angustas ambitu, & forma deformes, & tum vetustate, tum inertia ruinosas: incitabatur quidem amodo illas aggredi ad renouandum, sed angebatur iterum, quia vt tam arduum inciperet opus nihil ferè pensi habebat. *Primo itaque*, quasi experiri cupiens si quid valeret, *palatium, quod* dudum Richerius Abbas ab orientali parte Monasterij inchoatum ad solarium vsque perduxerat, opere satis decenti perfecit, iuxtaq; ipsum, versus Ecclesiam, paruulam quidem, sed competentem planè, in qua libri recondarentur, ædiculum fabricauit. Quod cum sibi prospero euentu cerneret obuenisse, domum etiam, in qua Abbates manere consueuerant, quæ videlicet à Septentrionali parte adhærens Ecclesiæ, & viliſſimis ligni furculis ab inferiori parte sustentata, & viminibus ex parte maxima videbatur constructa, à fundamentis ædificare constituit, adiuncto illi palatio cum absida, quod veteres Todericum appellare solebant. Dehinc inspirante, ac prosperante Deo, mansionem etiam illam, quæ Fratres quiescentes, diuersis præ sui exiguitate solarijs, continebat, nihilo segnius renouare aggressus est, in latere scilicet prioris à meridiano, quam funditus euertere, ob claustri spatium, disponebat. Nam propter ipsius montis verticem, cui nulla ferè constabat planities, vix in hoc loco paruissimi claustri speciem, iuxta absidam Ecclesiæ Priores effecerant. Perfecta est igitur eadem domus.

Digitized by Google

domus in longitudinem cubitorum centum sexaginta, in latitudine verò cubitorum viginti, & quatuor, in altitudine autem propter ipsius montis inæqualitatem quantitatis diuersæ, eamq; abietinis trabibus satis pulchrè contignans, lateribus cooperuit, diuersisq; coloribus decorauit. Nihilq; moratus pari tenore, vetus Capitulum funditus diruens, renouauit, illudq, gypsea vrna in gyro, vitreisq; fenestris, ac pulchro variorum marmorum pauimento decorans, tegulis nihilominus cooperuit, & nimis venusta colorum varietate depinxit.

CAPVT XII.

INTEREA Fractensis oppidi homines, velut quidam latrunculi, iunctis sibi Minturnensibus, alijsq; vicinis, nunc furtim, nunc palam, oppida sibi contigua nobis pertinentia, infestare non desistebant: terminum siquidem, qui inter nos, & illos antiquitus diuidebat, ideſt duo lapidei leones, cum non procul ab eorum castro consisterent: malitiosè clam confringentes, in proximum demerserant puteum: qua nimirum fraude fidentes, si quando terminum nostrum inter duos leones, sicut præcepta continent, computabamus: illi de leonibus, qui secus portas sancti Georgij positi sunt, illud dici pertinaciter affirmabant. Horum igitur frequentissimas molestationes Desiderius ægerrime ferens, simulq, illius sententiæ reminiscens, obseruatio ordinis nostri summam deposcit quietem, & securitatem; cum neque beneficijs eos, neque rationibus aliquatenus sedare valeret: ad eorum tandem violenter frenandam nequitiam totus intendit, & Adenulfi Caietani Ducis, cui gratiam Principis conciliauerat, adminiculo fultus, mox Castellum, cui nouum proprie nomen inditum est, in monte, qui Peranus dicitur, omni instantia contra illos erexit, sicq; sua deinceps eorum tutare, non autem amplius aliena peruadere, compulit.

Lib. 1. capit. 5.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

SED cum post obitū piæ memoriæ Stephani Papæ, supradictus Hildebrādus reuersus ab Imperatrice, contra eiusdem Apostolici interdictum, inuasam à pessimis hominibus Ecclesiam comperisset, Florentiæ substitit, suisq; literis super hoc Romanorum meliores conueniens, eorumq; ad omnia consensum recipiens: mox annitente Gotfrido Duce, Girardum Florentinum Episcopum in Romanum Papam elegit, simulq; cum ipso, & Duce Romam mense iam Ianuario venit: vbi præfatus electus à Romano Clero, & populo in Apostolica sede inthronizatus, & Nicolai nomen indeptus est. Qui mox supradictum inuasorem cum omnibus fautoribus suis excommunicans, tandem quorundam suorum interuentu, illum incommunionem recepit: atque ad Ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ à Romanis maior vocatur, Sacerdotali priuatum officio, manere constituit. Mandat deinde ad hoc Monasterium, quatenus Domnus Abbas, sibi in Marchiam proficiscenti, quam citius potest occurrat: videlicet, vt proximo Martij mensis ieiunio, & Presbyteri gradum, & Cardinalatus pariter officium, recipere debeat. Dominica igitur prima Quadragesimæ, paratis omnibus necessarijs, iter arripiens, apud Farfense Monasterium Apostolico se coniunxit: vbi nimis ab eo amicabiliter, honorificeq; receptus, Auximum simul cum ipso profectus est. Ibidem itaq; secundo Quadragesimæ Sabbatho, quod tunc pridie nonis Martij euenit, Cardinalis Presbyter ab eodem Apostolico ordinatus, & sequenti Dominica Abbatiæ consecrationem adeptus, priuilegium ab eo satis honorificum, iuxta consuetudinem prædecessorum suorum, recepit; quo insuper ad Cardinalatus videlicet eius dignitatem, & honorificentiam Patris sāctissimi Benedicti, per totam Campaniam, & Principatum, Apuliam quoque, atque Calabriam, ab ipso fluuio piscariæ, sicut fluit in mare, vicem suam idem Apostolicus illi concessit. Post hæc accepta licentia remeandi, Romam veniens, proxima Dominica mediantis Quadragesimæ apud Ecclesiam

Nicolai Papæ II. electio anno 1059.

Desiderius Cardinalis creatur.

Digitized by Google

fiam B. Petri missam sollemniter celebrauit, atque Romanorum turba innumera Comitatus, ad titulum sanctæ Ceciliæ Transtiberim, maxima cum laude deductus, sicq; ad hoc Monasterium in B. Benedicti festiuitate reuersus est. Et quoniam ab eodem Pontifice Paschalis festiuitatis gratia inuitatus fuerat: Romam reuersus, post festum vrbem egrediens, Melfiam Apuliæ vrbem perrexit, vbi tunc idem Apostolicus Concilium celebrare disposuerat: in qua etiam Synodo dum Richardus Capuanus Princeps cum alijs quã pluribus interfuisset, à supradicto Papa Nicolao commonitus, præceptum fecit B. Benedicto de Monasterio S. Mariæ in Calena cum pertinentijs suis.

CAPVT XIV.

TVNC temporis Gisulfus Salernitanus Princeps, Desiderio super hoc conquerenti, reddidit huic sancto loco cellam sancti Benedicti de Salerno, quam à iure nostri cœnobij Salernitanorum eatenus violentia subtraxerat. Sed cum exinde, subducto Abbate, præpositum ibi, iuxta niorem cellarum nostrarum constituisset: Salernitani nimis hæc indigne ferentes, eidem Principi instare cæperunt, vt Monasterium illud ordinatum, sicut antea fuerat, esse permitteret. Coactus itaque Princeps, illorum rogatu Monasterium sancti Laurentij intra ciuitatem Salernitanam constructum, sibi iure hæreditario pertinentem, in hoc Monasterio ex integro obtulit, nec tamen restitutionem, quam antea de supradicta cella fecerat irritam fecit.

De eodem verò Monasterio sancti Benedicti de Salerno, ne fortè, vel memoria (cum multis intendimus) excidat, vel ne fortè opportunior referendi locus nobis non occurrat, licet præpostero ordine, necessarium videtur malitiam, & inuidentiam quorundam Fratrum prædicti Monasterij, hoc in loco inserere: nam sicut Aeneam apud Virgilium dixisse socijs legimus: Forsan hæc olim meminisse iuuabit. Causidicus quidam prędictę ciuitatis Salernitanæ, Romual-

Digitized by Google

dus nomine fuit, qui pro eo, quod etiam ipsius Monasterij aduocatus erat, maximam ibi familiaritatem habebat: tunc proinde vniuersa eiusdē loci munimina, seu quaslibet chartas sæpissimè perquirendi fidissimam ab Abbate licentiam acceperat. Tandem igitur inter cæteras, quatuor numero magna oblationis edicta inuenit, quæ videlicet clare satis, ac pleniter continebāt, qualiter idem Monasterium à principio huic nostro cœnobio traditum à Principibus, ac subditum fuerit. Has ille, maxima ductus inuidia, protinus rapuit, abscondit, & nemine prorsus sciente, ad domum propriam detulit, atque vsque ad mortis diem, ne filijs quidem ostendit. In mortis igitur articulo positus, vocauit maiorem filium suum, Ioannem nomine, eiq. clam vniuersum ipsius rei prodens negotium, & prædictas chartas manibus retinens: Ego, inquit, vt cernis ò fili, proculdubio morior, chartas istas fidei tuæ committo, vt si meam vis benedictionem habere, vsque ad diem vltimam tuam, nulli prorsus mortalium eas ostendas, sed sicut egomet feci, secretas *illas* apud te, & ignotas omnibus habeas: quoniam si quomodolibet in notitiam seniorum Cassinensium venerint, nullatenus quiescent, quin sub iure Monasterij sui istud reducant Monasterium, quod iam dudum studio, & solertia nostrorum parentum, ab illorum ditione subductum est. Suscipiens simul cum chartis, patris imperium filius, ac si diuinum quid in pectoris archano recondens, vsque ad suæ mortis diem, similiter habuit & ipse cælatas. Ad mortem autem veniens accersit Fratrem suum, tunc ipsius loci Abbatem, easq. illi simili tenore, quo sibi pater reliquerat, tradidit. Non multo post idem Abbas infamatus de quibusdam criminibus apud Ducem Rogerium, tentus est, & in sua ipsius camera custodiæ mancipatus, qui videlicet Abbas iam dudum propalauerat prædictarum tenorem chartarum, cuidam pseudo monacho propinquo suo. Verùm hic quoque priorum nequitiæ nequaquàm inferior, reminiscens nefandi negotij huius, & verens ne chartæ ipsæ apud Abbatem inuenirentur, festinus ad custodes Abbatis accessit, & lugubri voce indicans se quatuor chartulas propriæ hereditatis eiusdem, vtpote propinquo, commendatas habuisse, orat

suppliciter

Digitized by Google

supplicitèr, vt eas sibi, & perquirere, & auferre permitterent, ne fortè rebus alijs intermistæ perirent. Illi nullum in monachi verbis dolum existimantes, dant ei protinus, & perquirendi, & asportandi licentiam. Quas ille repertas, insçio, vt dicunt, Abbate, die altera in conuentu omnium Fratrum attulit, ostendit, & legit, remq; totam per ordinem pandit: mirantibus cunctis, & indignantibus, & diuersis (vt in talibus assolet) diuersa promentibus. Tandem hæc pluribus sententia placuit, vt antequam res diuulgaretur, chartę ipsę protinus minutatim inciderentur, idq; mox, inuidia simul, & ira dictantibus, actum est; atque vni ex Fratribus imperatum, vt easdem ipsas incisionum minutias diligenter colligens, in secessum Fratrum proijceret. Hæc omnia taliter gesta fuisse, idem ipse Frater, qui hoc de minutijs ipsis facere iussus est, diuino timore compunctus, non multo post Abbati suo Iaquinto nostro confratri, per ordinem propalauit: ego quoque ex eiusdem Abbatis ore hæc vniuersa percepi, ne quis fortè autumet mendosè hoc, vel fabulosè confictum.

CAPVT XV.

SEQVENTI tempore supradictus Pontifex iterum ad has partes deueniens, Dõnum Oderisium Oderisij Marsorum Comitis filium, & loci huius à puero monachum, Diaconum in Lateranensi Ecclesia, apud Acerras positus, ordinauit. Oderisius fit Cardinalis. Postmodum autem in Aquinensi ciuitate depositio Episcopo nomine Angelo, eo quod Neophitus, & rerum Ecclesiasticarum male prodigus erat, necnon & quibusdam nequitijs suis à sanctæ memoriæ Papa Leone iam dudum excommunicatus extiterat, Domnum Marinum Florentinum genere, religiosum planè, atque prudentem, de huius loci Prioribus, monachum, Episcopum consecrauit. Petrus etiam Venafranæ, & Hisernienſis sedis Episcopus, Rauennas natione, noster monachus tempore ipso sacratus est.

Digitized by Google

CAPVT XVI.

IISDEM quoq; diebus, & Richardo Principatum Capuanum, & Roberto Ducatum Apuliæ, & Calabriæ, atque Siciliæ confirmauit, cum ſacramento, fidelitate Romanæ Eccleſiæ ab eis primo recepta, necnon inueſtitione cenſus per ſingulos annos, per ſingula boum paria denarios duodecim. Sed quoniam horum duorum magnatum Roberti ſcilicet, atque Richardi, qui præ cęteris ſui temporis mortalibus locum hunc dilexęrunt, ditauerunt, ac protexerunt, quiq; huic noſtro Deſiderio nimium deuoti fideles, & amiciſſimi in omni vita extiterunt, decurrens hiſtoria attulit mentionem, dignum videtur qualiter ſit vterque ad ſuæ dignitatis honorem prouectus, vel breuiter, opuſculo iſto inſerere: nam, & ſuperius nos id ipſum promiſiſſe meminimus.

Roberto igitur primum frater eius Draco, qui tunc Comes erat Apuliæ, Roccam ſancti Marci conceſſit, quam videlicet in confinio Calabriæ ipſe non multo ante conſtruxerat, deq; tota Calabria pariter inueſtiuit. Sed cum pauperadmodum eſſet vicinæ vrbis Dominum, quæ Biſinianum vocatur, Petrum videlicet Tyræ diuitem valde virum, vocatum ad colloquium, cepit: à quo vtique viginti millia aureos pro eius abſolutione recepit. Huic ad fratrem pergenti, Girardus de bono Alipergo occurrens, primus omniũ illum Guiſcardum, quaſi per iocum appellauit, eiusq; demum miles effectus, Alueradam illi amitam ſuam in matrimonium iunxit: ſicq; ſimul ingreſſi Calabriam, breui tempore vniuerſas ferè illius vrbes ceperunt. Poſt mortem autem fratris Hunifridi, honore ipſius recepto, Regium vrbem obſidens, capit, & ex tunc cępit Dux appellari. Reuerſus Apuliam cepit etiam Troiam, & ita paulatim, diuerſis licet temporibus, totam Terram, vniuerſosq; partium illarum Normannos, præter Richardum, ſuo ſubdidit dominatui. Cognito præterea, quod prædicta Alverada ſibi affinis eſſet, parat diuortium, ſororemq; Salernitani Principis cępit expetere in coniugium, quod & factum eſt. Et Alueradę conferens

Digitized by Google

ferens plurima dona, Calabriam cum Sicelgaita perrexit. Post hæc ad Saracenorum expugnationem, & acquisitionem Siciliæ, ingens Roberti animus vertitur: ad quam videlicet cum valido exercitu transiens, Messanam primo, quæ in portu sita erat, ex improuiso occupat: inde vrbem, quæ castrum Ioannis vocatur, ex quatuor partibus castellis communit; bella ibi prosperrima peregit, à Panormitano Admirato dona ingentia recepit. Castrum sancti Marci nomine in valle Demena construxit. Messana militibus communita, tandem ingenti auro onustus Calabriã repetit. Hydrũtum deinde tam diu obsidens afflixit, quousque illi se tradidit. Inde Barium terra, mariq; circundat, eamq; post quatuor circiter annos Argirizzi factione ingreditur. Rursus igitur ad Siciliæ, Panormiq; expugnationẽ cum nauali profectus exercitu, intra quinque mensium spatium Catanam primo, inde Panormum, deinde Mazaram cepit: sicq. fratrem Rogerium de tota inuestiens Insula, & medietatem Panormi, & Demenæ, ac Messanę sibimet retinens, acceptis Saracenorum obsidibus, thesauro ingenti ditatus, Calabriã rediit. Hæc igitur de Roberto breuiter tetigisse sufficiat: quia qualiter hanc Insulã ceperit, latius loco suo scribemus; nunc iam aliqua de Richardi Principatu scribemus.

Hic itaq. Auersanum, vt supra iam tetigimus Comitatum indeptus, ad Capuanæ vrbis expugnationem animum cępit intendere, & ad Principatus dignitatem toto nisu ambire. Supra quam cum tria castella firmasset, eamq. acriter debellans affligeret, septem millibus tandem aureis à Pandulfo iuniore susceptis, obsidionem soluit, sed ad tempus. Nam cum post mortem Pandulfi, Landulfus filius successisset, mox, & Richardus accedens obsidionem firmauit. Proferunt multam Capuani pecuniam, Richardus nil appetit nisi Terram. Arctati demum famis penuria ciues, cedente Landulfo, recipiunt hominem, sacrant in Principem, portas sibi duntaxat cum turrium fortitudine retinentes. Dissimulat hoc interim nouus Princeps, & aptius id expetendi tempus expectat. Non multo post, venit ad hoc Monasterium, recipitur honorifice nimis cum processione sollemni, placent omnia valde: rogatus à senioribus de loci tutela, deuotissime

tissime promittit, se totius Monasterij, contra omnes, quos posset, fidelissimum de cætero defensorem. Campaniam deinde profectus totam fermè intra tres menses acquirit. Inde Capuam rediens, congregatis nobilibus, dignum iam asserit esse, turres ciuitatis, & portas sibi contradi. Timentibus hoc, & omnino refutantibus agere Capuanis: iratus Princeps vrbem exit, eamq; rursus arctissima obsidione vndiq; cingit. Iterum ciues fame valida pressi, vltra montes, ad Imperatoris suffragium exorandum, Archiepiscopum suum transmittunt: sed qui verba detulit, verba recepit, sine aliqua vtilitate regressus. Tunc Capuani spe vndique decidentes, iamq; resistere non valentes, & turres tandem, & portas, & seipsos omnes cum suis omnibus *virtuti*
Ann. 1062 Principis tradiderunt, Anno Dominicæ incarnationis millesimo sexagesimosecundo, cum iam per decem circiter annorum circula Normannis viriliter repugnassent.

Theani incendium. Post paucum tempus diuino iudicio, nocte conflagrata Theano, mane Princeps cum exercitu venit, fugientibus Comitibus, ciuitatem, vltro tradentibus ciuibus, recepit: ita sibi Deo in omnibus pro incolarum nequitijs prosperante, Capuani Principatus attinentias cum ciuitatibus, & castellis, breui sibi tempore subdidit. In omnibus autem his prosperitatibus Deo, & Patri Benedicto semper gratias referebat, eius se meritis adiuuari, eius orationibus attolli certissime profitens. Iam verò Domnum Abbatem, quem dudum apud Capuam residentem (vt supra diximus) sibi amicissimum fecerat, exinde tanquam patrem modis omnibus venerari, eius consilijs se committere, ac ipsi quasi Domino libenter obtemperare, cepit.

CAPVT XVII.

PRIMO igitur anno, quo Princeps simul cũ Iordane filio factus est, iuxta morem priorum Principum generale præceptum fecit huic Monasterio de omnibus omninò pertinentijs, ac finibus suis; sequenti vero tẽpore fecit præceptum Monasterio nostro, quod

Digitized by Google

quod Capuæ situm est, de platea publica, quæ erat inter murum ciuitatis, & clausirum eiusdem cœnobij, vnde magnam inquietudinem Fratres, tam à quibuslibet transeuntibus, quàm & à vicinarum fœminarum garrulitatibus, quotidie patiebantur.

CAPVT XVIII.



ANTAE igitur potestatis Desiderius, Dei nutu, amicitia frætus: nequaquam tam acceptabile tempus negligendum ducens, eidem Principi, tum precibus, tum muneribus non exiguis instare cœpit, vt huic Monasterio, quod tantopere se diligere fatebatur, quietem dignaretur, & securitatem largiri, & castella nobis finitima, quibus vndiq. frequenter infestabamur, quæ videlicet ipse iam in sua ditione redegerat, eidem Monasterio, in perpetuum possidenda firmaret. Eius itaque votis Princeps gratantissime annuens; primo quidem castrum, quod Mortula dicitur, simul cum casa Fortini, dehinc oppidum Fractarum, cuius iam supra meminimus. Sequenti verò anno Roccam cognomine Cucuruzzum, cum omnibus pertinentijs eius; turrem quoque, quæ iuxta mare sita est in eo videlicet loco, quo mari liris fluuius admiscetur. Necnon & castellum Teramense. Hæc inquam omnia principalibus singillatim præceptis huic loco ex integro cõcessit, & confirmauit. Data sunt autem in commutationem eidem Principi pro Fractis, castellum, quod dicitur Capriata cum omnibus pertinentijs suis: additis insuper trecentis bizantijs. Pro Teramensi verò castro, datum est illi castellum, quod dicitur Conca, quod ipse nobis dudum reddiderat, vna cum curte de Miniano. Oppidum præterea vicinius Monasterio, quod Pesmontis vocatur, & infestius, ac molestius cæteris, eodem tempore à Comitibus Aquinensibus Desiderius commutauit, pro quo videlicet Roccam quidem vocabulo Cellarellum, & postam illis ex toto concessit, retento sibi lacu eiusdem loci, cum Ecclesiola, quæ iuxta est: partem verò de municipio S. Vibani, nobis tunc pertinen-

Digitized by Google

te, ideſt centum viginti familiâs, ſigillatim dedit Comiti Adenulfo, in vita tantum ſua tenendam, retentis ſibi familijs duodecim cum Eccleſia S. Vrbani & cum terra, quæ ſufficeret ad duo paria boum, ea videlicet cõditione, vt ſi vellet nobis prædictus Comes in vita ſua eiuſdem hominum familias reddere, nos daremus illi quinquaginta libras denariorum, ſin autem poſt mortem illius, in noſtram omnes illi homines ditionem redirent.

CAPVT XIX.

PER idem tempus oblata ſunt in hoc loco Monaſteria, & Eccleſiæ per diuerſa loca, quę ſuo ordine compendioſe ſubter annectimus, ab anno videlicet primo ordiationis ipſius, vſque ad dedicationem maioris Eccleſiæ, deinceps reliqua deſcripturi. Eccleſia ſanctæ Mariæ in *Aurola*, territorio Larinenſi. Eccleſia S. Benedicti intra ciuitatem Albanenſem. Monaſterium S. Mariæ de Cellis in territorio Carſcolano. Monaſterium S. Benedicti de Orbeto, loco Paſcuſano. Eccleſia S. Valentini intra Ferentinum. Monaſterium S. Marci de Carpenone, loco Aquaſonula. Monaſterium S. Demetrij intra ciuitatem Neapolim in regione Albinenſe. Eccleſia S. Petri in Orbeto loco Morino, & Eccleſia S. Luciæ prope caſtellum, quod dicitur Rendenaria. Monaſterium S. Euſemiæ in Marchia, territorio Theatino cum trecentis modijs terræ. Eccleſia S. Angeli, & S. Mariæ in Comino, loco Peſclo maſculino. Eccleſia S. Trinitatis, & S. Fœlicis in S. Vrbano. Eccleſia S. Ioannis de Conca, loco Pilano. Eccleſia S. Nicolai intra Aquinum iuxta plateam. Eccleſia S. Blaſij, & S. Ioannis in Bagnarola. Eccleſia S. Benedicti in territorio Aretino, loco Ficarola. Monaſterium S. Angeli de Algido, territorio Tuſculano. Eccleſia S. Petri in Pelgi, S. Fęlicitatis, S. Luciæ, S. Antonini in monte Porculi, territorio Tuſculano. Monaſterium S. Agathæ ſubtus ciuitatem Tuſculanam. Eccleſia S. Saluatoris in eadem ciuitate Tuſculana. Eccleſia S. Mariæ cognomento ad vineam,

ter-

Digitized by Google

territorio Tusculanensi. Monasterium, quod dicitur S. Ierusalē territorio Tusculano. Monasterium S. Angeli in Peſclo Veliternensi. Has omnes Gregorius Consul Romanorum B. Benedicto obtulit iuxta tenorem, qui in oblationis chartula continetur. Item Ecclesia S. Mariæ de Vppa territorio Carseolano. Ecclesia S. Nicolai, & S. Moyses apud Campaniam, loco Zumici. Ecclesia S. Angeli in Bettorito pago Marsorum. Ecclesia S. Erasmi, & S. Angeli, & S. Donati cum trecentis modijs terræ de Pomperano, similiter in Marsia. Ecclesia S. Christophori, & S. Constantij territorio Aquinēsi. Ecclesia S. Martini de Arpino. Monasterium quoque S. Petri de Burgano in finibus Luceriæ, cum vniuersis omninò pertinentijs, & possessionibus ipsarum omnium. Tunc temporis Baldoinus Comes de valle Sorana, obtulit, seu refutauit B. Benedicto tres curtes de Comino, quas per chartulam commutationis à parte huius Monasterij retinebat, ideſt Ecclesia S. Vrbani cum omni pertinentia sua, & Ecclesia S. Victorini cum ipso Lacu de Vicalbo; & Ecclesiam S. Angeli, quæ dicitur in Pratora, cum omnibus omninò pertinentijs, ac rebus quemadmodum à nobis acceperat. Eōdem quoque tempore Pandulfus Venafranus Comes obtulit B. Benedicto quartam partem de castello, quod dicitur Sextum, & medietatem totius partis suæ de valle Venafri, & de Theano, & de Carinulo, & de Caluo, & de Calatia, necnon & de omnibus, quæ possidere videbatur in toto Principatu Capuano. Alio etiam præcepto obtulit in hoc loco quartam partem de Cerreto plano, & Torcino, & medietatem de Rocca S. Gregorij, & de Vitecuso, & de Cerasolo, necnon & integrum castellum, quod dicitur Cerulanum, cum omnibus omninò sibi pertinentibus, ac possessionibus. Sed & Landulfus Comes Minlanensis, ad conuersionem veniens, obtulit curtem suam huic Monasterio non longe ab eodem Minlano cum duobus Ecclesijs. S. videlicet Maria, & S. Ioāne. Præterea & Ioannes Comes de Pontecuruo, cognomento Scintus, superius iam memoratus, obtulit in hoc loco Ecclesiam S. Angeli de loco, qui dicitur Merulanus, & Ecclesiam S. Blasij de castello, quod dicitur Pica, & integram curtem de Baniolo, & Sipizano, & castellum, quod appellatur

Digitized by Google

tur Paſtina, necnon & quatuor terræ iugera, cum vniuerſis prædictarum Eccleſiarum, curtiumq; poſſeſſionibus. Ioannes quoque filius Landolfi Comitis Theanenſis, per chartas, firmauit, & conceſſit in hoc Monaſterio integram partem ſuam de caſtello Mortula, & de omnibus, quæ illi à parte patris in eodem caſtello pertinere videbantur. Idem etiam fecit, & de altera integra parte ſua frater eius Landulfus. Per eos dies Berardus Marſorum Comes, ad hoc Monaſterium veniens, per chartam reddidit B. Benedicto Monaſterium S. Mariæ de Luco, ſimul cum Rocca, quæ ſuper ipſum Monaſterium conſtructa erat, & cum omnibus villanis, qui ibi reſidebant, & cum vniuerſis omninò per totam Marſiam pertinentijs eius. Tunc etiam Pandulfus quidam Siponti-nus ad obitum veniens, de quibuſdam poſſeſſionibus in mari, in loco, qui vocatur Rigora, ad piſcandum, oblatio-nem in hoc Monaſterio fecit.

CAPVT XX.

AESTVABAT interea ingenti deſiderio Deſiderius, Eccleſiaſtica etiam ornamenta (de quibus vſque ad id temporis pauperes admodum videbamur) vndequaque conquirere. Sed bonum deſiderium, donante Deo, non potuit in tanto homine inefficax eſſe, ſicut in ſequentibus perpidebitur. Partim itaq; de proprijs deferens, partim verò à Romanis amiciſſimis mutuans, centum & octuaginta librarum pretio congeſto, omnia ferè ornamenta Papæ Victoris, quæ hac illacq; per vrbem fuerant pignorata, redemit, quæ videlicet ſunt hæc. Pluuiale, diarodinum magnum, totum vndiq; auro contextum, cum fimbrijs nihilominus aureis. Planetam diacitrinam magnam, aureis liſtis vndiq; decenter ornatam. Aliam quoque exametam, friſo nihilominus aureo in gyro circundatam. Dalmaticam ſimiliter exameram, & albam à capite, & pedibus, ac manibus auro inſignitam. Tunicam diapiſtinam, cum ornatu ampliſſimo à pedibus, & manibus, ac ſcapulis, aureo. Stolas auro textas

cum

Digitized by Google

cum manipulis, & semicinctijs suis, numero nouem. Pannum diarodinum cum listis aureis pro Faldistorio.

Libet præterea hoc in loco designare singula, quæ ex eo, quo ordinatus est tempore, vsque ad renouationem Basilicæ maioris, in Ecclesiæ vtensilibus, siue fecerit, siue acquisierit: nam cætera deinceps plenius exequemur. Pastoralem virgam argento vestiuit, & deaurauit. Fecit etiam ante faciem altaris tabulam auream cum gemmis librarum circiter decem, necnon & thuribulum de auro cum gemmis, & smaldis librarum duarum. Librum quoque epistolarum ad missam describi faciens, tabulis aurea vna, altera vero argentea decorauit. Codicem etiam Regulæ B. Benedicti, pulchro nimis opere comptam, à foris argento vestiuit: similiter fecit de sacramentarijs altaris vno, & altero, & duobus nihilominus Euangelijs, & Epistolario vno. Nam vsque ad illud tempus in plenario missali tam euangelia, quàm epistolæ legebantur. Id ipsum fecit, & de alio libello in quo sunt orationes processionales. Fecit, & libellum ad cantandum ante altare siue in gradu, eumq; tabulis eburneis mirifice sculptis, & argenteo ornatis annexuit. Codicem quoque de vita S. Benedicti, & S. Mauri, & S. Scholasticæ describi studiosissime fecit. Sed & portellas argenteas ad ingressum chori librarum circiter triginta. Fecit & sedilia lignea in circuitu chori cum dossalibus eorum, sculptura simul, & pictura præstantes; sed & gradum nihilominus ligneum eiusdem operis extra chorum in ambonis modum, satis pulchrum constituit, in quo videlicet tam lectiones in nocte, quam etiam epistolæ, & euangelia ad missas præcipuarum festiuitatum legerentur.

Per eos dies etiam cum rumor increbuisset, Regem ad Italiam venturum, nequaquam segnis, perrexit Amalfim, ibiq; viginti pannos sericos, quos ariblattos vocãt, coemit: vt si forte necessarium esset, haberet, quod Regi donaret, pro tutela videlicet, & honore Monasterij huius Hydriam quoque argenteam librarum septem ibidem tunc acquisiuit, quàm ad ministerium aquæ sanctificatæ in processione dierum Dominicorum, cum alia eiusdem metalli, & quantitatis hydria postmodum donata, esse constituit. De ariblattis verò

verò omnibus (quoniam Rex de via reuersus fuerat) protinus fieri pluuiales iussit. Videns autem tunc portas æreas Episcopij Amalfitani, cum satis placuissent oculis eius: mox mensuram portarum veteris Ecclesiæ Constantinopolim misit, ibiq; illas valde pulchras fieri fecit. Nam nondum disposuerat Ecclesiam renouare, & ob hanc causam portæ ipsæ sic breues effectæ sunt, sicut hactenus permanent.

CAPVT XXI.

INTEREA (vt ad superiora redeam) defuncto apud Florentiam Apostolico, post duos annos, & dimidium, quibus Ecclesiæ præfuit, cum maxima seditio inter Romanos cepisset de ordinando Pontifice exoriri. Hildebrandus Archidiaconus cum Cardinalibus, nobilisq; Romanis consilio habito, ne dissensio conualesceret, Anselmum tandem *Episcopum* Lucensem, post tres circiter menses in Romanum Pontificem eligunt, eumq; Alexandrum vocari decernunt: nostro Desiderio Romam proficiscente, eiq; in omnibus suffragante. Quod cum ad aures Imperatricis, eiusq; filij peruenisset, indignatione nimia ducti, quod hæc sine illorum consensu, & auctoritate gesta fuissent, & ipsi nihilominus Cadaloum Parmensem Episcopum, vltra montes à Placentino dumtaxat, & Vercellino Episcopis, ipsa die festiuitatis Apostolorum Simonis & Iudæ, in Papam eligi faciunt: eumq; Romam è vestigio ad impugnandam siue exordinandam Ecclesiam, cum valida manu militum, & pecunia multa transmittunt; sed fauente Deo, licet plurimi Romanorum, necnon & plurimi capitaneorum illi, gratia Regis, adhæserint: licet etiam castellum S. Angeli ad vrbis oppugnationem illi tradiderint, cum semel, & bis magnis instructus copijs aduentasset, & immensam valde pecuniam profligasset, multamq; stragem, non minus suorum, quam cæterorum fecisset, ad vltimum clam de præfato castello egressus, turpiter cum paucis aufugit; nec vltra venire ad has partes apposuit. Quippe qui eodem anno, ideſt in prædictorum

Ann. 1061

Apostolo-

Digitized by Google

Apostolorum Simonis & Iudæ vigilijs, ab omnibus Theutonicis, & Italicis Episcopis, qui cum Rege tunc aderant, insto Domini iudicio, damnatus est, ac depositus.

CAPVT XXII.

QVINTVM iam ferè ordinationis suæ complebat Desiderius annum, cum terribilius solito, permissione diuina, fulmine Monasterium istud attactum est. Cum enim Fratres in Ecclesia die quadam de more, primæ horæ sollemnia agerent; subito cœlitus fulmen elapsum, ipsum hebdomadarium Sacerdotem, cui Manno erat vocabulum, honestæ famæ virum, in choro stantem, feriens extinxit: cæteros verò circunstantes, velut exanimes, ad terram prostrauit. Nouitium etiam quendam, extra chorum stantem, ante ipsam maiorem crucem percutiens, occidit. In capitulo tabulas officiales excidit, ipsumq; tabularium, ac si mortuum reddidit. Vultum imaginis Abbatis Richerij in eodem capitulo in tabella depictum, scidit pariter, ac deleuit, & in plerisque Monasterij locis percussit; fuit autem dies hæc quintodecimo Kal. Februarij. Quamobrem consilio cum Fratribus pater venerabilis habito; ad iram Domini placandam, statuit tunc per omnes menses primam sextam feriam communiter ab omnibus in abstinentia peragi, ac discalciatis pedibus procedendo, missam proinde specialiter celebrari, necnon & omnibus per annum quotidianis diebus orationem pro fulgure ad missam publicam, & ad psalmos pœnitentiales edici. Porrò cum Domnus Petrus Damiani (cuius iam supra meminimus) ad hoc Monasterium veniens, verbo pariter, & exemplo ad Dei seruitium feruẽti zelo quoscumque posset accenderet: tandem permissione Domni Abbatis, à cuncta congregatione voluntaria oblatione in remissionem omnium peccatorum obtinuit, vt per totius anni sextas ferias, pane tantum, & aqua contenti essent, ac per singulas singuli disciplinas, data confessione reciperẽt. Insuper & triduanum ieiunium in caput Quadragesimæ

Ann. 1063

Petrus Damiani.

drageſimæ per annos ſingulos agerent. Multotiẽs verò Deſiderio cogitanti, & reuelari ſibi oranti, quidnam eſſe vellet, quod ſic frequenter hunc locum prædictum flagellum attereret: quadam nocte per viſum Benedictus Pater apparuit, eiq; inter alia de hoc ſollicite percunctãti, nihil aliud, quàm diabolicas inſidias, & antiquam pro loco inuidiam eſſe perdocuit. Ego metipſe, cum adhuc in ſchola nouitiorum degerem, reminiſcor vna nocte, ad ſecundum dumtaxat nocturnum, ſexies in Eccleſia, & campanario fulmen percuſſiſſe. Alia quoque vice cum Anglo quodam, terrifice duos alios longe diſtantes, vno ictu ad portam maiorem cecidiſſe, & quod eſt mirabilius; puerulo cuidam *prædicto* Anglo innitenti, nil nocuiſſe.

Altera vice, prope paradiſi turrim, tranſeuntem quendam vetulum extinxiſſe. Altera, cuidam ex cementarijs corrigiam de tergo à capite vſque ad pedes incidiſſe, nec tamen exanimaſſe.

ADNOTATIO.

QVantum viguerit his temporibus monaſtica obſeruantia in ſacro cœnobio Caſſinenſi, docet præfatus Petrus Damiani, in quadam epiſtola ſcripta Abbati Deſiderio, poſt ſuum à Caſino diſceſſum, cuius exordium eſt: Qui ſolus de nimij fluctus procellis eripitur; vbi circa finem, eiuſmodi elogio, Caſſinenſe cœnobium, & monachos eius exornat, dicens. Igitur, vt iam omnes communiter alloquar, nolo vos lateat, venerabiles Fratres mei, quia ex quo glorioſi cœnobij veſtri limen exceſſi, vos iugiter præ oculis habui, vos intimæ dilectionis viſceribus aſtrinxi, atque vt fatear, redeunti mihi à Caſino ſacratiſsimo, idem mihi contigit, quod mulieri, quæ reuertebatur à tabernaculo Silo, vt nimirum vultus mei non ſint amplius in diuerſa commutati. Vobiſcum ſanè præſentialiter habito, vobis ſemper aſſiſto. Alioquin, ſi propterea non ſum vobiſcum, quia corporalibus oculis vos non intueor, ergo nec ipſi oculi ſunt in capite, quia caput cernere nequeũt: vel ipſi ſibimet oculi abſentes ſunt, quia nec quiſquam ſe, nec vterque ſe inuicem mutua contemplatione poſſunt conſpicere.

Beati

Digitized by Google

Beati siquidem, qui inter vos, & in sanctis operibus vestris moriuntur. Pia nimirum fide credendum est, quia scala illa, quæ de Casino mõte olim in cœlum videbatur erecta, adhuc pallijs strata, lampadibus coruscat: & sicut tunc excepit Ducem, ita nunc exercitum transmittat ad cœlestia subsequentem. Nec ab eius glorioso tramite exorbitant declinantes iam defuncti, cuius in hoc exilio, dum viuerent, vestigia sunt sequuti. Hoc est intimi feruoris incendium illud, quod mihi inextinguibiliter flagrat in corde. Hæc perpes fabula, quæ meo versatur in ore. Inter cunctos autem virtutum flores, quos in illo agro pleno, cui benedixit Dominus reperi: hoc fateor mihi non mediocriter placuit quod ibi scholas puerorum, qui sæpe rigorem sanctitatis eneruant, non inueni: sed omnes aut senes, cum quibus vir nobilis sedebat in portis Ecclesiæ, aut iuuenili decore lętantes, qui nimirum, vt filij Prophetarum, idonei sunt ad Eliam per deserta quærendum, aut certe adolescentię adhuc flore vernantes, iuxta Apostolum Ioannem, vicere malignum. Hęc sunt, quę de Casino, & Casinensibus Monachis vir ille sanctus, non aliorum relatu, sed proprio intuitu perspecta, vere, & fideliter scripsit. Cuius testimonio aperte constat, quam sancti, ac omni virtutum genere florentes fuerint tunc Casinenses Monachi.

CAPVT XXIII.

DER idem tempus legati ex parte Baresonis Regis Sardiniæ ad hoc venere cœnobium, per quos B. Benedicto duo magna, & optima pallia Rex idem transmittens; orat sibi aliquot ex nostra congregatione Fratres, ad Monasterium constituendum transmitti; spondens, & pollicens maximum in Regno suo nostris vtilitatibus honorem, & commodum peruenturum, si monasticæ religionis studium, hactenus partibus illis incognitum, qualiter apud nos tunc vigere perceperat; apud eos deinceps, nobis studentibus, assueseeret. Mox venerabilis pater, deliberato consilio, duodecim de melioribus huius cœnobij Fratribus elegit, eisq;

Regis Sardiniæ legatio.

Digitized by Google

Desiderius monachos in Sardiniam mittit.

eisq; tam diuinarum scripturarum codices, cum diuersis Ecclesiastici ministerij apparatibus, ac sanctorum patrocinijs plurimis; quam & diuersarum rerum suppellectilem abundanter præbens, necnon & Abbatem, qui illis præesse deberet instituens, nimis eos honorificè cum Caietanorum naui illuc direxit. Veruntamen, Deo permittente, & Satana impediente, res eadem eodem tempore ad effectum peruenire non potuit. Pisani siquidem, maxima Sardorum inuidia ducti, cum iam nostri ad Insulam, quæ Lilium vocatur, prospero satis euentu transissent: ex improuiso super illos cum armatis nauigijs veniunt, & tam nostros, quàm cæteros omnes indiscrete simul, & nimis iniurioſe tractantes, vniuersa diripiunt: insuper etiam prædictæ Legationis Principem, patibulo iam parabant crudeles affigere, nisi monasticum habitum, quodam ex nostris illi porrigente, protinus induisset. Post hæc incensa naui, & vestimenta solummodo nostris restituentes, cæteris omnibus onusti, & hilares ad propria remearunt. Nostros autem per diuersa ab eis loca dispersos, Fratres nostri de Monasterio Lucensi, *pio studio* disquirentes, reperiunt, omnesq; præter quatuor, qui iam ad Christum migrauerant, ad Monasterium suum, conductis vehiculis reuehunt, quiq; postmodum, licet diuersis temporibus, eodem tamen anno, vniuersi ad nos ferè reuersi sunt. Viderat præterea quidam de nostris triduo antequã ista contingerent, visionem; nauiculam videlicet vnam contra se perniciter properantem. Quam iuuenis quidam valde decorus, & senex supra solis radium splendens, sceptrum gerens in manu ducebat. Cumq; iam sibi esset contigua, mox sceptriger ille in prora se subrigens, nauis nostræ nauclerum nominatim vocauit. Cui respondenti, senex quasi valde commotus: putatis, ait, vos cum causa nostra tutò Sardiniam pergere? nequaquam planè id erit. Et hæc dicēs nauem illius valido impulsu feriens, vertit, & vela omnia in mare disiecit; moxq; disparuit. Mane somnio recitato, diuersi diuersa coniecere, & quidam quidem vehementissime trepidare; quidam verò nequaquam somniorum illusionibus asseuerabant intendendum esse. Piratæ igitur illi cætera omnia inter se diuidentes; scrinium reliquiarum cuidam

Digitized by Google

dam eorum (qui caput facinoris illius extiterat) apud se custodiendum contradunt: sacramento se inuicem obstringentes, nullo vnquam tempore, nullo modo, nulli hominũ, nisi aliter forte non possent, se id reddituros. Sed cum infelix inde ad domum suam eadem sanctorum reliquias detulisset, & inhoneste, ac sine reuerentia illas haberet; terribilis Dominus in consilijs super filios hominum. Quadam die cubiculum illud, causa alicuius vtilitatis, ingressus, subito corruit, & expirauit: Quod vbi innotuit, magnus horror protinus vniuersos inuasit, & die altera discalciatis pedibus venientes, cum ingenti reuerentia, & honore, præfatas reliquias ex inde abstulerunt, atque ad Episcopium cum magnis Dei laudibus transferentes, ibidem illas debita tractandas honorificentia, posuere.

CAPVT XXIV.

SARDORVM interea Rex, digna pro tantis iniurijs satisfactione à Pisanis recepta, cum rursus ad hoc Monasterium mandasset, se quidem multo ardentius in priori deuotione persistere: nos verò propter id, quod euenerat nequaquam debere negligere; duos tandem illuc Fratres iam post biennium ferè transmissos, Rex idem alacriter nimis recepit, eisq; Ecclesiam B. Mariæ in loco, qui dicitur Bubalis, necnon & S. Heliam de monte sancto, cum integro ipso monte ad Monasterium constituendum per præceptum concessit, cum colonis, & seruis quamplurimis, & cum substãtijs, ac possessionibus magnis. Hunc æmulatus ad bonum alter Rex eiusdem Sardinię, nomine Torkytorius, fecit & ipse chartulam oblationis suæ; & transmisit ad hoc Monasterium, de sancto scilicet Vincentio de Taberna cum seruis multis, & substantijs plurimis: necnon & de S. Maria ad flumen tepidum, & de S. Martha, & de S. Pantaleone ad Oliuanum, & de S. Gregorio de Tului, atque de S. Maria de Palma: omnes, inquam, Ecclesias has, cum vniuersis earum pertinentijs ad Monasterium ex eis constituendũ, Rex prędictus Ann. 1064

dictus per chartam B. Benedicto cõtribuit. Ad Pisanos præterea Legatus ab Alexandro Papa simul cum monacho nostro directus est, vt nisi anathema vellent Apostolicum protinus experiri, causam B. Benedicti, quam nequiter arripuerant, ex integro redderẽt, & debita se satisfactione purgantes, nunquam amplius eos aliquatenus disturbare præsumerent. Qui mox eius obsecundantes Imperijs, & impie circa nos egisse profitentes, veniam supplices postulant, & quæq; tunc superesse, ac reperiri de his potuerunt, supplici satisfactione restituunt, exceptis dumtaxat sanctorum reliquijs, pro quibus se, vt superius dictum est, iuramento constrinxerant. Non autem multo post, cum Gotfridus Dux Pisam venisset, Duce interueniente, atque studente post *multiplicem* satisfactionem, Pisani in eius gratiam redeunt, & tam eidem patri, quàm & loco huic se fidelissimos fore de cætero pollicentur.

CAPVT XXV.

INTEREA cum supradictus Princeps Richardus victorijs, ac prosperitatibus multis elatus, subiugata Campania ex parte, ad Romæ iam se vicinia porrexit, ipsiusq; iam vrbis patritiatum omnibus modis ambiret, Theutonici Regis peruenit ad aures. Qui vt & bona sancti Petri de manibus Normannorũ eueret, & Imperij coronam de Apostolici manu reciperet, magna cum expeditione peruenit Augustam, ibi præstolans Gotfridum, Tusciæ videlicet Marchionem, qui Regem quoties Italiam deberet intrare, cum sua solitus erat militia præire. Sed quoniam Gotfridus idem longe præcesserat, Rex hoc nimis indignè ferens, eandem mox expeditionem remanere præcepit. Dux autem copioso valde vallatus exercitu Romam accessit. Huius Normanni aduentu comperto, maximo correpti tremore, vniuersam protinus Campaniam deserentes, aufugiunt: & Iordane tantum, & Gulielmo (qui Mostarola dictus est) cum suis in Aquino, se illi contraire parantibus, cæteri cum Principe Patenariam, rei euẽtum.

tum cum suis omnibus præstolantur. Gotfridus itaq; Apostolico, & Cardinalibus comitatus, mediante iam Maio, Aquinum cum vniuerso exercitu venit, ibiq; per octo, & decem dies cum obsistentibus Normannis pari fermè euentu confligens, tandem satagente feruentissimo internuntio Gulielmo (cui Testa ardita fuit cognomen) ad id ventum est, vt ad pontem S. Angeli, qui dicitur Todici, Dux, & Princeps altrinsecus (nam interruptus erat) se ad colloquium iungerent; sic non parua, vt dicitur à Normannis donatus pecunia, Dux ad propria repedauit. Per eos dies, stella, quam cometam vocant, ingentem retro se facem gerens, spatio viginti, & amplius dierum apparuit, quæ eiusdem, vt fertur ducis (non enim multo post defecit) mortis prænuntia fuit. Ann. 1065

CAPVT XXVI.

SED cum prædictus Apostolicus magnæ admodum circa hoc Monasterium deuotionis existeret, satagente pariter, & instigante Hildebrando Archidiacono, si quos ex hac domo Fratres à Domno Abbate acquirere poterat, vel suo lateri ad Ecclesiasticum ministerium sociabat, vel certè in Episcopos, siue in Abbates, honorificè promouebat. Todinum igitur Berardi Marsorum Comitis filium, Romam ad se accersitum, in Lateranensi Patriachio Leuitam constituit. Aldemarium quoque felicis memoriæ, Capuanæ ciuitatis prudentissimum, ac nobilem clericum, & Richardi Principis olim Notarium, qui meus in conuersione magister extiterat, quiq; in Abbatem Fratribus Sardiniam missis dudum fuerat ordinatus: postquam reuersus ad Monasterium est, in Ecclesia S. Laurētij, quæ appellatur foris muros Cardinalem simul, & Abbatem sacrauit; sed & Ambrosium Mediolanensem prudentem nihilominus, & eruditum non mediocriter hominem, in Tarracinensi Ecclesia Episcopum ordinauit. Geraldum etiam doctissimum per omnia clericum, Theutonicum genere, Archiepiscopum Ecclesię Sipō-

Aldemarius Leonis Ostiensis magister.

Digitized by Google

tinæ præfecit. Per idem quoq; tempus, & Milo Capuani Monasterij Præpositus, in Sueſſanam Eccleſiam Epiſcopus factus eſt, & Petrus, qui dicebatur Atenulfi patris cognomine, de nobilibus Capuanis, qui poſtmodum Romæ factus eſt Cardinalis, ad Abbatiam S. Benedicti de Salerno, cuius iam ſupra fecimus mentionem, rogatu Salernitani Principis eſt tranſmiſſus. Eodem tempore ſollemne Deſiderio priuilegium idem Apoſtolicus, præter cætera, ſuper omnimoda huius cœnobij libertate conceſſit: ne videlicet aliquis alicuius Eccleſiæ Epiſcopus, præter Romanum Pontificem, non ſolum in noſtra, ac principali Eccleſia, verum etiam in omnibus vbiq; locorum nobis pertinentibus cellis, quælibet ditionem vſurpare, quolibet modo præſumeret, auctoritate Apoſtolica interdicens. Quo etiam tempore, *cum* Hildebrandus Capuanus Archiepiſcopus, elatione quadam turgidus, contra hanc auctoritatem fuiſſet ſub murmurare conatus, publicè in Romana Synodo, nobis ſuper hoc proclamantibus, priuilegijs Apoſtolicæ ſedis conuictus, ſe peccaſſe confeſſus eſt. Vnde tam ſibi, quàm ſuis ſucceſſoribus vniuerſis, ſub diſtricto tunc anathemate interdictum eſt, vt nullam vlterius inde auderent aſſumere quæſtionem, nullam prorſus contra hunc venerabilem locum promouere aliquando litem.

CAPVT XXVII.

Monaſterium Tremitenſe.

PRAETEREA cum de Rectoribus Tremitenſis cœnobij (quod nobis antiquitus pertinuiſſe, Romanorum quoque Pontificum priuilegia, pleraq; teſtantur) multa eo tẽpore inhoneſta, & nefanda diuulgarentur, eidem Deſiderio ad diſquirendum, & diſponendum illud, prout ſibi optimum videretur, data ab Apoſtolico auctoritas eſt. Qui cũ Abbatem eiuſdem loci Adam, multorum facinorum reum conuictum, exinde ſubduxiſſet, Roberto de Laurobello, & Petrone de Leſina Comitibus, & Epiſcopis Troiano Draconarienſi, ac Ciuitanenſi, necnon & Abbate Terræ maioris

ſe-

Digitized by Google

se comitantibus, insulam præfatam ingressus Transmundum ibi filium Oderisij Marsorum Comitis, nimis honorifice ordinat in Abbatem. Egregiè sanè tunc indolis adolescentem, prudentia, & litteris non parum valentem, honestis quoq; moribus hoc in loco à puero institutum, nisi demum pessimorum loci ipsius Fratrum consilijs assensus fuisset, sed illorum planè, quos illi etiam noster Abbas iniunxerat auscultandos; nam reuertentibus nostris, paucos post dies, tribus de prioribus eiusdem loci monachis oculos eruit, vni vero linguam abscidit: fuerant enim apud eum de rebellatione Insulæ à socijs insimulati. Quod vbi Desiderio nostro relatum est, indigne nimis, & grauiter excepit, & maximo est super his mœrore confectus; tum pro pastorum miseria, tum pro iubentis sententia, tum denique, quod erat præcipuum, & quod magis cor eius angebat, pro loci huius infamia. Et quoniam eodem anno dedicationis Ecclesiæ nostræ fieri præstolabatur sollemnitas, ad eam Transmundus sustinetur venturus, ac iuxta culpæ modum sententiam excepturus. Quem cum venisset, in totius Monasterij conuentu aspera nimis, & digna castigatione correptum, grauiori pœnitentiæ subdidit, eumq; illuc remeare vlterius non permisit. Hildebrandus autem Archidiaconus, ea quæ Transmundus gesserat omnimodis approbans, & nequaquam illum hoc crudeliter, sed strenuè, ac dignè in malignos homines fecisse confirmans, nondum anno completo, cum à Domno Abbate aliquando difficulter extorsit, atque Abbatiam S. Clementis de Insula, Baluensis Comitatus, primo illi committens, paulo post eidem Baluensis Episcopatus addidit dignitatem. Post hæc Desiderius Ferro monachum, cui præfatus Transmundus Monasterium commiserat, ad se venire mandauit. Qui cum ad illum accedere detrectaret: Desiderius verò ad illas partes pergere, pro his, quæ contigerant, quodammodo erubescceret: post annum integrum, & octo circiter menses, Duci à Sicilia reuertenti, super istis conquestus est; qui protinus illuc transmittens, eum exire compulit, & in potestatem Desiderij delegauit. Comitatus itaq; Dux Episcopis, & Abbatibus, ac monachis, simulq; Petrone Comite Lesinensi, duobus galeis armatis, Insulam ingressus

ingressus est, die altera ab vniuersis eiusdem cœnobij Fratribus de eadem Abbatia sollemniter inuestitus. Rogatus autem, vt illos firmaret, ne aliquando idem Monasterium, Monasterio Casinensi subijceret, sed in ditione illud propria retineret, abnuit. Rogatus etiam, vt ab omni deinceps Casinensium Fratrum calumnia, vel quærimonia, in perpetuum illud esse quietum statueret, abnuit, & hoc se (quia iniustum esset) nequaquam facere debere respondit. Ita ergo, iuxta quod placuit, omnibus ordinatis, tribusq; de Fratribus nostris ad custodiam derelictis, reuersus est. Sed cum postmodum reuocatis prædictis Fratribus, cuidam alij de nostris eiusdem loci regimen commisisset, ille maligno vsus consilio, fastu quodam superbiæ inflatus, assumpta tyrannide, rebellare elegit, ita vt semel, & bis euocatus, ad Desiderium venire contempserit. Quem cum excommunicasset, non multos post dies, studio fidelium Desiderij, simul cum suis fautoribus turpiter captus, atque ad eum perductus est. Et illum quidem non multo post ab excommunicatione solutum, rursus Asculensi cellæ præfecit. In prædicto verò cœnobio suam vicem Abbati Terræ maioris commisit. Quo post non multum tempus defuncto, rursus, quasi iam nauseus, supradicto Ferro eiusdem loci curam restituit. Sed de his hactenus, nunc ad superiora redeamus. Et quemadmodum nouam B. Benedicti basilicam, vel ædificauerit, vel dedicauerit, vel adornauerit, prout ipsi præsentes inspeximus, describere properemus.

CAPVT XXVIII.

IN omni igitur, Abbas venerabilis, prosperitate, atque quiete, meritis beatissimi Patris nostri Benedicti diuinitus constitutus, & in tanta ab vniuersis in circuitu honorificentia habitus, vt non modo mediocres quiq;, verum etiam ipsi Principes, ac Duces libēter ei obedire, eiusq; voluntati, non aliter, quam sui patris, ac domini in omnibus parere studerent, ad veteram diruendam Ecclesiam, & nouam

nouam pulchrius, atque augustius ædificandam, non sine diuino instinctu, animum appulit, quamuis plerisq; tunc de nostris prioribus graue nimium id, & intentabile, videretur, plurimumq; ab hac intentione mentem illius auuertere, tum precibus, tum rationibus, modisq; omnibus sunt conati: quippe à quibus, omni vitæ suæ tempore, tantum opus non posse perfici, existimaretur, cum ille Deo fidens ad omnia, quæ pro Deo fiunt, Dei sibi solius polliceretur, ac præstolaretur auxilium. Anno itaq; ordinationis suæ nono, diuinæ autem incarnationis millesimo sexagesimosexto, Ann. 1066
mense Martio, indictione quarta (constructa prius iuxta infirmantium domum, non satis magna B. Petri Basilica, in qua videlicet Fratres ad diuina officia interim circumuenirent) supradictam B. Benedicti Ecclesiam, tam paruitate, quàm deformitate thesauro tanto, tantæq; Fratrum congregationi incongruam, euertere à fundamentis aggressus est. Et quoniam in ipso montis vertice constructa, & ventorum vehementibus flabris quaqua versum patuerat, & igneis frequenter fuerat attacta fulminibus, statuit (de solo Dei auxilio fidens) eiusdem montis saxeam cristam signi, ferroq; excindere, & quantum spatio fundandæ Basilicæ posset sufficere, locum in imo defossum, quo fundamenta iacerent, complanare. Ordinatis igitur, qui hæc toto nisu, & instantia summa perficerent, ipse interea Romam profectus est, & amicissimos quosq; conueniens, simulq; larga manu pecunias opportunè dispensans, columnas, bases, ac lilia, necnon & diuersorum colorum marmora abundanter coemit, illaq; omnia ab vrbe ad portum, à portu autem Romano per mare vsque ad Turrem Gariliani, indeq; ad Suium, nauigijs conductis, ingenti fiducia, detulit. Ab inde verò vsque in hunc locum, plaustrorum vehiculis, non sine labore maximo, comportauit. Et vt magis feruorem fidelium obsequentium admireris: primam hic columnam ab ipso montis initio, sola ciuium numerositas, colli, brachiorumq; virtute, imposuit; nam montis huius ascensus nimis tunc erat cliuosus, arctus, & horridus: nec dum enim in cor eius ascenderat eandem viam complanare, ac spatiare, quemadmodum postea fecit. Tandem igitur totius Basilicæ præter

adytum,

Digitized by Google

adytum, cum difficultate non parua, ſpatio complanato, & neceſſarijs omnibus abundantiſſime apparatis; conductis protinus peritiſſimis artificibus, tam Amalfitanis, quam & Lombardis, & iactis, in Chriſti nomine, fundamentis: cepit eiuſdem baſilicæ fabricam in longitudine cubitorum centũ & quinque, in latitudine verò cubitorum quadragintatriũ in altitudine autem cubitorũ viginti & octo: baſibuſq; ſuppoſitis calumnas deſuper decem à latere vno, totidemq; ex altero in cubitis nouem erexit: feneſtras quoque in ſuperioribus ſatis amplas, in naui quidem, viginti & vnam, in titulo verò ſex longas, & rotundas quatuor, ac duas in abſida mediana inſtituit. Porticus etiam vtriuſque *parietes* in altitudine cubitorum quindecim ſubrigens, *feneſtris hinc* decem, totidemq; inde diſtinxit. Adytum interea, cum planitiei baſilicæ, quæ cubitorum ferme ſex putabatur, conſequenter diſponeret coæquare, tres non integras vlnas fodiens: ſubito Benedicti Patris venerabilem tumulum reperit: mox cum religioſis viris communicato conſilio, ne illum aliquatenus mutare præſumeret: confeſtim ne quis aliquid de tanto poſſet theſauro ſurripere, eũdem tumulum eodem quo ſitus fuerat loco, pretioſis lapidibus reoperuit, ac deſuper arcã de pario marmore in tranſuerſum baſilicæ, ideſt à Septentrione in meridiem, quinque per longum cubitis, opere nimis pulchro, conſtruxit. Hoc itaq; modo adytum in eminentia priori permanſit: ita vt à pauimento ipſius vſque ad pauimentum baſilicę octo gradibus deſcendatur, ſub fornice ſcilicet maximo, qui eidem adyto imminet, præter illum vtiq; gradum, quo vndiq; ad altare ſubitur. Porrò in abſida maiori ad orientalem plagam, ſtatuit altarium B. Baptiſtæ Ioannis, in eo videlicet loco, vbi eiuſdem olim Oratorium Benedictus Pater extruxerat: à parte verò meridiana altarium B. Dei Genitricis, à ſeptentrionali autem altarium B. Papæ Gregorij, iuxta cuius abſidam bicameratam domum, ad theſaurum Eccleſiaſtici miniſterij recondẽdum extruxit; quæ videlicet domus ſecretarium conſuetudinaliter appellabatur, eiq. eiuſdem nihilominus operis alterã, in qua miniſtri altaris præparari debeant, copulauit. Sanè quoniam ſpatiandæ Eccleſiæ gratia partem non modicam

Corporis S. Benedicti inuentio.

cãmeræ

Digitized by Google

cameræ suæ subtraxerat, cõsequenter etiam prædicto secretario coniunctam, eandem cameram ampliorem priori porticu, ac pulchriorem effecit: secus ipsam verò iuxta porticum scilicet, principalis Ecclesiæ B. Nicolai, curuato pariete breuem eiusdẽ, sed pulchram admodum fundauit ædiculam: ab ipsa autem vsque ad extimam basilicæ frontem, venerabile satis B. Bartholomæi Apostoli Oratorium, opere pari porrexit. In eius etiam fronte prope valuas maioris Ecclesiæ, de quadratis, & maximis saxis, mirificam arcem, quæ vulgo campanarium nuncupatur, erexit. Fecit, & atriũ ante Ecclesiam, quod nos Romana consuetudine, Paradisum vocitamus, longitudine cubitorum septuagintaseptem, ac semis, latitudine quinquagintaseptem, ac semis, altitudine verò quindecim, & semis: quatuor, & quatuor in geminis frontibus, octo autem, & octo per latera singula, super quadrifidas bases habens columnas. In cuius etiam meridiano latere cisternam maximam tantundem longitudinis habẽs, arcuato opere, sub eiusdem pauimento atrij, fabricauit. Ante ingressum verò basilicæ, necnon & ante introitum atrij, quinque desuper fornices, quos spiculos dicimus voluit. In occidentali porrò atrij parte, in singulis cornibus, singulas basilicas modo turrium valde pulchras erexit: in dextro S. Archangeli Michaelis, in læuo autem B. Apostolorum Principis Petri, ad quas videlicet interius ab atrio quinque gradibus est ascensus. Iam verò extra atrij vestibulum, easdẽq. basilicas, quoniam cliuosus valde ad Ecclesiam erat ascensus, montem ipsum sexaginta & sex per longum, totidemq. per latum cubitis excauauit, adeò vt ab imo vsque ad ipsum vestibulum atrij, quatuor & viginti marmoreis gradibus, quos ibi constituit, ascendatur.

CAPVT XXIX.

LEGATOS interea Cõstantinopolim ad locandos artifices destinat, peritos vtiq. in arte musiaria, & quadrataria, ex quibus videlicet alij absidam, & arcum, atque vestibulum maioris basilicæ musiuo opere ordinarent; alij verò totius Ecclesiæ pauimentum diuersorum

forum lapidum varietate consternerent. Quarum artium tunc ei destinati magistri, cuius perfectionis extiterint, in eorum est operibus æstimari, cum & in musiuo animatas ferè autumet se quisq. figuras, & quæq. virentia cernere; & in marmoribus, omnigeni coloris flores, pulchra putet diuersitate, vernare. Et quoniam artiũ istarum ingenium à quingentis, & vltra iam annis magistra Latinitas intermiserat, & studio huius inspirante, & cooperante Deo nostro, hoc tempore recuperare promeruit: ne sanè id vltra Italiæ deperiret, studuit vir totius prudentiæ, plerosq. de Monasterij pueris, diligenter eisdem artibus erudiri. Non autem de his tantum, sed & de omnibus artificijs, quæcumque ex auro, vel argento, ære, ferro, vitro, ebore, ligno, *gypso*, vel lapide patrari possunt, studiosissimos prorsus artifices de suis sibi parauit. Sed hæc alias.

Nunc verò cõstructam basilicam qualiter ex parte decorauerit, prout possumus designemus. Plumbeis igitur domatibus illam totam cum titulo, & vtroque porticu, ac vestibulo decenter operiens: absidam, & aream maiorem musiuo vestiuit, in cuius videlicet circuitus amplitudine, aureis literis hos versus describi præcepit.

Vt duce te Patria iustis potiatur adeptis,
Hinc Desiderius, Pater, hanc tibi condidit aulam.

In absida verò hinc inde sub pedibus sanctorum Baptistæ & Euangelistæ Ioannis versus istos.

Hæc domus est similis Synai sacra iura ferenti,
Vt Lex demonstrat hic, quæ fuit edita quondam:
Lex hinc exiuit, mentes, quæ ducit ab imis,
Et vulgata, dedit lumen per climata sæcli.

Fenestras omnes tam nauis, quàm tituli, plumbo simul, ac vitro, compactis tabulis, ferroq. connexis, inclusit. Eas verò, quæ in lateribus vtriusque porticus sitæ sunt, gypseas quidem, sed simplis ferè decoris extruxit. Dehinc supposito trabibus laqueari, coloribus, figurisq. diuersis mirabiliter insignito; parietes quoque omnes pulchra satis colorum omnium varietate depinxit: pauimentum etiam vniuersum totius Ecclesiæ cum adhærentibus Oratorijs B. Bartholomæi, & B. Nicolai, mira prorsus, & hactenus partibus istis incognita,

Digitized by Google

incognita, eæsorum lapidum multiplicitate construxit: sed illud præcipuè, quod secus altarium est, & in choro gradibus illis, quibus ad idem altare conscenditur, crustis prætiosorum marmorum, decenti diuersitate distinctis. Frontem quoque chori, quem ferè in medio basilicæ statuit, quatuor magnis marmorum tabulis sepsit, è quibus porfiretica vna, viridis altera, reliquæ duæ, ac cæteræ omnes in chori circuitu simplices. Vestibulum autem Ecclesię, desuper quidem musiuo fecit pulcherrimo, cum superlimineis arcubus decorari. Ab inde verò vsque ad limum pauimenti, totam basilicæ faciem gypso vestiri. Arcus etiam eiusdem vestibuli deforis musiuo nihilominus vestiens, versus Marci Poetæ inibi aureis litteris scripsit. Reliquas verò tres atrij partes diuersis tam veteris, quàm noui testamenti historijs ab intus, ac de foris depingi præcipiens, marmore totum pauimentum construxit. Desuper autem laquearibus, ac tegulis operuit, vestibulo quoque eiusdem atrij cum geminis turribus pari modo depicto, operto, ac marmorato.

CAPVT XXX.

De Cassinensis Ecclesiæ dedicatione.

HIS igitur omnibus intra quinquennij spatium, Deo prosperante, & auxiliante, peractis, dedicare basilicam sollemnitate maxima, & ingenti tripudio ad sempiternam memoriã, Desiderius statuit: adiẽsq; summæ sedis Pontificem Alexandrum, ad eãdem illum dedicationem venire deuotissime inuitauit. Quo libentius annuente, Hildebrandum quoque Archidiaconum eius, cæterosq; Cardinales, ac Romanos Episcopos, deq; Vrbanis clericis, de nobilibus plurimos, affectu familiarissimo conuocauit. Die tantæ sollemnitatis, ex consultu Apostolici, & Cardinalium, in ipsis Kalendis Octobris constituta, ac litteris inuitatorijs eiusdem Apostolici ad vniuersos Episcopos Campaniæ, Principatus, Apuliæ, atque Calabriæ datis.

Fama itaq; huius rei longè, lateq; vulgata, tanta totius ferè Italiæ Episcoporum, Abbatum, monachorum, clericorum,

Digitized by Google

rum, magnatum, nobilium, mediocrium, diuerſæq; conditionis virorum pariter, ac mulierum, ad diem condictam, multitudo confluxit, vt ſtellarum ferè cœli, quam illorum omnium numeroſitatem, cuilibet fuerit æſtimare facilius. Ita vniuerſæ Monaſterij officinæ, & ipſa quoq; officinarum omnium tecta: ita totius ab imo, vſque ad ſummum montis itinera; & domus ciuitatis omnes, omnesq; plateæ, omnia etiam longe, lateq; camporum adiacentium ſpatia, congregatorum ad tanta ſollemnia cuneis ſtipata erant, atque cõferta. Apparatus interea per tres illos continuos dies præcedentes, ac ſubſequentes eamdem ſollemnitatem, in pane videlicet, ac vino, carnium diuerſarum, ac piſcium *multi*plicitate, adeò eſt copioſus expoſitus, vt nullus ferè *aliquis* in tam innumera multitudine, quin ſe ſufficienter hæc accepiſſe, dixerit, potuerit reperiri. Interfuere, itaq; tantę tunc celebritati Archiepiſcopi decem, Epiſcopi verò quadraginta quatuor. De magnatibus autem Richardus Princeps Capuanus cum Iordane filio, & fratre Rainulfo, Gifulfus Princeps Salernitanus cum fratribus ſuis, Landulfus quuq; Princeps Beneuentanus, & Sergius Dux Neapolitanus. Nam Dux Robertus Panormum eo tempore oppugnabat, ideoq; tantæ ſollemnitati tunc intereſſe non potuit. Sed & Marſorum Comitum, ac Baluenſium, filiorumq. Borrelli ingens frequentia. Horum igitur omnium ſumma deuotione, & ingenti lætitia, maximo honore, ac præcipua gloria, dedicata eſt eadẽ B. Benedicti baſilica, cum quinque altaribus ſuis, ipſa die Kalendarum Octobrium, Anno incarnationis diuinæ milleſimo ſeptuageſimoprimo, indictione nona, die Sabbathi. Et altaria quidem mediana B. videlicet Benedicti, & S. Ioãnis vocabulis inſignita, manu propria prædictus Apoſtolicus benedixit: altare verò, quod in auſtrali parte ad honorem ſanctæ Dei Genitricis eſt ſitum, Ioannes Epiſcopus Tuſculanenſis. Quod autem in parte Aquilonari ad nomen B. Gregorij, Hubaldus Epiſcopus Sabinenſis: ſancti verò Nicolai, Eraſmus Epiſcopus Segninus, ſollemniter dedicarũt. In altari B. Benedicti recondita ſunt duo argentea ſcrinia, plurima ſanctorum pignora continentia, intra ipſum altare honorificè in marmore ſuperiori ſuſpenſa, quæ Reuerendiſſimus

Ann. 1071

mus Benedictus Papa ob amorem, & reuerentiam sanctissimi Patris nostri Benedicti, de archiuio Lateranensis palatij abstrahens, in hac Ecclesia Cassinensi direxit, primo anno Abbatis nostri Theobaldi, Anno dominicæ incarnationis millesimo vigesimotertio: & hoc omnino interdixit idem sanctissimus Papa, vt nullus præsumat hinc aliquid auferre. Reliquiæ autem istæ sunt, de ligno Domini, de sanguine Domini, de vestimentis Domini, de spinea corona, de lapide S. Sepulchri, de velo S. Dei Genitricis Mariæ, Apostolorum Petri, & Pauli, Andreæ, Ioannis, Iacobi, & Thomæ, Bartholomæi, & Matthæi, Simonis, & Iudæ, & Matthiæ. Spongia cum sanguine S. Prothomartyris Stephani, Laurentij, Stephani Papæ, Pelagij Papæ, Martini Episcopi, Prudentij, Iuliani, Augustini, Christophori, Aemiliani, Nicandri, & Marciani, Alexij, Anastasiæ, Eugeniæ, Ioannis & Pauli, Quadraginta Martyrum, & aliorum multorum locatæ. Præter sanctorum reliquias in prædictis altaribus hac die consecrationis ipsorum reconditas, tacendum non duximus, in singularum columnarum eiusdem basilicæ capitellis, tempore constructionis, reuerenter satis, in æreis piscidulis plurium quoque sanctorum reliquias fuisse repositas. Similiter & in quatuor angulis campanilis.

ADNOTATIO.

Bulla Domini Alexandri II. de inuentione corporum SS. Benedicti, & Scholasticæ virginis sororis eius apud Montem Cassinum, & dedicatione Cassinensis Ecclesiæ.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, omnibus ecclesiæ catholicæ filijs, salutē & Apostolicam benedictionem. Pastoralis sollicitudo nostra, si debet prospicere, & proficere omnibus, etiam extraneis, & longinquis, multo magis domesticis, & propinquis: ipsis quippe secundo gradu post Deum admouenda est inuisibilis charitas, vt per eos, velut quædam visibilis flamma, gradatim ad remotiores quosque discurrat. Pijs ergo locis, & diuina religione venerabilibus,

Digitized by Google

debita consolationis, & defensionis porrecturi manus, illum ceteris præferendum non ambigimus, quem monastice normę constat esse principale gymnasium, & sanctæ Romanæ, & Apostolicæ sedi contiguum: quem ciues Romani, Patres videlicet eximij Benedictus, Maurus, Placidus, cum nonnullis alijs fundarunt, quemq. à gentibus destructum, sanctissimi prædecessores nostri Gregorius, & Zacharias restruxerunt & priuilegijs Apostolicæ sedis meritò cęteris cœnobijs prętulerunt: vtpote, qui non studio hominum, sed diuino imperio à sanctissimo Patre Benedicto constructus est. Quorum nos sacræ auctoritati, sicut tempore, & loco succedimus, sic eorum exemplis, vt oportet, innitimur. Sed quia rerum gestarum series ad hoc litterarum fidei committuntur, ne illarum veritas posterorum memoriæ subtrahatur, ea, quæ nostris temporibus acta sunt, pandere curamus. Nam cum dilectissimus filius noster Desiderius eamdem renouaret Ecclesiam, & adytum basilicæ disponeret adæquare, cum tres non integras vlnas fodisset, in dextro altaris latere, laterem reperit, nomen eiusdem confessoris continentem. Cumq fragmenta altaris remota fuissent, inuenit super sepulchra syndonem expansam, candidissimam, quæ cum tangebatur, euanescebat. Hac visione certissimus redditus, reserari sanctissimi Patris præcepit tumulum: quo facto sanctissima corpora intemerata, & indiminuta inueniens: Nuncios nostros ascisćens, pretiosissimaq. corpora eis ostendens, tam præsentes quam futuros certissimos, & indubios de sanctis corporibus reddidit. Igitur cum ad eamdem dedicandam deuenissemus Ecclesiam, vna cum decem Arobiepiscopis, & quadraginta quatuor Episcopis, Cleroq. S.R.E. idem filius noster Desiderius conquęstus est, esse quosdam nec Deum timentes, nec homines reuerentes, qui possessiones B. Benedicti per diuersa loca Casinensi cœnobio auferentes, in suum retorquere dominium satagunt. Et cętera quæ sequuntur, quibus supponitur, sigillum Domini Papæ, nempè circulus quadrifidus in formam crucis, cum his verbis: *Magnus Dominus noster & magna virtus eius:* habēs circumcirca huiusmodi inscriptionem. *Exaltauit me Deus in virtute brachij sui.* In calce tandem. *Datum in castro Casino, die Kalendarum Octobrium, per manus Petri S.R.E.*

Digitized by Google

S. R. E. Subdiacono, atque vice D. Annonis Coloniensis Archiepiscopi Bibliothecarij. Anno decimo pontificatus D. Alexandri Papæ II. ab incarnati verò Domini millesimo septuagesimoprimo, indictione nona.

CAPVT XXXI.

PERACTA igitur sollemniter celebritate missarum, & Apostolicæ potestatis auctoritate, tam ijs, quos tunc præsentes esse contigerat, quam omnium, qui per octo continuos dies, ob deuotionem tantæ sollemnitatis ibidem occurrere possent, confessorum peccatorum absolutione concessa, cum maxima, & ingenti lętitia singuli rediere in sua.

Verum præfatæ absolutionis gratia, tanta vndiq. huc diuersi sexus, atque ætatis per eosdem octo dies hominum se continuauit frequentia, vt neminem fere illorum, qui ad primum diem conflaxerant, domum remeasse putares.

Nec modus est populis, coeuntibus agmine denso,
Nec requies, properant in lucem à nocte, diemq.
Expectare piget.
Lucani coeunt populi, coit Apula pubes;
Ac Calabri; & cuncti, quos alluit æstus vterque;
Qui læua, & dextra circunstrepit omne:
Ipsaq. cœlestium sacris procerum monumentis Roma,
Petro, Pauloq. potens rarescere gaudet,
Millia profundens ad mœnia celsa Casini.
Vincit iter durum pietas, amor & Benedicti,
Vincit & alma fides, præsens ab omnibus istic
Creditur & summi Benedictus gloria Christi.

Infidelem certè quisq; se crederet, miserum penitus æstimaret, si tantæ sollemnitatis non satageret esse particeps. Ex eo iam per totum christianum orbem cępit celebritatis tantæ gloria diuulgari: ex tunc iste locus, licet ab olim Benedicti Patris meritis famosus, ac nobilis fuerit, nobilior multo, ac glorioſior cępit haberi: Patrisq; Desiderij nomen, apud plerosq; iam dudum magnum, & celebre, celebrius

Digitized by Google

deinceps, ac nobilius per Occidentem totum diffundi, prudentiæ simul, ac religionis maximæ ab omnibus prædicari, omnibusq. ipsius temporis Abbatibus, vbiq. locorũ ab omnibus censebatur iure præferri. Partim igitur desiderio Desiderium visendi, partim verò templi tam vulgati, & tam celebris contuendi: partim denique in hoc sacrosancto cœnobio conuersandi, & Deo, quo ad viuerent, seruiendi: multi ex multis; & extimis terrarum partibus huc cępere confluere, & hilariter Desiderio recipiente, factum est, vt intra ipsum fermè biennium ad secundum circiter centenarium congregationis loci huius se numerus porrexisset. Iam verò diuersorum Regum, atque Potentium, vtriusque sexus, quãta circa eundem venerabilem Patrem cępit haberi deuotio, supplices ad eum litteræ, & munera decentia testabantur, quibus se, suosq. omnes, tam suis, quàm Fratrum *sub* eo degentium precibus, attentius commendabat.

CAPVT XXXII.

Agnes Imperatrix Cassinum venit.

NEC Imperatricis quoque Agnetis dignum videtur religiosam tacere deuotionem, quæ velut altera Regina Saba; Salomonis alterius, & alterius Templi, magno videndi desiderio ducta, ex vltimis huc Germaniæ finibus aduentauit, ac per medium fermè, istic, anni spatium commorans, multo maiora, se de his, quę super hoc loco auditu perceperat, tam secundum Dominũ, quàm secundum sæculum, videre gaudebat, & asserebat: meritò censens, & locum, & Patrem, & Fratres per totum orbem sui ordinis hominibus celebriores habendos. Obtulit autem B. Benedicto, prout augustalem dignitatem decebat, dona magnifica, ideſt planetam diaspram totam, vndiq. auro contextam. Albam quoque à scapulis, & capite, ac manibus friso decentissime adornatam, à pedibus verò frisea, nihilominus lista mensuram fermè cubiti in latitudine habens circundatam, simulq. & amictum cum brusto. Pluuiales duos purpureos pretiosis aureis listis ornatos. Pannum diarodanum frisatũ, cum auro ante faciem maioris altaris.

Necnon

Digitized by Google

Necnon & pallium magnum cum elephantis, quod dossale cognominatur. Euangeliarium cum tabula fusili de argento, opere anaglifo, & pulcherrime deaurato. Duo quoque candelabra argentea æque fusilia, pondo librarũ duodecim.

CAPVT XXXIII.

De ornatu Cassinensis Ecclesię.

LIBET nunc post Ecclesiæ dedicationem residua exornationis ipsius describere, vt licentius deinceps valeamus Desiderij gestis, tam in ædificijs, quàm in alijs quibuslibet magnificentijs, operam dare. Ad supradictam igitur Regiam vrbem, quendam de Fratribus cum litteris ad Imperatorem, & auro triginta & sex librarum pondo, transmittens, auream ibi in altaris facie tabulam cum gemmis, ac smaltis valde speciosis patrari mandauit; quibus videlicet smaltis nonnullas quidem ex Euangelio, ferè autem omnes B. Benedicti miraculorum, insigniri fecit historias. Quem certè nostrum confratrem, Imperator nimis honorifice suscepit, & quamdiu ibi mansit honeste cum suis omnibus, reuerenterq; tractauit; & quicquid ornamentorum inibi vellet efficere, Imperialem ei licentiam tribuit. Fecit itaq; & cancellos quatuor fusiles ex ere ante altare, scilicet hinc inde, inter chorum, & adytum statuẽdos. Trabem quoque nihilominus fusilem ex ære, cum candelabris numero quinquaginta, in quibus vtiq; totidem cerei per festiuitates præcipuas ponerentur, lãpadibus subter in æreis vncis ex eadem trabe triginta & sex dependentibus. Quę videlicet ærea trabes, ęreis æque brachijs, ac manibus sustentata, trabi ligneæ quam pulcherrime sculpi, & vario colore interim fecerat Desiderius exornari, cõ ũmata est, & supra sex columnas argenteas, quatuor & semis in altitudine cubitos habentes, & octo libras per singulas, in ipsa chori fronte constituit. Sub qua nimirum trabe, quinque numero teretes iconas suspendit, tredecim verò quadratas, paris mensuræ, ac ponderis desuper statuit. E quibus videlicèt decem ex quadratis, prædictus Frater apud Constantinopolim grosso argento sculpsit, ac deaurauit, habentes

Digitized by Google

bentes per singulas aliæ libras quatuordecim, aliæ duodecim. Rotundas verò omnes, argentea solum vrna, quatuor librarum circundans, cætera coloribus, ac figuris depingi græca peritia fecit. Alteram quoque iconam rotundam ex vtraque parte argento mirifice sculpto, ac deaurato vestitam, argenteis etiam bullis extrinsecus in gyro circundatam, quidam nobilis tunc B. Benedicto à Regia Vrbe transmisit: cui postmodum similem alteram fieri iussit, vtraque est in ciborio altaris hinc inde suspensa. Ceraptata etiam ærea fusilia valde pulchra, duo magna, & parua septem, supradictus Frater secum è Constantinopoli detulit. Fecit præterea Desiderius, & aliam trabem de argento librarum circiter sexaginta, sculptam nihilominus, ac deauratam, quã in fornice maiori, ante altare super quatuor argenteas columnas ex parte inauratas, decem libras, & quinque cubitos altitudinis habentes, locauit. Fecit & duas cruces magnas argẽteas librarum per singulas triginta, quarum imagines cælatura satis mirifica prominerent: easq; sub prædicta trabe inter easdem columnas, hinc inde super marmoreos stipites statuit. Tres porrò residuas maioris altaris facies argento librarum octuaginta & sex bene sculpto, ac deaurato vestiuit. Quatuor enim trabes propter ciborium altaris simili modo sculpto, ac deaurato argento extrinsecus induit, ab intus verò picturis, & colobribus decorauit: è quibus duæ habent cubitos quatuor, & semis, libras viginti, & viginti; duæ verò aliæ cubitos quatuor, & semis, libras viginti, & viginti. Sex etiam candelabra magna, tres cubitos altitudinis habentia, de productis, ac sculptis argento laminis fecit, pondo sex, vel quinque librarum, quæ videlicet in festis præcipuis ante altare in directa linea posita accendi cum maximis faculis debeant. Pulpitum quoque ligneum, ad legendum, siue cantandum longe priori præstantius, & eminentius fecit in ascensu graduum sex, idq; diuersis colorũ fucis, & auri picturis, de pulchro pulcherrimum reddidit. Ante quod columnam argenteam viginti & quinque librarum, partim deauratam, ad modum magni candelabri, sex cubitos in altitudine habentem, supra basem porfireticam statuit: super quam videlicet cereus magnus, qui Sabbatho paschali

Digitized by Google

paſchali benedicendus eſt, ſollemniter debeat exaltari. Fecit & coronam maximam de argento, librarum circiter cẽtum, habens in circuitu cubitos viginti, cum duodecim turribus extrinſecus prominentibus, ſex & triginta, ex ea lampadibus dependentibus, eamq; extra chorum ante crucem maiorem ſatis firma ferrea catena, ſeptem deauratis malis diſtincta, ſuſpendit. His partim de conſtructione, & conſecratione, partim nouæ baſilicæ decoratione quoquomodo exaratis, ad cætera Monaſterij ædificia complenda, ſimul cum noſtro Deſiderio reditum faciamus.

De cæteris Monaſterij ædificijs.

Poſt tranſactam igitur ſollemnem baſilicæ dedicationẽ, cernens Deſiderius diuina cooperante potentia, ſimulq; Patris Benedicti meritis, omnia quæ cęperat, ad perfectum, prout optauerat, peruenisse; audentior iam, imo valentior factus, totius cęnobij ambitum decreuit ingenti animo ſpatiare, & vt iam de aliquibus fecerat, reliquas officinas, cum his etiam, quæ ipſemet ante Eccleſiæ conſtructionem conſtruxerat, renouare. Et primo quidem clauſtrum, quod tantæ congregationi ad huc permodicum eſſe conſtat, ampliare deſiderãs, euerſo mox vetere refectorio, quod ſatis enormiter à latere templo, à fronte vero, capitulo inhærebat, quodq; etiam ipſe dudum bis tempore diuerſo adauxerat, in vlteriori illud parte futuri clauſtri iuxta meridianum ſcilicet Eccleſiæ latus, decorum valde, ſatisq; magnum extruxit, diuerſisq; coloribus pictorum artificio compſit, & laqueari appoſito trabibus, tegulis deſuper operuit. Legiuum quoque perpulchrum, & eminens in eo conſtituit, quod valde decenter gypſo veſtitum, cunctis ſpectabile reddidit. Cuius videlicet domus longitudo, in cubitis quinque & nonaginta extenditur, latitudo in tribus & viginti porrigitur, in quintumdecimum vero altitudo ſuſtollitur: ab Orientali parte habens ingreſſum, ab Occidentali vero abſidam, antequam profecto ampla valde Abbatis menſa ex tranſuerſo cernitur conſtituta. Habet autem à latere meridiano feneſtras quatuordecim, circa pulpitum trés, à Septentrionali vero duas tantum, duas quoque rotundas in frontibus ſingulis, omnes tam vitro, quàm gypſo, & plũbo inſigniter laboratas. Iuxta eamdem quoque domum ab Auſtrali parte,

Digitized by Google

coquinam Fratrum amplam satis, & pulchram in duobus inuicem connexis fornicibus, quos vna tantum columna sustentet, erexit; interq; ipsam, & refectorium, gradus & ianuam, vndequaq; necessaria in idem refectorium, siue conferantur, siue referantur, constituit. Ex altera verò ipsius coquinæ parte cellarium statuit, ex quo videlicet tam Refectorio, quàm coquinæ quælibet debeant necessaria tribui. Post hæc, cum necdum sufficiens sibi ad tantam Fratrum multitudinem claustri spatium videretur, dormitorium, atque capitulum, quæ dudum ipsemet magno valde sumptu, ac studio fabricauerat, necnon & veterem infirmantium domum, ex integro est aggressus euertere, & claustri ampliandi occasione, easdem quoque domos ampliores *efficere*. Quoniam igitur exteriorem dormitorij murum non longe ab altero in magno montis præcipitio statuebat erigere; quinque crassam cubitis maceriam in fundamento, maxime firmitatis gratia, iaciens, eam in ducentorum spatio cubitorum per longum extendit; in altitudine autem cubitorum triginta erexit, quatuor & viginti cubitis in latitudine à muro interiori distantem. Habens à meridiano tantum fenestras amplas viginti, è quibus tres maximæ, tribus colũnellis marmoreis fulciuntur. Quæ videlicet domus longe priore amplior, firmior, ac pulchrior, & fabrorum peritia lateribus tecta, & pictorum artificio decorata est coloribus. Iuxta quam etiam in vlteriori capite ipsius, vestiarium Fratrum construxit, paruum quidem, sed satis competens, pulchrumq;. His triennio circiter consumantis, montem è vestigio, qui intra iacebat suffodere aggressus est: per longum scilicet cubitis centum & quinque, per latum autem quadraginta & nouem, per altum vero circiter septem. Sicq; capituli ædem ab Orientali parte per transuersum constituit, vt interior eius frontispicij angulus, angulo exteriori tituli basilicæ sit connexus, absida vero ipsius appropiare dormitorio videatur. Cuius videlicet domus longitudo cubitorum quinquaginta & trium, latitudo viginti, altitudo autem octo & decem habet; habet autem à latere vno fenestras vitreas speciosissimas nouem, ab altero totidem, à frontespicio Aquilonari tres rotundas, ab Australi

vero

Digitized by Google

vero duas æque rotundas, laqueari picturis speciosissimis sufficientissime decorata. Tantam autem tunc cum ista suffoderentur terræmotuum sumus experti frequentiam, vt vno quidem die vicibus decem & septem, per alios verò aliquot dies, nunc quatuor, nunc duobus, modo etiam sex, vel quinque vicibus, per dies singulos sentiremus. Quod certè propter innumeras eiusdem loci sepulturas, tunc necessario violatas, quæ sanctorum fortè hominum fuerant, non ab re contigisse multi putauimus. Alias sanè satis raro hoc in loco solent fieri terræmotus. Verum quoniam ingens præcipitium ab interiori dormitorij parte remanserat, erectis secus domum tandem cameris, & terra, saxisq; cætera replens, iniectis: itemq; ante Refectorium, in fronte videlicet claustri, curua nihilominus camera cisternam maximã fabricans, ita demum totius claustri superficiem coæquauit; mox itaq; arcus per gyrum deambulatorios super centum & decem marmoreas columnellas instituens, claustrum omne in longitudine cubitorum centum & quinque, in latitudine vero quinque & septuaginta diffudit. Cuius quia ea pars, quæ maioris basilicæ erat contigua, si cæteris coæquaretur non aptus in eandem basilicam esset ingressus, subtus item, & super deambulatorias fornices fecit, & in eius vtriusque angulis marmoreos gradus, quibus in cætera descenderetur, instituit: totumq; in circuitu, & lapideis pauimentis strauit, & picturis pulcherrimis complit. Nihil hoc expleto, moratus solarium palatij illius, quod à Richerio cæptum ipse perfecerat, ab eminentia priori claustri in planitiem deposuit, atque inibi infirmorum Fratrum quietem constituit. Porrò ab Occidentali parte claustri, iuxta cisternam videlicet, quam prædiximus, cellam nouitiorum ordine satis congruo aptauit, in qua videlicet, iuxta regularem institutum, & meditari, & quiescere, atque comedere nouitij ipsi deberent: sic iam tandem Fratres, qui eatenus super tot operibus inquietati, ac molestati pluſquam satis extiterant, opportuna simul, & amena quietis statione locatos, ordini de cætero regulari, quanto ordinatius, tanto districtius, operam dare perdocuit. His igitur omnibus ex voto perfectis, & interioribus Fratrum officinis decentissime,

Terræmotuum multitudo.

Digitized by Google

centissime, vt optauerat consummatis, ad exteriora, se nihilominus ædificia Monasterij perficienda impiger, ac fortis accingit. Ab Occidentali igitur parte primum maceriam firmissimam erigens, portam cubitorũ penè triginta extra veterem, de quadratis, ac sectis lapidibus statuit: supra quam turrem firmissimam in quatuor magnis columnis effectam, ingenti camera confirmauit. Verum cum exterius præcipitium pateret immensum, tumulus vero interius magnus existeret, eo defosso, præcipitium illud saxis eius, & terra, cliuoso licet tramite, peruium fecit: ibiq; iuxta, extra portam scilicet, xenodochium maximum fabricauit: itaq; demum hinc inde muro contiguo, ac ciuitatum more munito, vniuersum Monasterium circumsepsit. Denique ab Aquilonari parte palatium quantitatis non modicæ ad hospitum quorumq; receptionem ædificauit. Pistrinum quoque tanto decore construxit, vt multi peregrinorum huc venientium ignorantes, quasi ad Ecclesiam sæpius illuc oraturi venerint. Non cessabat dum ista agerentur Desiderius conquirendis Ecclesiæ ornaminibus insudare, & vndecumque posset, quibuscumque posset ingenijs, quæ huius apta essent pulchritudini comparare.

ADNOTATIO.

Hvc vsque peruenerat Leo Ostiensis in describenda Historia Casinensi, quando morte præuentus, reliqua vsque ad obitum Desiderij (sicut promiserat) prosequi non potuit. Compleuit autem tertium hunc librum Petrus Casinensis Diaconus, vt constat ex libro quarto huius Chronici cap. 66. atque ex prologo eiusdem Petri super eundem librũ, necnon ex his, quæ cap. 56. huius libri referuntur: ibi enim auctor sic ait Qualiter sanctum brachium (B. Matthęi Apostoli) *temporibus Girardi Abbatis, ad hunc locum detulerũt, loco suo scribemus. Quod quidem scriptũ reperies libro quarto huius Chronici cap. 73. Igitur quæ sequuntur vsque ad finem Chronici Petrus Diaconus Casinensis scripsit. Quis autem fuerit Petrus iste, habetur infra libro quarto huius Chronici cap. 66.*

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXXIV.

CHRISTO igitur duce omnia sibi, prout optauerat euenisse cognoscēs, hinc ad Ecclesiam B. Martini, quæ sola ferè iam, intra Monasterij ambitum, de veteribus ædificijs remanserat, renouandam, totum cor Desiderius vertit. Diruta namq; priori eiusdem B. Martini basilica, locatisq; in Christi nomine fundamentis, cepit eiusdem Ecclesiæ fabricam in longitudine cubitorum trium & quadraginta, latitudine viginti & octo, altitudine viginti & quatuor: fenestras vero ab vno latere nouem, ab altero totidem. Porticus etiam vtriusque parietes in sedecim cubitorum altitudine erigens: fenestris quatuor & quatuor, totidemq; ab altero distinxit, & illas quidem, quæ in naui sunt, plumbo simul, & vitro compactis tabulis ferro ligatis inclusit. In frontispicio porrò eiusdem Ecclesiæ fenestras tres, ac vnam in absida distinguens, similis decoris parari mandauit. Illas autem, quæ in porticibus sunt (gypseas quidem) pari vero decore construxit. Columnas vero nouem ab vno latere, totidemq; ab altero erexit. Secus ipsam quoque Ecclesiam curuato pariete breuem quidem, sed pulchram domum ad eiusdem Ecclesiæ ministerium construxit. Cancellos vero lapideos ante B. Martini altarium mirificos patrari fecit. Absidam autem musiuo decenter vestiuit. In qua etiam aureis litteris hos versus describi præcepit.

Desiderius renouat S. Martini Ecclesiam.

Cultibus extiterat quondam locus iste dicatus,
Dæmonicis, inquam, hoc templo veneratus Apollo,
Quod Pater hic properans Benedictus omnipotentis
Vertit in honore Dei, Martini, & nomine sancti
Hoc Desiderius posti centum lustra vetustum
Paruumq. euertit, renouauit, compsit, & auxit.

Iam vero ipsius Ecclesiæ pauimentum, quam sit conspicuum, quam spetiosum, ac diuersorum marmorum multiplicitate constructum, oculis omnium patet. Legiuum quoque pulcherrimum, auro atque coloribus pictorum ingenio decoratum, extrui iussit. Ante ipsius quoque B. Martini altarium

Digitized by Google

tarium tabulam argenteam, & pulcherrime sculptam, quatuor, & quadraginta libras habentem, Desiderius parari mandauit, in qua omnes ferè B. Euangelistæ Matthęi, & sancti confessoris Christi Martini desculpsit historias. Fecit & portas æreas in ingressu eiusdem Ecclesiæ. Iuxta eandem vero basilicam mansiunculas, in qua ipse maneret, construens, trabibus, appositis tegulis, desuper operuit. Hæc vbi cooperante Domino, prout optauerat, consummauit: B. Bartholomæi basilicam cum Fratrum vniuerso conuentu, tertio nonas Ianuarias à Ioanne huius ante cœnobij monacho, post Sorano Episcopo, fecit sollemniter dedicari. In cuius altari Apostolici corporis partem non exiguam in argentea recondidit capsa. Non multo post hæc tempore euoluto, ædiculas illas, quas instar turrium, in atrij diximus angulis constitutas, alteram ab eodem Ioanne, alteram à Leone fecit Aquinensi Episcopo magna cum lætitia dedicari, quarto idus Septembris, ipso Domno Abbate, omniumq; Fratrum præsente conuentu, cum magna lætitia, & deuotione.

CAPVT XXXV.

Post annum 1071 Albericus Diaconus

PER idem tempus Albericus Diaconus vir disertissimus, ac eruditissimus ad hũc locum habitaturus aduenit. Hic in hoc Monasterio positus cõposuit librum de virginitate S. Mariæ, librum dictaminum, & salutationum. In musica dialogum. Contra Henricum Imperatorem. De electione Romani Pontificis. Vitam S. virginis Christi Scholasticę. Homiliam eiusdem. Vitam S. Dominici. Passiones SS. Modesti, & Cæsarij. Librum de dialectica. Tẽporibus vero eius facta est Synodus in Vrbe Romana aduersus Berengarium Diaconum Ecclesiæ Andegauensis: qui inter multa, quæ astruere nitebatur, dicebat, sacrificium corporis, & sanguinis Domini figuram esse. Cumq; nullus ei resistere valeret, idem Albericus euocatur ad Synodum: quo dum venisset, post varia conflictationum genera, cum pars parti non cederet:

Sub Gregor. VII. Ann. 1079

Digitized by Google

deret: idem Albericus hebdomadæ vnius accepta licentia, librum aduerſus eundem Diaconũ de corpore Domini edidit, ſanctorum Patrum teſtimonijs roboratum, in quo omnes aſſertiones eius deſtruxit, æternæq; obliuioni tradidit. Fecit & verſus in vita S. Scholaſticæ. Rithmos in Paſcha, de die Iudicij, de pœnis Inferni. Epiſtolas quoque quamplurimas ad Petrum Oſtienſem Epiſcopum. Rithmos de gaudio Paradiſi, de die mortis, de Monacho pœnitente.

Alphanus Archiepiſcopus Salernitanus

Eo etiam tempore Alphanus Salernitanus Archiepiſcopus, & huius cœnobij Monachus, cuius ſupra meminimus, vir in ſcripturis ſanctis eruditiſſimus, & notitia Eccleſiaſticorum dogmatum ad plenum inſtructus, compoſuit nitido, & lucidiſſimo ſermone paſſionem S. Chriſtinæ, & librum hymnorum, & verſuum.

Amatus Epiſcopus

Amatus quoque Epiſcopus, & huius Monaſterij monachus, his diebus ſcripſit verſus de geſtis Apoſtolorum Petri, & Pauli, & hos in quatuor libros diuiſit. Hiſtoriam quoque Normannorum componens nomini eiuſdem Abbatis dicatam.

Conſtantinus Africanus.

Iſtius porrò Abbatis tempore Conſtantinus Africanus ad hunc locum perueniens, ſanctęq; habitum religionis induẽs, Eccleſiam S. Agathæ in Auerſa, à Richardo Principe ſibi conceſſam, in hoc ſancto loco deuotiſſimus obtulit. Neceſſarium planè videtur ad poſterorum memoriam, quantus hic, vel qualis fuerit, litteris tradere. Hic igitur à Cartagine, de qua oriundus erat, egrediens, Babyloniam petijt, in qua Grammatica, Dialectica, Geometria, Aſtronomia, necnon & Phyſica Chaldeorum, Arabum, Saracenorum, Aegyptiorum, ac Indorum pleniſſime eruditus eſt. Completis autem in ediſcendis huiuſmodi ſtudijs, triginta & nouẽ annorum circulis, Ad Africam reuerſus eſt. Quem cum vidiſſent Afri ita ad plenum omnium gentium ſtudijs eruditũ, cogitauerunt occidere eum. Quod Conſtantinus agnoſcens, clam nauem ingreſſus, Salernum aduenit, ibiq; ſub ſpecie inopis aliquandiu latuit. Deinde à fratre Regis Babyloniorum, qui tunc eo aduenerat, agnitus, ac in magna honorificentia apud Robertum Ducẽ habitus eſt. Exinde vero Conſtantinus egrediens, ad hunc locum peruenit, & ordine quo

ſupra

ſupra retulimus, monachus factus eſt. In hoc vero cœnobio poſitus tranſtulit de diuerſorum gentium linguis libros quã plurimos, in quibus ſunt hi præcipuè. Pantegnum, quem diuiſit in libros duodecim, in quo expoſuit, quod medicum ſcire oportet. Practicam, in qua poſuit qualiter medicus cuſtodiat ſanitatem, & curet infirmitatem. Librum graduum, Dietam ciborum, Librum febrium, quem de arabica lingua tranſtulit, & alios quamplures.

CAPVT XXXVI.

SEQVENTI tempore ſupradictus Papa Alexander, vrbem egrediens venit ad hoc Monaſterium. Qui à Deſiderio honorifice ſuſceptus, dum Abbatis cameram, quæ iuxta Eccleſiam S. Nicolai conſtructa eſt, ingreſſus ſuiſſet, dæmoniacus quidam, qui tunc illò aduenerat, ei factus eſt obuiam: quem S. Pontifex, vt vidit, orationem fundens ad Dominum, dixit ad dæmonem. Præcipio tibi immunde ſpiritus in virtute Domini, vt exeas ab hoc homine, & vadas in illum locum, vbi nec auis volat, nec vox hominum reſonat, & ſis ibi vſque ad diem iudicij. Mirabilis Dominus in ſanctis ſuis, qui inuocantes ſe, & de ſua miſericordia præſumentes velociter exaudire dignatur. Nam dæmon, ad eiuſdem Pontificis præceptum, hominem relinquens, cuncti, qui aderant laudare cœperunt, & benedicere Dominum. Nec hoc tacendum videtur, quod omnipotens Deus per eundem ſuum famulum operare dignatus eſt. Nam cum ciuitatem Aquinum pertranſiret, claudam quandam in itinere iacentem inuenit, cuius infirmitati idem compatiens Pontifex, aquam, de qua poſt miſſarum ſollemnia ſuas manus abluerat, ei ad bibendum tradidit; quam mox, vt in potum accepit ſanitati reddita, gratias Deo referre per maximas cœpit. Fecit præterea idem ſanctiſſimus Pontifex priuilegium Deſiderio de Monaſterio S. Mariæ in Palladio, cum attinentijs ſuis, recipiens ab eo Eccleſiam S. Ieruſalem, quam Leo Papa Reuerendiſſimus, ſicut ſupra taxauimus Richerio Abbati noſtro tradiderat.

Conceſ-

Digitized by Google

Concessit etiam prædictus Papa Alexander personaliter nostro Desiderio, ciuitatem Tarracinensem, cum pertinentijs suis.

Defuncto autem eodem Pontifice Clerus, Populusq; Romanus in vnum conuenerunt, Hildebrandumq; sedis Apostolicæ Archidiaconum eligentes Gregorium appellare decreuerunt. Qui eodem ordinationis suæ anno ad hoc Monasterium veniens, sociato sibi Desiderio Beneuentum perrexit, indeq; regrediens Romam reuersus est. Quo tempore dum in natiuitatis Dominicæ sollemnitate in Ecclesia sanctæ Mariæ cognomento maioris, prædictus Papa missarum sollemnia ageret, captus est supra sanctum altare à quibusdam Romanis infidelibus, sed vi, ac constantia ciuium Romanorum eadem die ereptus est. Ann. 1078

CAPVT XXXVII.

PER idem tempus Richardus Princeps per præceptũ obtulit B. Benedicto Ecclesiam S. Angeli, quæ nuncupatur ad Formas, de qua superius, tempore scilicet Baldoini Abbatis, qualiter nobis à Marino Papa cõcessa sit, plenius scripsimus. Sed quia Capuanus Archiepiscopus illam eo tempore retinebat, præfatus Princeps cupiens ibidem facere Monasterium, ante septem circiter annos cum eo concambium fecit, data pro ipsa alia Ecclesia vocabulo S. Ioannis de Landepaldi, quæ tunc temporis palatio pertinebat, cum ornamentis, & libris non paucis, & vniuersis rebus, ac pertinentijs eius. Receptis ab eodem Archiepiscopo prædicta Ecclesia S. Angeli cum tribus alijs Ecclesijs iam vetustate consumptis, ideſt S. Saluatoris, S. Ioannis, & S. Hilarij, & cum omnibus ad easdem Ecclesias pertinentibus, sexaginta auri librarum pęna apposita, si aliquãdo Archiepiscopus, vel alius successorum suorum id remouere voluisset. Quo facto concessit in eodem loco Ecclesiam S. Angeli de Faldiscos intra Capuã cum omnibus pertinentijs suis: necnon & quicquid palatio pertinebat in toto Sarzano, cum vniuersis ibi habitantibus villanis, & omnia, quæ ibi pertinerent Gregorio Comiti Palatij, & Petro filio

filio Doserij in loco S. Erasmi. Cũ omnibus ita q; his, & cum vniuersis pertinentijs suis, simul & cum chartula commutationis, quam à prædicto Archiepiscopo ex inde receperat, in hoc Cassinensi cœnobio prædictam Ecclesiam obtulit. Et quoniam locus idem valde amœnus, & satis aptus Monasterio erat, rogauit humiliter Desiderium, vt pro amore suo specialiter inde studeret, quod & fecit, de Monasterio Albanetæ integram omnium mobilium medietatem accipiens, & medietatem etiam eiusdem loci monachorum illuc trãsmittens: cępitq; Desiderius illud ædificare ex integro, tam spatiose quemadmodum hodie cernitur: vbi etiam intra breue tempus quadraginta, & eo amplius monachos regulariter victuros aggregauit.

CAPVT XXXVIII.

S. Benedicti miraculum.

EODEM præterea tempore, quidam rusticus, in partibus degens Apuliæ, dum siti æstuaret, ad bibendum perrexit. In quem mox diabolus ingrediens, eum vexare crudelissime cępit. Ductus autem à propinquis ad hoc Monasterium, atque ante Patris Benedicti corpus iactatus, eius interuenientibus meritis confestim sanatus est.

Miraculum aliud.

His porrò diebus cum in hoc Cassinensi cœnobio de vino ad totius Monasterij stipendium, nõ plusquam palmi vnius, & dimidij mensura esset in vase, Frater, qui domum vinariam custodiebat, pergens ad Patrem Desiderium ei referre curauit. Abbas autem ad hæc, antequam ad Roberti curiam pergam, veni ad me, & vnde id emere debeas dabo. Alio autem die ea, quæ Desiderius præceperat, monachus obliuioni tradens, ad eum minime venit. Desiderius autem iter arripiens, Roberti ducis curiam adijt. Sed qui in deserti regione per quadraginta annos manna populum pauit, ipse per tres menses, & dimidium, vinum vnde omnes biberent crescere fecit. Quidam vero puer ex Monasterij famulis, cęlestium mysteriorum ignarus, vehementer admirans vinum tantum durasse in vase, cellam vinariam adijt, vinum

mensus

Digitized by Google

mensus est, stetitq; eadem hora, & vltra crescere desijt, tunc ad monachum gratulabundus accedens ait. Ego nūc vinum mensus sum, sed tantus est, quantus fuit ante tres menses. Monachus autem hæc audiens eum grauissime verberauit. Puer vero ante eum aufugiens, claustrum est Fratrū ingressus, & quid sibi monachus fecerat per ordinem pandit. Quē venerandæ memoriæ Stephanus, qui eo tempore Decanatus officij curam gerebat, euocans dixit: cur tam crudeliter hūc puerum verberasti? Tunc Frater hoc, quod in vino per merita beatissimi Patris Benedicti Deus operari dignatus est enarrans, subiunxit. Hic verò ad vasculum pergens vinum mensus est, & vlterius in vase non creuit. Illi autem hæc audientes benedixerunt Deum, qui suis temporibus in hoc loco antiquum dignatus est renouare miraculum.

Aliamira-cula.

Nocte quadam cum Frater Gregorius mansionarius in stratu suo quiescens vigilaret, audiuit duos pueros in Ecclesia mira suauitate, ac dulci modulamine laudes Deo referre. Sciens itaq; pro certo neminem monachorum esse in Monasterio, qui puerilem vocem haberet, confestim surgēs Ecclesiam ingreditur, nullumq; ibi reperiens, & quod in re erat aduertens, facto mane, quod audierat Fratribus per ordinem pandit: hinc Angelorum frequentiam apud B. Patris exuuias, hoc fuisse dixerunt. Tempore alio præfatus Gregorius lampadam ante imaginem Saluatoris, quæ supra fores Ecclesiæ picta est, dependentem, aduenerat refecturus, & ecce videt eam tenuis vinculis dependere in aere, nulla prorsus eam materia, præter ipsam aeream, sustentante. Conuocatis Gregorius Fratribus, qui eminus aberant, quod miratur ostendit, ipsiq; postmodum cum eo pariter huius testes extitere miraculi. Nocte, quæ præcedebat diem transitus S. Patris nostri Benedicti festiuū, dum ad vigilias vnus è custodibus lampadem ante imaginem eiusdem B. Patris dependentem reficeret; lapsa subito lampas in pauimentum fuit, illæsaq; permansit, quæ iterum eleuata, iterum cecidit, erecta tertio, tertio lapsa est, & nullo horum casu, vel effractionis lampas, vel effusionis oleum, vel ignis extinctionis, pertulit detrimentum.

Cum die quadam, de custodibus vnus, ante altare accen-

Digitized by Google

lam lampadem vsque ad ipsa ferè laquearia eleuasset, repẽte lampas lapsa, in pauimentum cecidit (mirabilis in factis suis Deus) non solum non est fracta, quæ deciderat lampas, sed nec effusum oleum, nec ignis extinctus.

Tunc temporis in Monasterio B. Patris nostri Benedicti, quod intra Salernitanæ vrbis mœnia constructum est, & huic Cassinensi cœnobio ab ipso constructionis suæ exordio subditum, satis insigne miraculum contigit. Ex ipsius namq; Monasterij familia, vorax hominum Lupus, paruulum puerulum clandestinus impetijt, rapuit, & habuit, post quem transfixa dolore mater, inclamans, ait: Adiuro te bestia per Beatum Benedictum, cuius seruus est, ne filium meum vlterius feras, sed eum sub omni celeritate dimittas: quo lupus audito, hunc quidem, quem ferebat, aperto protinus ore deposuit; alium vero puerum repentinus insiluit; eumq; subito dissecans, truncum cadaueris spreuit, præcisumq; caput mordicus confixũ, in suas latebras concitus asportauit.

ADNOTATIO.

Desiderius Cassinensis Abbas lib. 2. Dialog. ea quæ hic de lampadibus referuntur confirmat dicens. Quia omnipotens Deus non tantum in magnis, sed etiam in minimis rebus aliquando ostendit mirabilia sua, vt fides credentium magis, ac magis augeatur, ac in laudibus Creatoris sui vniuersa creatura prorumpat, cum in cunctis vsui humano conceſſis, paterna pietate curam habere conspicitur, quid in lampadibus in hac Ecclesia, nostris temporibus actum sit (sicut à Gregorio venerabili Monacho, qui eiusdem Ecclesiæ custos ad huc super est didici) ex parte referre non negligam. Cum quadam die vnus è custodibus lampadem in Oratorio ante altare igni admoto accendisset, eamq. sursum penè vsque ad laquearia eleuasset, repente dilapsa, ante altare in pauimentum cecidit (mirabilis Deus in factis suis) non solum fracta non est, sed nec etiam oleum effusum, nec ignis in ea accensus extinctus est.

Alio tempore, cum prefatus Gregorius lampadem ante imaginem Saluatoris, quæ supra fores Ecclesiæ depicta erat,

vellet

Digitized by Google

vellet reficere, inuenit eam extensis uncinulis ita in aere dependere, vt nulla prorsus materia sustentaretur. Qui mox conuocatis Fratribus, qui prope astabant, eis (vt tanti testes miraculi esse deberent) quod mirabatur ostendebat Preterea alio tempore in hac eadem Ecclesia B. Benedicti, ea nocte, quæ præcedebat diem, qua eius festiuitas agebatur (sicut ab eis, qui huic miraculo interfuere accepi) cum ad vigilias vnus è custodibus lampadem ante imaginem eiusdem B. Benedicti reficeret, repentè delapsa, in pauimentum corruit, ac illæsa permansit, quæ iterum ter sursum eleuata cecidit, & quod mirabilius est, nec ipsa frangi, ne oleum effundi, ne lumen in ea accensum extingui, diuina conseruante virtute, potuit: Plura sunt in huius Monasterij Oratorio, ex lampadibus huiusmodi facta miracula, quæ quia valde simplicia sunt, superfluum scribere duximus. Hæc autem idcirco scripsimus, ne quia parua sunt, omnino contemni viderentur.

CAPVT XXXIX.

CIRCA hos dies, Michael Constantinopolitanus Imperator, Patri Desiderio per nũtios, quos ad eum direxit, dona quamplura transmisit, poscens, vt pro se, & liberis, & pro statu Imperij sui Dei omnipotentis clementiam assidue supplicarent. Insuper etiam ob Patris Benedicti reuerentiam, pro salute animæ suæ, per præceptum aurea bulla bullatum, constituit, vt per vnumquemque annum hoc Monasterium accipiat de palatio Cõstantinopolitani Imperij auri libras viginti quatuor, & pallia quatuor ad nostræ congregationis sustentationem.

Borrellus autem Comes, Borrelli maioris filius, cum ob nonnulla sua in hoc loco seruitia, Desiderij familiaritatem fuisset non immerito adeptus: Monasterium S. Petri, quod vocatur de Auellana, quòd videlicet Pater ipsius B. Dominico ante quatuor & quadraginta annos ad construendum tradiderat, quodq; idem Borrellus satis ampla terrarum concessione ditauerat, cum Ecclesijs, & colonis, & cum omnibus omninò pertinentijs, ac possessionibus suis, quod est

Monasterium S. Petri de Auellana.

Digitized by Google

terra quinque millium circiter modiorum, B. Benedicto de-notiſſimus obtulit. Cuius Monaſterij, cum longe poſt, Gualterius nepos ipſius, duodecim Caſales de riuo Franculi nequiter retineret, veniens ad hoc Monaſterium, ſua ſponte nobis ipſos refutauit, ac reddidit. Theodinus quoque, & Oderiſius, atque Bernardus Baluenſes Comites, non multo poſt, & ipſi quoque Monaſterium S. Petri, quod ſitum eſt in valle de lacu, & aliud Monaſterium Eremitarum, in loco, qui dicitur Pratum Cardoſum, quæ nimirum, & ipſa nihilominus à B. Dominico ante non plures annos fundata extiterant pari modo in hoc Monaſterio obtulerunt, cum quinque ſcilicet adiacentibus lacubus, cum Eccleſijs, & colonis, & cum omnibus omninò pertinentijs, ac poſſeſſionibus eorum, tam in eodem Comitatu Baluenſi, quam in Marſicano, & Theatino. Eodem anno oblatum eſt B. Benedicto à quibuſdam nobilibus Marſicanis caſtellum, quod nominatur Meta, in valle de Orbeto cum omnibus finibus, ac pertinentijs ſuis; necnon & Eccleſia S. Patris in loco vbi Formæ vocatur, & Eccleſia S. Donati ſupra ipſas Formas, cum omnibus, quæ ad eaſdem Eccleſias pertinent: inſuper & vniuerſis, quæ ad præfatos nobiles iure hereditario pertinebant tam in ipſis Formis, quàm & in valle Frigida. Eodem etiam anno Leo, & Girardus Fundani Conſules obtulerunt B. Benedicto Monaſterium S. Magni cum omnibus ſibi pertinentibus, & cum quarta parte de ipſa piſcaria Fundani lacus, & cum Eccleſia S. Mariæ iuxta amphitheatrum Fundanæ ciuitatis S. Mauri, & S. Martini ad Tirille, & S. Andreæ in Tarracina, & S. Nicolai in vrbe Romana, loco qui dicitur ad Foſſa, cum omnibus pertinentijs, ac rebus illarum. Pari modo autem vna cum Richardo cognomento de Aquila, ijdem Conſules obtulerunt huic loco Eccleſiam S. Onufrij cum pertinentijs ſuis, & quoniam locus idem habilis ad conſtruendum Monaſterium erat, Deſiderius cupiens ibidem facere Monaſterium, per Girardum Præpoſitũ S. Nicolai in Pica, qui quintus poſt eum huius cœnobij Abbas effectus eſt, in ſtatum, quo nunc cernitur erexit. His quoque diebus Littefridus Fundanus Conſul chartam fecit huic Monaſterio de omnibus, quæ ſibi pertinebant de ciuitate Fundana, & valle decurſa,

Digitized by Google

cursa, & Aquauiua, & Ambryse, & Pastina, & Ymola, Campo de mele veteri, & de tertia parte piscariæ ad S. Anastasiam, & de Monasterio S. Archangeli, & de omnibus, quæ ei pertinebant à paterno, vel materno iure. Per idem quoque tempus Ioannes Hisernienſis vir nobilis, similiter obtulit huic Cassinensi cœnobio Monasterium S. Benedicti in loco Bagnarolæ, cum duobus alijs cellis ipsius, ideſt S. Mariæ, & S. Luciæ, cum vniuersis earum pertinẽtijs. Idem fecit etiam Morinus Comes Venafranus de quatuor alijs Ecclesijs, ideſt S. Nazarij de Piperozza, S. Petri de Sexto, S. Barbatj de Rauenola, & S. Martini de ipsa Furca.

CAPVT XL.

OPERE pretium reor ea, quæ isto anno Dominus per B. Benedictum in Gallijs operari dignatus est ad posterorum memoriam, & ędificationem annectere. Quidam namque vir potentissimus Gallorũ genere progenitus, tantis se ab ipsa infantia execrarat flagitijs, vt nulla pars corporis eius proprio vacaret à vitio. Hic ad mortem veniens, conuocatis cuiusdam cœnobij Fratribus, monasticum habitum sibi tribui flagitabat, mox autem, vt sacris indutus est vestibus, spiritum reddidit. Cuidam verò Dei seruo iuxta manenti Dominus ea, quæ circa defuncti animam agebantur ostendere dignatus est. Nam statim, vt de corpore exijt, cum terribilis turba dęmonum, igneis illam ligantes catenis, ad tartarea conarentur ferre incendia, B. Pater Benedictus pastoralem manu deferens virgam, in medium astitit. At verò hostes se prædam perdere cognoscentes, dixerunt: Quot à nostris iam dudum manibus Benedicte abstuleris animas, nosti: hunc vero, qui nunquam aliquid boni gessit, iniuste agis si à nostris manibus auferre conaris. Et sanctus, ne vobis iniustitiam forte facere videar, eius facta examinate, & si vestrorum operum postquam meum accepit habitum aliquatenus fuit cõscius, vester permaneat: tunc malignorum illud collegium victum se rationabiliter sentiens, tenues per auras euanuit; Hoc

Digitized by Google

Dei seruus, vt vidit, cępit collaudare Christi clementiam, qui tam mirabiliter eandem animam de dæmonum manibus liberare dignatus est.

In eisdem verò partibus Monasterium est quoddam in honore eiusdē Patris sacratum, in quo Fratres, dum die, qua idem sanctus cęlos ascendit, festiuitatem illius sollemniter celebrassent, ad cęnam venientes, dum pisces se non habere perspicerent, hac de re conqueri contra Abbatem cęperunt. Subsequenti vero nocte, sanctissimus Pater Benedictus Abbati in somnis apparens, dixit ad eum. Cur Fratres tristantur? Et ille: propter pisces, quos non habuerunt in præterito die. Cui sanctus: ego quidem in Monasterio meo Cassinensi cellararium de mundo recedētem expectaui, qui quoniam peccatorum erat ponderibus aggrauatus, eum meis orationibus adiuui, atque illum omnipotens Deus in æternæ vitæ quietem constituit. Nunc vero piscatores mitte ad proximum Monasterio lacum, ibiq; abundanter inuenies vnde murmurationem valeas sedare Fratrum. Abbas autem euigilans, piscatores ad lacum sub omni celeritate transmisit, quod dum Fratres cernerent mirari cęperunt, quia lacus, ad quem piscatores pergebant, non nisi serpentes, & ranas ferebat. Piscatores autem lacum, in quo nunquam ante piscatum fuerat, ingredientes, piscium multitudinem tantam ceperunt, vt per octo continuos dies Fratribus ad commedendum sufficerent.

Notent hoc Cellerarij.

Quidam Ioānes cognomine Venafranus, Vicecomes Iordani primi Principis, fuit vir sceleratissimus, & omni vitiorū labe repletus. Qui dum ad mortem venisset ad hunc se locum duci, & sanctæ sibi religionis habitum tribui rogauit. Cuius petitioni amici eius fauentes, ad hoc Monasterium eum duxerunt, atque ante corpus sanctissimi Patris Benedicti monastica vestimenta suscipiens, statim è mundo recessit, illo autem sepulto, rusticus quidam de Monasterio egrediens ad campestria loca tendebat. Cumq; sub Ecclesia S. Seuerini olim Cassinensis Episcopi, quæ in hoc monte sita est, aduenisset, diabolum in via stantem reperit, statura procerum, digitos, ac vngulas habentem valde longissimos, virgamq; in manu tenentem, & rusticum toruo vultu aspicientem.

Digitized by Google

tem. Cumq; ad eum rusticus peruenisset, Diabolus ait: vade venis? Ille autem, hominem eum esse existimans, dixit: A Cassinensi cœnobio. Et diabolus: Quid actum est de Ioanne Vicecomite? Tum rusticus, postquam monachus factus est, statim è mundo recessit. Diabolus autem hæc audiens, cœpit conqueri, dicens: Hei, Benedicte, mihi. Hei, Benedicte, mihi: cur meos quotidie ad te seruos conuertis? Cur me tam immaniter, tam crudeliter persequi non desistis? Hæc cum dixisset, furibundo, & flammanti rusticum vultu respiciens, ait. Scito certissime, quia nisi hodie in Monasterio Benedicti cibum, potumq; sumpsisses, & panem de eodem loco allatum nunc in sinum tuum teneres, nulla interposita mora te confestim occiderem. Statimq; per montis latus se præcipitem dedit, lapides, & arbores in modum turbinis trahens. Rusticus autem hoc viso, tremebundus de monte descendit, & cuncta quæ viderat, vel audierat per ordinem pandit. Cumq; ad aquam, quæ Casinus vocatur aduenisset, iteratò diabolus eidem apparens, dixit. Adhuc per terram istam ambulas? Frendensq;, ea, quæ prius locutus fuerat protulit, & Casini aquam cum virga, quam tenebat validissime percussit, atque disparuit. Ad cuius sonitum, rustico visum est, quod tota terra tremuisset; aqua vero fluminis, more tempestatis sursum in aera ferebatur, in riuo prædicto; reuersus autem rusticus ad domum suam, languore corripitur, atque post diem tertium vitam finiuit.

CAPVT XLI.

EODEM tempore, cum Ladenulfus, qui fuerat Comes Caleni, contendisset nobiscum de alueo fluminis Gariliani, quod non deberet aliquo modo pertinere castro nostro de Mortula, & quod ipsi homines de cryptis eiusdem loci, nihil nobis deberent: in iudicio Iudicum Suessanorum causa ipsa diutius ventilata est; victus rationibus cessit, & de his omnibus per chartam se manifestauit nullam prorsus habere iustitiam. Sed & Loffridus, qui cognominatus est Monius, per idem tempus ex imperio Richardi Principis veniens ad hoc Monasterium, in præsentia

Digitized by Google

Desiderij, sponte sua per scriptum se manifestauit, ac refutauit in manus eius ipsas piscarias, quæ sunt in flumine Gariliano ad ipsos currentes: qualiter incipit à riuo, qui dicitur viuus, qui descendit ab ipsis cryptis, & vadit vsque in riuum, qui descendit à S. Cruce, & mittit in prædictum fluuium Garilianum: quæ videlicet piscariæ antiquitus pertinuerunt, partim huic Monasterio, partim S. Saluatoris de Cucuruzzo, quas etiam vsque ad illud tempus Suessani Comites violenter, & malo ordine retinuerant. Sequenti tempore Loffridus cognomento Ridellus Dux Caietanorum, obtulit in hoc loco Monasterium S. Erasmi de ciuitate Formiana, & Monasterium S. Petri de Foresta, *in pertinentia* Pontiscurui, cum vniuersis possessionibus ipsorum. *Tunc* etiam Lando Dominus Arpinensis ciuitatis, ad mortem veniens, iudicium fecit in hoc Monasterio de omnibus, quę sibi iure hereditario pertinebant, ideſt de medietate Arpini; & Montisnigri, & S. Vrbani, & Vici albi, & Casa olinerij.

CAPVT XLII.

Leo Ostiensis Episcopus.

PER idem tempus supradicto Papa Gregorio Romæ Synodum celebrante, Leo huius loci bibliothecarius (qui post Ostiensis est Episcopus factus) ex iussione Patris Desiderij proclamationem fecit de cella S. Sophiæ in Beneuento, quam nuper Beneuentani à ditione huius cœnobij violenter abstraxerant, cumq; ad placitum res producta fuisset; relecta sunt in omnium audientia nostra munimina, qualiter Arichis Princeps eiusdem Ecclesiæ constructor per præceptum huic cœnobio Cassinensi eam tradiderat. Demũ vero qualiter omnes Romani Pontifices, Imperatores, Reges, Duces, ac Principes prædictam cellam in hoc loco confirmauerant. Quo audito Papa Gregorius ait: Quod nequaquam possent Beneuentani Ecclesiam Monasterio Cassinensi primitus delegatam, ab eius potestate subtrahere, *sed* Cassinensem Ecclesiam omnino canonice, ac legaliter eamdem cellam in perpetuum obtinere debere. In eadem etiam

Synodo

Digitized by Google

Synodo constituit; vt si quis à Laico Ecclesiæ inuestituram acciperet, dans & accipiens anathemate plectetur.

Eodem tẽpore cum prædictus Papa Gregorius apud Capuã moraretur: Clerici eiusdem ciuitatis, inuidis apud eum quæstibus vsi sunt, dicentes: Ecclesiam S. Angeli, quæ olim fuerat iuris Capuanę Ecclesię, iniquo concambio in ius Monasterij nostri transisse. Quam nimirum querimoniam idem Apostolicus oratu Desiderij in discussam manere non patiens, per idoneos, ac veraces viros diligenter inquirere studuit, vtrum concambium, quod pro eadem Ecclesia datum fuerat conueniens esse videretur. Qui videlicet hoc studiosissime disquirentes, inuenerunt, & probauerunt, quod Ecclesia S. Ioannis de Tandepaldi, quæ pro eodem concambio data fuerat, satis plus possessionis, & ornamentorum, tempore concambij habuisset. Quod etiam Herueus eiusdem ciuitatis Archiepiscopus se veraciter cognouisse asseuerabat. Quo competenti testimonio, promotæ litis omni dubietate sublata, censuit præfatus Apostolicus, tam Archiepiscopum, quàm & Capuanos clericos, in perpetuũ ab hac quæstione quiescere, nullamq; vlterius de ipso concambio litem mouere. Qui mox priuilegio firmum hoc, & in perpetuum stabile iudicans, atque decernens, vt idem Monasterium sub cura, & regimine Casinensis Abbatis manere perpetuò debeat. Eodem quoque priuilegio cuncta, quæ vel ibi tunc concessa, vel in futurum essent concedenda confirmans, temeratoribus quidem huius decreti, nisi fortè resipuissent, excommunicationis sententiam intulit. Obseruatoribus vero benedictionem Apostolicam, & pacem perpetuam prouenire optauit.

CAPVT XLIII.

PRAETEREA Ioannes filius Hugonis Comitis, patris exemplũ secutus, obtulit, atque firmauit B. Benedicto integram partem suã de castello Suio, quod est medietas ipsius, cum vniuersis ad eandem medietatem pertinentibus, tam intus, quàm foris: necnon & integram partem suam de supradicto Monasterio S. Erasmi in Formio.

Digitized by Google

Formio. Item Sanso filius Alberti de Comitatu Pinnen chartam fecit huic Monasterio de integra sorte hæreditatis suæ, idest de medietate castelli, quod dicitur Planella, cum Ecclesia S.Stephani ibidem, & de medietate Pansilani, cum terra mille modiorum mensuræ. Dux quoque Robertus capta Taréto nobilissima ciuitate Apuliæ, obtulit B. Benedicto Monasterium eiusdem ciuitatis, quod vocatur S. Petrus Imperialis cum omnibus pertinentijs suis, necnon & quatuorcentum familias hominum eidem loco pertinentes. Insuper etiam totam decimam suam frumenti, & hordei, vini, & olei, & omnium piscium piscariarum suarum: pœna apposita quingentarum librarum auri, cuicumque *id remouere* quæsisset. *Ijsdem* porrò temporibus Panormitana *ciuitas* ab eodem strenuissimo Duce capta est. Qualiter autem, vel qua occasione idem Dux Siciliam cepit, licet superius ex parte tetigerim, opportunum videtur ad posterorum memoriam, huic loco inserere.

CAPVT XLIV.

QVM igitur Panormitanæ ciuitatis regimen Vulthuminus admirarius retineret, quidã ex seruis eius Belchus nomine, contra eum insurgens, honore eum, patriaq; priuauit. Pulsus vero ille Sicilia ad supradicti Roberti Ducis confugit auxilium. Tunc nauali Dux collecto exercitu, Siciliam, Ducem expugnaturus ingreditur. Contra quem Saraceni, cum valido exercitu congredientes, iuxta ciuitatem Messanam, sine mora, Christo fauente, superati sunt, reliqui fugæ præsidium sumunt. Messana vero capta, eiusq; Admirario interfecto, Rimetum Dux peruenit ad vrbem, quam sibi tributariam faciens, cum mille equitibus, totidemq; peditibus ad Castrũ Ioannis peruenit. Aduersus quẽ Balchahot Saracenorum Admirarius, cum quindecim millibus equitum, & centum millibus peditum properans, bellum inijt: Mirum & omnibus retro temporibus inauditum, cum ex christianis non equitum, vel peditum aliquis vulneraretur, vel moreretur, ex Paganorum multitudi-

Digitized by Google

multitudine interfectorum numerus vix colligi potuit. Inde autem Dux victor recedens, venit in vallem de Mena, in qua Roecam B. Marci conſtruens, Calabriam redijt, & ſuper Barium (quę totius Apulię primatum obtinet) cum exercitu veniens, obſidionem locauit. Quam cum diu obſeſſam in deditionem accepiſſet, cum militari agmine Siciliam redijt, ac ciuitatem Catanenſium capiens, Panormum obſidere cępit. Quam cum quinque menſibus obſediſſet, tãdem illam, prout volebat, obtinuit. Talia igitur ad votum ſibi Dux euenisſe aduertens, immenſo valde congregato exercitu, ſuper Salernum caſtra locare diſponit. Quod ſupradictus Papa Gregorius dum comperiſſet, per Patrem Deſiderium Giſulfo Principi, ducis pacem expetere, monuit: ad quod ille, nec reſponſum quidem reddere voluit. Dux vero ſuum exercitum congregans, circa Salernum tentoria fixit. Ex alia autem parte Richardus Princeps rogatu Ducis occurrens, cum diuerſis bellorum machinis illam oppugnare vehementiſsime cępit. Hoc Deſiderius audiens, Richardum Principem abijt, eumq; vna ſecum ad Giſulfum venire rogauit. Quo dum veniſſet, poſt multa verba in vacuum habita, eorum Giſulfus ſpernit conſilium, & cum Duce nullo pacto ſe confęderaturum iureiurando affirmat. Deficientibus tandem in ciuitate eis, quæ ad victum ſunt neceſſaria, equorum, canum, aſinorum, ac muricipum carnes cępere comedere. Vendebatur autem canis iecur tarenis decem, modiũ vero tritici quadraginta quatuor bizantijs. Illorum vero egeſtatem Dux dum comperiſſet, intempeſtæ noctis ſilentio ſtipatus militum cuneis ad muros vrbis veniens, & portam clauſam lapidibus diruens, Salernum obtinuit. Ciuitate autem potita, Robertus Eccleſiam S. Apoſtoli, & Euangeliſtę Matthæi inibi conſtrui iuſsit, in qua etiam ſacrum eiuſdem Apoſtoli corpus ſumma cum veneratione locauit: os integrum brachij eius argentea theca reconditum, ad ſuam filiorumq; tutelam reſeruans. Inde autem Dux cum exercitu, ſociato ſibi Principe, ad hoc Monaſterium venit, atque à Deſiderio, & Fratribus honorifice ſuſceptus, illorumq; ſe orationibus commendans attentius, Campaniam expugnaturus ingreditur. Talia Papæ Gregorij dum peruenisſent ad

aures,

Digitized by Google

aures Ducem, & Principem à liminibus Ecclesiæ separauit, collectoq; exercitu, super eos ire disponit. Quod vbi Duci nuntiatum est, concite vna cum Principe Capuam remeans, Dux supra Beneuentum, Princeps verò supra Neapolim obsidionem firmauit. Neapolitani verò Principis terrore perculsi, omnipotentem Deum rogabant attentius, quatenus de supradicti Principis potestate, miseratione sua clementissima, eos eripere dignaretur. Cumq; eadem ciuitas acerrime expugnaretur, sanctus Christi martyr Ianuarius, cum alijs dealbatis sæpius videbantur à Principe, & eius exercitu per castra armati discurrere. Qui æstimans eum esse Archiepiscopum, mandat cur contra ordinem suum cum lancea scutatus ad pugnam procederet, cui respondens Archiepiscopus. Ego, vt tu vir illustrissime perspicis, inlectulo iaceo. Ille armatus quis sit ipse videas: nam pro certo scias, quia S. Ianuarius protegit, ac defendit hanc ciuitatem. Princeps verò eius dictis derogans fidem, ciuitatem oppugnare non desinebat. In qua obsessione ab excommunicatione solutus defunctus est, cui successit Iordanus filius eius. Exinde verò inter Ducem, & Principem dissensionis, & odij scandela orta sunt. Princeps enim fauens Papæ Gregorio, acceptis à Beneuentanis quatuor millibus quingentis bizantijs, castra, quæ Dux ad expugnationem Beneuenti firmauerat destruens, cum vniuersis Comitibus Apuliæ, contra eum conspirat. Quod vbi Duci, qui eo tempore in Calabria morabatur nuntiatum est, cum quadraginta sex millibus pugnatorum Apuliam redijt, & Asculum, montem Decico, & Arianum expugnans, cepit, & contra Principem super fluuium Sarnum ire disponit. Desiderius interea Pater hæc audiens, Ducem adijt, eumq; ad pacem redire rogabat. Cuius monitis Robertus obtemperans, pacem cum Principe facit. Exinde autem Dux mouens exercitum supra castrum, quod Monticulus dicitur obsidionem fecit: quod cum cepisset, Carbonaram, Petram palumbi, Montem viridem, Gentianam, vna cum Spinazzolo similiter acquisiuit.

Desiderius præterea ægrè ferens Ducē à matris Ecclesiæ gremio diu extorrem manere, Romam adijt, & Papam Gregorium rogare cepit, vt Ducem ab anathematis vinculo,

Digitized by Google

lo, quo eum ligauerat solueret. Quo impetrato, pacis amator, & conservator Desiderius, cum Cardinalibus ad Ducem profectus, eum ab excommunicationis vinculo soluit.

CAPVT XLV.

EODEM quoque tempore Rossellẽsis Ecclesiæ Pontifex ad hoc cœnobium veniens, non paruæ pecuniæ numerum in hoc loco deposuit. Quod vbi Iordano Principi relatum est, missis militibus eandem pecuniam de Ecclesiæ secretario abstractam, ad se deferri mandauit Fratres autem ad hæc: Pecunia, quæ Patri Benedicto credita est, nos alicui viuentium minime damus, sed illam in secretario ponentes; ex inde, qui præsumpserit, auferat. Milites vero hæc audientes, & diabolico stimulo debriati, pecuniam de secretario Ecclesiæ abstrahentes, ad Principem deferunt. Tantum vero, & tam immane flagitium, Gregorij Papæ, dum peruenisset ad aures, huius temeritatis noxam inultam esse non ferens, & verens, ne exemplo huius facinoris iterum nostra Ecclesia violaretur, diuinum officium in Patris Benedicti Ecclesia interdixit, altariaq; omnia denudari fecit: asserens quod in tanto scelere nimiæ negligentiæ, & acriter vlciscendæ timiditatis, & Desiderium, ac Fratres arguere posset, & grauius aduersus congregationem nostram commoueri debere, nisi ea, qua locum istum semper dilexerat, charitate detineretur. Siquidem tolerabilius sibi videretur, villas, & castella nobis pertinentia in prædam, & direptionem dari, quam vt sanctus locus per totam christianitatem famosus, & venerabilis, tantæ ignominiæ periculo subiaceret. Sed non in longum postquam officium de Ecclesia nostra interdictum est, vindictam distulit dextera Dei. Nam tanti auctor sceleris, postquam pecuniam accepit lumen amisit. Idem vero Papa Gregorius in Concilio residens constituit, vt si quis Normannorum, vel quorumlibet hominum, villas seu possessiones cœnobij huius Casinensis inuaserit, & bis, vel ter admonitus non emendauerit, excõmunicationi subiaceat, donec resipiscat, & Ecclesiæ satisfaciat.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XLVI.

EODEM anno Iordanus Princeps, cuius ſupra meminimus more priorum Principum, generale præceptum huic Monaſterio fecit de omnibus finibus, ac pertinentijs eius, quo etiam præcepto ſpecialius cõfirmauit eidẽ Monaſterio, quæ tam Pater, quàm ipſe huic Monaſterio conceſſerant, ſeu concambiauerant, vel reddiderant. Ideſt caſtellum, quod dicitur Fractæ, & Terame, & Pedem de monte, & Mortulam, & Cucuruzzum, & Turrem ad mari: ſed & omnia, quæ antiquitus huic Monaſterio pertinuerunt in tota Liburia, cum Eccleſijs, ac finibus, & pertinentijs earum. Hæc inquam omnia in hoc loco ſpecialiter confirmauit. Biennio poſt hæc oblata eſt ab eodem Principe in hoc Monaſterio Eccleſia S. Rufi intra ciuitatem Capuanam, quæ dudum ſibi conceſſa, & per ſacramentum firmata fuerat ab his, quibus iure hereditario, iuxta morem patriæ, pertinuerat, cum ſeruis & ancillis, atque colonis, necnon & libris, & ornamentis, & omnibus omninò eam foris, quàm intus pertinentijs ipſius, mille librarum auri pœna propoſita id violare conantibus. Per eos etiam dies Comes Adenulfus, & Fratres fecerunt oblationem ſuam in hoc loco de lacu maiori, qui eſt iuxta ciuitatem Aquinenſem, cum omnibus eiuſdem laci pertinentijs, ſuper eam oblationem, quam ante annum Princeps Iordanus fecerat.

CAPVT XLVII.

De ſancto Guinizone.

HIS quoque temporibus, Guinizo Confeſſor Almificus, & huius cœnobij monachus, vita deceſsit. De cuius virtutibus, quia ad id loci decurrens peruenit hiſtoria, æquum planè videtur aliquanta opuſculo iſti annectere. Hic dum Baſilij peruerſi temporibus, pro huius cœnobij cauſis ad Todinum ſeruum, tunc in arce, quæ Bantra dicitur reſidentem, directus fuiſſet: rogatus, vt ea nocte in ſupradicta arce remoraretur, extra cellam

Digitized by Google

cellam, Guinizo, nullatenus se manere posse respõdit. Tunc Todinus, diabolico debriatus veneno, dum seruus Dei orationis gratia Ecclesiam intrasse conspiceret, cum summa diligentia claudi Ecclesiam fecit. Virgam vero, quam in manu seruus Dei adduxerat, vxori suæ tradens, in arcam claudi præcepit. Sed humani generis conditor, atque redẽptor, qui in se sperantes non deserit, misit Angelum suum, qui saluo ianuarum signaculo, eum de Ecclesia abstrahens, ad radices montis deposuit. Rustici vero, sole iam ad occasum vergente, redeuntes à ruribus, percontati à castri habitatoribus, si quid nouum in illis partibus foret gestum, responderunt: se omninò nihil aliud vidisse, nisi quemdam hominem soliuagum, discaleiatis pedibus, cambuttam in manu portantem. Todinus vero nequissimus seruus hoc audiens, euocat confestim Presbyterum, & quid de Dei homine actum fuisset sollicitè cepit inquirere. Qui cum in Ecclesia eum requisissent, & non inuenissent, stupore simul, & admiratione repleti sunt. Qualiter autem omnipotens Deus de Ecclesia, ianuis clausis, seruum suum abstraxit, vsque hodie cunctis mortalibus manet incognitum. Huius autem viri gesta magnifica, discipuliq; eius Ianuarij miracula, si quis plenius nosse desiderat, textum vitæ eius à nobis ante hoc fermè septennium exaratum relegat. Lib. 4. capit. 74.

Circa hoc ferè tempus sanctæ memoriæ Gebizo ex Colonia, de qua oriundus erat, egrediens, ad hunc locum peruenit: atque à Desiderio monachus factus est, vir humilitate summus, honestatis nitore conspicuus, qui' cuius apud omnipotentem meriti fuerit, non debet videri laciniosum, si ex his, quæ de eo apicibus tradita sunt, ex parte hic aliqua perstringamus. Habuerat namq; ante conuersionem quendam familiarissimum Adonem nomine prædiuitem. In vigiliis autem Natalis Domini oranti ei, diabolus innumera dæmonum caterua stipatus affuit. Quem vir Dei scisciatus est dicens: Vnde iocundaris miserrime? Et Diabolus: Quoniam de anima Adonis modo triumphaui, nunc enim inter nostros eum suscepi. Et his dictis, ostendit prædictam animam, iumentorum more ligatam, ad suppl.cium trahi. Tũc vir Dei, onus pœnitentiæ diuitis sibi imponens, cepit omnipotentem De B. Gebizone.

potētem Deum rogare, vt eandem animam de antiqui hostis potestate eripere dignaretur. Nocte verò aduenientem diabolus affuit, eumq; flagellis ita cæcidit, vt semineccm eum relinqueret, dicens. Cur pro eo ausus fuisti Dominum rogare, qui suis sceleribus innumeris exigentibus in nostra iura deuenit? Non tamen pro hoc vir Dei ab oratione cessauit, vsquequo Angelus Domini apparens ei, dixit. Hactenus ego, meiq; sodales pro Adone laborauimus, sed age gratias Deo, quia modo liberatus est, & nostris conciuibus aggregatus.

Nocte quadam dum in stratu suo, quod est ante secretarij ianuā, in ipso adytu basilicæ resideret, visi sunt in choro stare Fratres, & quasi viritim thurificaretur, à singulis subsellijs videbatur exire fumus, cuius virgulæ supra B. Benedicti colligerentur altarium. Cumq; ad hoc cerneret, Angelus Domini apparens dixit, quod vides orationes sunt Fratrū, quæ propterea in altari congeruntur, vt S. Benedictus repræsentet eas ante sedem maiestatis. Extant præterea de hoc egregio viro plura miracula, quæ si quis nosse desiderat, historiam vitæ eius à Paulo Grammatico, & huius cœnobij monacho descriptam relegat.

Ecclesia S. Liberatoris.

Hoc etiam tempore iussu Desiderij pulchro satis opere in Comitatu Theatino renouata est Ecclesia S. Liberatoris, ab Adenulfo iā dicti loci Præposito, & huius cœnobij monacho.

ADNOTATIO.

De B. Guinizone addition.

DE venerabili viro Guinizone, hæc refert Desiderius Cassinensis Abbas lib. 1. Dialog. Alius quoque vir venerabilis vitæ, Guinizo nomine, mente, & habitu monachus fuit, qui ex vlteriori Hispania nostrum ad cœnobium veniens, in hac vicina silua, non pauco tempore vitam solitariam duxit, ibiq. in omnipotentis Domini Iesu Christi seruitio vitam finiuit. De quo venerabili viro, Ioannes Abbas Monasterij S. Vincentij siti iuxta ortum Vulturni amnis, qui ei familiarissimus fuit, multa miranda mihi, cum ad hue in nostro Monasterio præposituræ curam gererem, referre solitus erat. Cuius discipulus Ianuarius nomine, magnę obe-

Ianuarius B. Guini-

dientię,

Digitized by Google

dientię, magnaq. abstinentia monachus extitit. Qui dum quodam tempore à magistro suo, venerabili videlicet Guinizone, vt ferramenta, quibus operari soliti erant, reficere, Aquinum missus fuisset, domum Fabri ferrarij adyt, atque ab eo eadem ferramenta reparare, data mercede, popposcit. Faber vero ferrarius cepit eum irridere dicens. Num ex pane, & aqua solitarius iste tam rubicundus, tam pinguis extat? Rubor iste, vt mihi videtur, magis ex vino, quam ex latice hausto procedit. At ille. Hodie, inquit, tibi vtrum ex natura, an ex assidua vini potatione rubore conspergar, ostendam. Cum vero ferrum in ignem missum vehementer ferueret, & Faber ferrarius id acceptum forcipe super incudem posuisset, ac scintillæ huc, illucq. vndique volantes totam penè domum illustrauissent, casu ferrum, ex incude in terram desiliens cecidit. Igitur venerabilis vir Ianuarius, ferrum ex incude cecidisse conspiciens, inclinans se, feruens ferrum nuda manu tenuit, ac super incudem ponens, malleatorem, vt quantotius id percuteret, hortatus est. At illi, qui aderant, viso tanto miraculo, nimio pauore perterriti, pedibus eius prouoluti, veniam ex irrisione, quam in eum exercuerant, humiliter deprecati sunt. Sicq. factum est, vt omnis illa irrisio, quam stulti homines in Dei seruum procaciter inferre præsumpserant, in venerationem versa sit. Itaq. cum venerabilis vir ad magistrum, atque ad cellam remeasset, ab eo vehementer correptus est, quod insultantibus cedens, talia, in oculis hominum facere præsumpsisset. Cumq. ille, vnde hoc sciret, vel quis sibi indicasset percontaretur: ille, inquit, qui tibi præstitit, vt posses facere, mihi etiam tribuit, vt possem scire; Ea quoque, quæ de hoc egregio viro, videlicet Guinizone, Ioannes religiosus monachus, qui in hac vicina silua, sub anachoritica disciplina commoratur solitus est referre, dignum duxi huic nostro associare libello. Dicebat enim quia cum adhuc in Beneuentana ciuitate in suo Monasterio degeret, quadam die, quidam Dei seruus, sibi alijsq. Fratribus, qui ibi aderant, intulit dicens. Pro certo sciatis hodie aliquem magnum virum è monachis apud montem Casinum ex hoc mundo migrasse ad Dominum. Quod illi audientes mirati sunt, quod per octoginta ferè millia egredientem è corpore animam

zonisdilci pulus.

mam illius videre potuerit, & non albibentes fidem, subtiliter studuerunt indagere, & repertum est, eo die illum venerabilem virum emisisse animam, quo prædictus Dei seruus Beneuenti positus, agnouit.

CAPVT XLVIII.

Ann. 1077 Comitissa Mattilda.

ANNO autem Dominicæ incarnationis, millesimo septuagesimoseptimo, Mattilda Comitissa Liguriæ, & Tusciæ, iram Imperatoris Henrici sibi infesti metuens, Liguriam, & Tusciam Prouincias, Gregorio Papæ, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ deuotissime obtulit. Hæc ergo causa inter Pontificem, & Romanum Imperium dissensionis, & odij fomitem ministrauit. Qua propter Pontifex opportunitate reperta, eumdem Imperatorem, ob inuestituram Ecclesiarum à liminibus Ecclesiæ separauit. Cæsar autem, cum optimatibus Imperij consilio habito, transcensis alpibus, vt cũ Pontifice paciscereturintrauit Italiam. Triduo namq; ante Pontificis curiam, qui eo tempore in vnam munitissimam Mattildæ arcem se contulerat, idem Augustus discalceatus permanens, pacem exposcebat, & hoc per se, hoc per Principes Imperij, hoc per familiares Apostolici postulabat. Pacis autem tenor istius modi fuit: vt si quid cõmissi ab vtraque parte factum esset, solueretur. Demum vero Cæsar more antecessorum suorum Romano Pontifici fidelitatem faceret. Postmodum vero cum Imperator, Papam, & Mattildam dolo capere vellet, detecta fraude, Pontifex à Mattilda monitus, & adiutus, Romam reuersus est. Cumq; Henricus in pristina relaplus esset, à Gregorio rursum excommunicatus fuit, coronamq; Imperij Rodulphum Ducẽ insignire curauit. Quod vbi Cæsari in Italia nuntiatum est, è vestigio in Gallias transiens, anno Dominicæ incarnationis

Ann. 1081 millesimo octogesimoprimo, contra eundem Ducem bellum iniens, in quo primo publico marte superatus; deinde victor effectus, eundem Ducem gladio trucidauit. Victor igitur Imperator effectus, suæ iniuriæ vleiscendæ memor, congregato

Digitized by Google

gato exercitu Romam aduenit, sed obsistentibus Romanis cum eodem Pontifice, sine effectu reuersus est.

Hoc etiam anno Robertus Dux cum quindecim millibus armatorum transito mari, Romaniam debellaturus ingreditur. Contra quem Alexius Imperator cum centum septuaginta millibus pugnaturus aduenies, bellum inijt, à quo idem Imperator deuictus est.

CAPVT XLIX.

HENRICVS interea Imperator, alio anno exercitum congregans, Romam aduenit, & Porticum S. Petri per vim cepit, & ex magna parte destruxit, atque Archiepiscopum Rauennatem, inuasorem Apostolicæ sedis, absque consilio, & voluntate totius Romanæ Ecclesiæ constituit. Ann. 1082 Henricus Romam venit.

Hoc audito omnes ferè istarum partium homines, vno animo, vnaq; voluntate contra Normannos conspirauerunt, vt cum Imperator Romam transisset, omnes in illos vnanimiter insurgeret. Quod illi cognoscentes, & malum timentes, acceperunt consilium intra se, vt si quomodo possent fœdus cum Henrico Imperatore componerent, dicentes: quia postquam Imperator Romam habuerit, nullam vlterius ab eo fidem habebimus, sed iunctus Romanis, & cæteris circa manẽtibus, omnes nos de partibus istis expellet. Quod postquam tractatum est, & positum inter eos, & nuntij eorum ad Imperatorem ob hoc ierant, & redierant: demum vocauerunt Patrem Desiderium, & quoniam neminem alium in his partibus inuenire poterant, in quo confidere potuissent, & de eo satis fideliter præsumebant, omnia ei, quæ consiliati fuerant credidere, secumq; eum ad Imperatorem ire hortati sunt; & licet propter securitatem suam, fidem cum Imperatorem componerent, eo tamen animo veniebant, vt causa fidelitatis Romanæ Ecclesiæ, de pace inter Imperatorem, & Pontificem satagerent. Hoc vbi Gregorio Papæ nũtiatum est supradictum Imperatorem cum omnibus suis sequacibus à liminibus Ecclesiæ separauit. Hoc vbi Norman-

Digitized by Google

ni perſenſerunt, omnes, qui prædictum Pontificem antea ſinceriter, ac fideliter diligebant, ex tunc ab eo corpore, & animo receſſerunt.

Henricus Imperator Deſiderium ad ſe vocat.

Imperator interea, per Comites Marſorum, miſit epiſtolam ad Patrem Deſiderium, vt iret ad eum: ad quam epiſtolam nullum omninò reſponſum dedit, quia neſciebat cuiuſmodi ſalutationem ei ſcriberet. Idem miſit illi aliam, ſatis minando, quod nec ad eum iuerit, nec ad ſcripta ſua reſpõderit, mandauitq; ei, vt Farfæ ſibi occurrere non moraretur, niſi fortè vellet grauiter pœnitere. Ad hæc Deſiderius reſcripſit ei pro ſalutatione, debitæ fidelitatis obſequium, ideò quia nullam ei fidelitatem ſe debere putabat; & cum multas rationes illi in ipſis litteris poſuiſſet, ſe propter Normannos non poſſe illum adire, ſed ſi fortè cum Romano Põtifice vellet pacem facere, inueniret aliquam occaſionem illum adeundi, & ad vltimum, vt illum ad pacem animaret, ſcripſit, neque regnum, neque ſacerdotium in tanto diſſidio incolume poſſe conſiſtere. Ad hæc Imperator iratus, & multa contra Deſiderium indignatione commotus, nuntijs ſuis, quos ad Principem mittebat, omninò interdixit, ne Deſiderio aliquid loquerentur, & Principi mandauit, vt Deſideriũ quantum valeret læderet, niſi ſua ſponte ad Imperatorem veniret. Hoc vbi Deſiderius Pater cognouit, Romano Pontifici hæc omnia litteris intimauit, & quid ſibi inde eſſet agendum conſuluit, ſed nullum ab eo ſuper hoc reſponſum accepit. Rurſus igitur Imperator miſit litteras, vt nullo modo dimitteret, quin ad eum in Paſcha iret, & cum eo ipſam feſtiuitatem celebraret, & aliam miſit monachis, de eadem re, ſed adhuc ire ad illum diſtulit. Poſtquam verò Princeps, & omnes Normanni ad Imperatorem pergebant, & Princeps Deſiderium ſecum ire hortabatur, idem Abbas Fratres conuocans dixit ad eos.

Deſiderij ad monachos ſuos oratio.

Anguſtiæ mihi ſunt vndique, ſi enim ad Imperatorem non iero, imminet periculum, & euerſio Monaſterij, ſi autem iero, & voluntatem eius impleuero, incurram periculum animæ, ſi autem iero, & voluntatem eius non fecero, imminet periculum corporis mei, ſimulq; timeo, ne iratus Imperator ita Normannis Monaſterium iſtud, quod ſub tutela,

Digitized by Google

tela, & defensione eius est, sicut & totum Principatum cōcedat; pergam tamen ad eum, tradens me morti, & periculo, neque enim faciam animam meam pretiosiorem quam Patrem sanctissimum Benedictum: nam & pro vestra communi salute animarum, & corporum, lociq; istius incolumitate, si aliter fieri non potest, opto anathema esse. Si enim millies occidar, nullus me separabit à dilectione loci istius; nam non dico Imperatori, qui christianus est, sed etiam alicui pagano, siue tyranno occurrere non recuso, dummodo hoc Monasterium valeam ab eius barbarie liberare. Nam & Leo Papa, vt ciuitatem Romanam à deuastatione, & incendio liberaret, Genserico Regi Ariano occurrit, & Sabinus Canusinus, Attilam æque Arianum ad conuiuium inuitauit, & demum eius calicem accepit, & bibit, & Pater Benedictus Zallam similiter perfidiæ Arianæ hominem, etiam in oratione susceptit, vt eum ab afflictione rustici mitigaret. Hæc cum dixisset, Patri Benedicto se commendans, iter arripuit. Ita tamen, Deo se protegente, cauit, vt in toto illo itinere, & in tota illa mora, quam ibi habuit, cum multi sibi Episcopi, & honorati viri, amici etiam sui quamplurimi, & Imperatoris Cancellarius occurrissent, neminem osculatus est, cum nullo eorum simul orauerit, comederit, aut biberit. Postquam verò Albanum peruenit, neque ipse ad Imperatorem iuit, neque ad illum aliquem misit, sed per totam illam hebdomadam minæ sibi ab Imperatore tantummodo mittebantur. Nam mandabat ei, vt sibi fidelitatem faceret, & homo ipsius deueniret, & Abbatiam de sua manu reciperet. Quæ videlicet omnia, Desiderius forti animo contemnebat, dicens: se non modo pro Abbatia, sed nec pro honore totius mundi id esse facturum. Cumq; tam rigidum, & inflexibilem eum Imperator esse cerneret, iratus est valde: præcepitq; Principi, quatenus nuntios suos acciperet, & cū eis ad Monasterium veniret, illisq; ipsū assignaret, sed cum Princeps multa illi bona de Desiderio frequenter locutus fuisset, & eum ad illum duxisset, ita flexit se, vt ipse coram Principe amicitiam sibi promitteret, & de corona Imperiali acquirenda illum pro suo posse adiuuaret, saluo tamen ordine suo. Quæ quoniam ad comparationem superiorum Ann. 1083

Digitized by Google

Desiderio leuia visa sunt, quia aliter nequiuit, consentit, & coram Principe hoc ei promisit. Cumq; adhuc exigeret, vt virgam Abbatiæ ab ipso reciperet. Respondit: quia cum Romani Imperij coronam eum habere vidisset, tunc si sibi videretur, Abbatiam ab ipso reciperet, si verò nollet, dimitteretur. Post hæc Imperator, accepto à Principe magno quantitatis pretio, per præceptum aurea bulla bullatum, confirmauit ei totius Capuani Principatus attinentias, retento sibi, & Imperio Monasterio Cassinensi, cum vniuersis rebus, ac pertinentijs suis.

Super hæc interim, quamdiu ibi permansit Desiderius, quotidie, ac sæpe cum Episcopis, qui cum Imperatore erant de honore Apostolicæ sedis contendit, & præcipue cum Episcopo Ostiensi, qui etiam Papæ Gregorio fauere videbatur. Cum ille ei priuilegium Nicolai Papæ, quod cum Hildebrando Archidiacono, & centum vigintiquinque Episcopis fecerat, ostendisset, vt nunquam Papa in Romana Ecclesia, absque consensu Imperatoris fieret, quod si fieret, sciret se non pro Papa habendum esse, atque anathematizãdum: Desiderius tam illum, quàm omnes, qui eum adiuuabant palam conuicit. Dixit enim, neque Papam, neque Episcopum aliquem, neque Archidiaconum, neque Cardinalẽ, sed nec vllum hominem, iuste hoc facere potuisse. Apostolica enim sedes domina nostra est, non ancilla, nec alicui subdita, sed omnibus est prælata, & ideo nulla ratione posse constare, vt eam aliquis quasi famulam vendat. Quod si hoc à Nicolao Papa factum est, iniustè proculdubio, & stultissime factum est, nec pro humana stultitia, potest, aut debet amittere suam dignitatem Ecclesia, nec vnquã debet à nobis hoc aliquatenus consentiri; nec Deo volente amplius fiet, vt Rex Alemannorum Papam constituat Romanorum. Ad hæc iratus Episcopus, dixit. Quod si hæc Vltramontani audirent, omnes simul adunati vnum fierent, & Ecclesiam destruerent. Desiderius respondit. Certè si non solum hi, sed etiam totus mundus contra hoc vnum congregaretur, nunquam nos ab hac sententia excludere posset. Potest quidem Imperator ad tempus (si tamen permiserit Deus) prævalere, & vim Ecclesiasticæ iustitiæ inferre, nostrum tamen

Desiderius disputat cum Episcopo Ostiensi.

Notabilis Desiderij sententia.

Desiderij magnanimitas.

consensum

Digitized by Google

consensum nunquam poterit inclinare. His, & huiuscemodi pluribus quotidie, cum eis, & sæpissime contendebat, & iustis eos rationibus conuincebat. Cum Archiepiscopo etiam Rauennate super eadem re satis contendit, & de prœuio priuilegio iustis eum rationibus vicit: cur etiam de Papatu se intromisisset, non leuiter reprehendit, sed cum multis rationibus satisfacere voluisset, nec valuisset: inuitum se fecisse respondit: nam si hoc non fecisset, honorem suum Imperator proculdubio perdidisset. Desiderius autem ab eodem Imperatore præceptum aura bulla bullatum de huius loci possessionibus accipiens, & licentiam redeundi ab Imperatore impetrata, ad hoc Monasterium est reuersus. Desiderius Cassinum reuertitur.

CAPVT L.

CIRCA hæc tẽpora Hugo venerabilis Abbas Cluniacensis, vir celeberrimæ vitæ, ac famæ, ad Patris Benedicti limina aduenit, quem venerabilis Desiderius honorifice, vt tantum decebat virum, suscipiens, & societatem Cluniacensium Fratrum nostræ congregationi adiungens, memoriam illorum apud nos, nostræq; congregationis apud illos in morte, & in vita viri venerabiles in perpetuum habendam scripserunt. S. Hugo Cluniacẽsis Abbas Cassinum venit.

Tunc temporis in hoc Cassinensi cœnobio, cum quidam Frater, Gregorius nomine, ex hoc mundo migrasset, tanta odoris fragrantia de loco in quo iacebat emanauit, vt omne subito hoc Monasterium odoris suauitas disperserit. Cumq; omnes mirarentur, nuntius ab infirmorum domo venit, qui Gregorium monachum obijsse nuntiauit.

Quidã Frater in hoc Cassinensi cœnobio, Rãdicius nomine fuit, cuius quanta, qualisq; vita extiterit, in ipso mortis articulo Dominus ostendere dignatus est: nam cum expleto viuẽdi tempore mortis persoluere debitum, cœperunt Fratres, sicut mos est, eius animam omnipotenti Domino commẽdare. Cum iam extremum halitum traheret, voces psallentium virtute, qua poterat cõpescere cœpit, dicens. Tacete, tacete: numquid non auditis, quantæ resonant laudes in

Digitized by Google

cœlo? Nunquid pueros, qui laudes decantant non videtis? Nam veſtimenta, vultusq; eorum ſunt, vt nix. Vnde per Dominum obnixè vos poſtulo, vt ſileatis, mihiq; tam ſuauiſſimum cantum audire ſinatis. Hæc dum diceret, extremum halitum fudit.

ADNOTATIO.

De hoc Gregorio hæc ait Deſiderius lib. 2. Dialogorum. Gregorius quidam ſummæ religionis monachus in hoc cœnobio dictus eſt, qui ſicut à pleriſque huius loci Fratribus audiuiſſe me reminiſcor, dum in præſenti vita moratus eſt, ſub monaſticæ diſciplinæ regula omnipotenti Domino ſtuduit ſtrenuiſſime deſeruire. Cumq. expleto vitæ termino ex hoc mundo migraſſet, tanta odoris fragrantia de loco in quo exanimis iacebat emanauit, vt omne ſubito Monaſterium illius odoris ſuauitas, quaſi vnius angulum domatis mirifice reſperſerit. Et dum omnes odoris illius ineffabili quadam ſuauitate recreati mirarentur, ac quod eſſet omnino neſcirent, nuntius repentè ab infirmorum domo properans venit, qui Gregorium monachum obiiſſe retulit. Voluit itaque omnipotens Deus oſtendere, quanti meriti iſte vir fecerit, cuius egredientis anima, tam mirifico odore cœnobium omne repleuerit.

CAPVT LI.

SEQVENTI tẽpore Ioannellus, & Seifridus pro parte ſua, & parentum ſuorum renuntiauerunt ſe huic Monaſterio de caſtello Saraceniſco cum pertinẽtijs ſuis, recipientes perſonaliter à Deſiderio monetæ Papienſis ſolidos ducentos, centum librarum auri pœna appoſita. His porrò diebus Deſiderius ante præſentiam Iordani Principis, conceſſit Goffrido, cognomẽto Monio, diebus vitæ ſuæ caſtrum Suienſe, in eo tenore, vt ipſum caſtrum non recognoſceret, neque à Principe, neque ab vllo homine, niſi à prædicto Abbate,

Digitized by Google

bate, & successoribus suis, & seruiret inde huic Monasterio, & eius Abbatibus per rectitudinem: ad mortem verò prædictum castrum in huius loci potestate rediret.

CAPVT LII.

ALIO præterea anno Henricus Imperator Romam cum exercitu venit, & supradictũ Papam Gregorium, qui in arce S. Angeli se contra eum munierat, cum diuersis bellorum machinis oppugnare modis omnibus cępit. Hoc vbi Roberto Duci, qui ea tempestate Constantinopolitanum Imperatorem expugnabat, relatum est, Boamundum filium suum in ipsa expeditione relinquens, Italiam citissime redijt, ac immensum valde exercitum congregans, ob Papæ liberationem contra Imperatorem ire disponit. Quod vbi Desiderio nuntiatum est, Nuntium Romæ illico destinauit, qui & Papæ liberationem, & Imperatori aduentum ducis nuntiaret. Tunc Imperator vrbe egrediens, ob id scilicet, quia sine militum præsidio erat, ciuitatem Castellanam ingressus est. Robertus autem Dux, Romæ cum exercitu ad Ecclesiam SS. Quatuor Coronatorum in tempestæ noctis silentio dum adueniſſet, ex cõsilio Cencij Romanorum Consulis, ignem in vrbem immisit. Romani igitur re inopinata perculsi, ac in igne extinguendo dum erant intenti, Dux confestim cum exercitu ad arcem S. Angeli properans, Pontificemq; inde abstrahens, Romam sine mora egressus, Papam Gregorium ad hoc Monasterium vsque deduxit: quem Apostolicum, noster Abbas vsque ad ipsius exitum, cum Episcopis, & Cardinalibus, qui eum secuti fuerant sustentauit. Ann. 1084

Pontifex Cassinum venit.

CAPVT LIII.

FACTVM est autem dum idem Papa Gregorius missam celebraret, vt vir quidam Ioannes nomine, non longè ab altaris crepidine astaret. Cumq; ad ipsum altare oculos leuasset, subito in extasim raptus, Visio facta circa Gregorium VII.

Digitized by Google

tus, niuei candoris columbam, cuius guttur videbatur esse aureum, super eamdem aram stare conspexit. Quæ mox inde aduolans, atque supra dextrum humerum Papæ Gregorij recubans, alis protinus expansis, vtrosque protexit humeros: & tamdiu sic perstitit, quousque commistio corporis, & sanguinis Christi in calice facta fuit. Iterumq; sicut prius in humero se colligens, inde ad altare descendit, caput blande super hostiam flectens (viro illo, quid hoc esset nesciente) cum celeri volatu pleno rostro remeauit ad cælum. Post hæc reuersus homo ille ad cor, ita ad memoriam redijt, vt penitus in eius animo nulla visionis huius manerent vestigia. Nocte verò subsequente, cum se sopori dedisset; vir vt sol irradians, minaci vultu in medio suæ domus ostio eidé apparuit: quo viso, de stratu in quo iacebat prosiliens, terrore cogente nimio, fugam tentauit arripere: quem vir supereminēs extensa manu compescuit, brachium eius tenens suauiter. Cernens autem ille, quod nullo modo manus eius euadere posset, ac si ligatus, inuitus stetit: cuius ad auxilium, quidam niuea canitie aspersus, stola candida indutus, subito aduenit, illius mærorem manu consolationis abstergens, de captione, qua tenebatur eum eripuit, quē libera voce: Quis hic tantæ potestatis, vel claritatis esset, intrepidus inquisiuit. Cui, hic est sol iustitiæ, respondit; & ille: Nomen tuum, simili modo quærenti mihi, edisserē; Nequaquam, inquit, meum scire nomen oportet, sed ad interrogata sapienter mihi responde. Reminiscēris forsitan, quod hesterna die in Ecclesia dum astares vidisti? Ille cui obliuio animum impedierat, cēpit infra se voluere, & cogitare, quid ab eo senior quæreret, & subito memor sui factus, per ordinem sibi retulit rei euentum. Vade, inquit, quantocius auribus Papæ hoc ipsum intimato, vt constanter vigore Spiritus sancti cēptū opus peragat; & confestim ab oculis eius ablatus est.

ADDITIO.

Note thoc simoniaci

DEsiderius lib. 3. Dialog. aliud mirabile gestum, de hoc sancto Pontifice refert, quod maxime vellem notarent,

ac

ac intimo corde ruminarent simoniaci, qui gratiam Spiritus sancti vendere, aut emere, quasi pro nihilo ducunt: sic igitur ait Desiderius. Venerabilis Gregorius Papa, cuius superius memoriam feci. quid contra Simoniacam hæresim, se præsente Dominus ostendere voluit, sæpe mihi solitus est referre. Cum essem, inquit, Subdiaconus, & à B memoriæ Victore huius Apostolicæ sedis Pontifice, in Galliam pro Ecclesiasticis negotijs discutiendis essem transmissus curæ mihi fuit Episcoporum conuocare Concilium, vt illis coram positis, de Ecclesiasticis negotijs tractaremus. In eadem verò ciuitate, qua Synodus cogebatur, Episcopus erat, qui pretio honorem comparasse Episcopatus à multis affirmabatur. Igitur vocatus Episcopus, venit in medium, cum ergo eum exhortari salutaribus monitis cœpissemus, vt quæ sibi opponebantur, conscientia iam fatente, humiliter confiteretur: ille, tum quia eiusdem ciuitatis erat Episcopus, tum quia fretus auxilio Comitis ipsius Terræ, plenus superbia omnino verba nostra paruipendebat. Sed cum à nobis, & à cæteris, qui ibi aderant Episcopis, sub iustitiæ regula, se, quod non sperauerat, constringi conspiceret, nec effugiendi haberet licentiam, negare pertinaciter cœpit, quod ante vix audire dignabatur. Cumq. verba producerentur in longum, & maximum diei spatium esset consumptum, & ille nihilominus in sua pertinacia negando persisteret, hoc modo, eum cum cæteris, qui aderant religiosis Episcopis, nobis audire visum fuit, & totum iudicium in ostensione Spiritus sancti committere. In nomine, inquam, Patris & Filij, & Spiritus sancti, cuius donum gratiæ te comparasse audiuimus, vt huius rei veritatem edisceras adiuramus. Quod si amplius, vt cœpisti, negare tentaueris, Spiritum sanctum, donec quæ vera sunt confitearis, nominare non valeas. Qui Episcopus, cum abunde eloquens esset, & à nobis exhortaretur, vt Spiritum sanctum nominaret. Patrem quidem, ac Filium satis diserte nominabat, Spiritum verò sanctum, mirum in modum, nullo modo nominare poterat. Tunc omnibus, qui aderant luce clarius patuit quod honorem Episcopatus dato pretio emerat, qui non nisi Spiritus sancti gratia largiente tribuitur. Tunc virtute Spiritus sancti tremefactus Episcopus, humiliter coram omnibus confiteri coactus est, quod

Digitized by Google

quod ante inflatus superbia, Dei timore postposito, procaciter negare præsumpserat.

CAPVT LIV.

HIS porrò temporibus quidam Amalfitanæ ciuitatis nobilis, mundo, mundanisq; omnibus abrenuntians ad hunc locum peruenit, & à Desiderio gratanter susceptus, & monachus factus est: partem non exiguam ligni salutiferæ, & viuificæ crucis auro, & lapidibus pretiosis exornatam, & in aurea icona locatam, quam ipse de palatio Constantinopolitano abstulerat in coniuratione, quæ contra Michaelem Imperatorem facta est B. Benedicto deuotissime obtulit.

Desiderius autem post ista Capuam pergens, & officinas Monasterij Capuani in ruinis iam positas cernens, ad renouationem illius animum dedit. Diruta namq; priori Ecclesia, iussit conduci artifices, alios ad muros constituendos, alios ad capitella columnarum miro opere facienda. Euocansq; ad se Benedictum eiusdem loci Præpositum, præcepit, vt in eiusdē Ecclesiæ renouatione, omnibus rebus postpositis, specialiter inuigilare studeret. Cuius ille imperio parens, Patris Benedicti basilicam, sicut nunc cernitur, pulcherrimam satis construxit. Quæ quidem Ecclesia habet in longitudine cubitos octo & nonaginta, in latitudine duos & quinquaginta, in altitudine quadraginta, columnas ab vno latere nouem, ab altero totidem. Tunc temporis cum omnis tellus aresceret, Fratribus omnipotentem Deum, & Patrem Benedictum, per aliquot dies ex hoc rogantibus, pluuiam Dominus abundantissime tribuit. Et vt meritis beatissimi Patris Benedicti id euenisse crederetur, solummodo intra terras Monasterij diffusa est, à foris vero, ne vna quidem pluuiæ gutta cecidit.

Datur terræ pluuia meritis B. Benedicti.

CAPVT LV.

SEQVENTI vero tempore Theodinus filius Mainerij de Triuento obtulit huic loco Monasterium S. Saluatoris

Digitized by Google

uatoris, quod situm est prope fluuium Aresta, simul cum castello, quod eidem Monasterio pertinet vocabulo Pesclatura, & duobus alijs Ecclesijs idest S. Maria de Colle rotundo, & S. Paulus de Petra coruina cum vniuersis earundem Ecclesiarum mobilibus, & immobilibus. Transmundus quoque Theatinus Comes similiter obtulit in hoc Monasterio tria sui iuris castella in Comitatu Pinnensi, quorum vnum vocatur Arsita, alterum dicitur Bacucco, tertium nominatur Bisenti, cum terra nihilominus decem millium, & eo amplius modiorum.

Circa hæc ferè tempora vir Domini Aldemarius huius cœnobij monachus, & miraculorũ patrator egregius, apud Bocelanicum vita decessit. De cuius miraculis, quia id ratio exigit aliquanta opusculo isti ad succedentium memoriam perstringenda sunt. Hic dum quodam tempore Bouianum pertransiret, vnus è supradicti loci habitatoribus eum interficere cupiens, vibrato telo ita lacertum eius obriguit, vt brachiũ flectere nullo modo posset. Tunc vbi se tali correptum pœna perspexit, eundem Aldemarium rogare cœpit, vt sui misereri dignaretur, vir autem Domini orationem pro ipso fundens, persequentem se confestim sanum restituit. Nec hoc silendum videtur, quod si quis languidus aquã viri Domini manibus benedictam in potum accepisset, saluti pristinæ citissime restituebatur. B. Aldemarius.

Per hos dies oblata est in hoc Monasterio à supradicto Principe Iordano Ecclesia S. Agathæ iuxta Auersam, quam dudum Constantinus Africanus, sicut iam supra taxauimus, B. Benedicto obtulerat, cum curtibus, & villanis, & vniuersis pertinẽtijs eius, qualiter eam Richardus Princeps pater eius dotauerat, & sicut Gulielmus Cappellanus ipsius, qui eam restaurauerat, ad diem obitus sui tenuerat.

CAPVT LVI.

HOC interea anno Robertus Dux, qui cum Constantinopolitano Imperatore, eiusq; exercitibus multa iam dudum prælia prospere gesserat, multasq; eius Vrbes occupauerat, cum esset in eadẽ expedi-

Digitized by Google

expeditione, obijt, corpusq; eius Italię delatum, & in Venusina ciuitate cõditum est. Hic interea ad diem obitus sui, brachium S. Apostoli, & Euangelistæ Matthæi Cappellanis suis, filio suo Salerni reportandum, atque reddendum reliquit. Sed illi substantia pauperes, ac fide pauperiores, thecam argenteam, in qua sanctum brachium erat recõditum, inter se diuidunt, indeq; Ierosolymam pergentes, sanctas reliquias, vsque ad diem obitus sui, apud se retinuere, celantes. Ad mortem autem venientes supradictas reliquias inscijs socijs, pueris suis contradunt: qui, qualiter sanctum brachium temporibus Girardi Abbatis ad hunc locum detulerunt, loco suo scribemus. Non autem videtur *indignum* hic ex parte aliquam summã oblationum istius *ducis, eiusq;* coniugis Sicelgaite ad scientiam posterorum annectere, qui supra omnes ferè sui temporis mortales locum istum Patrem Desiderium, & nostram congregationem diligere exaltare, & honorare studuerunt.

Lib. 4. capit. 73.

CAPVT LVII.

PRIMA igitur vice, quando idem Abbas Regium perrexit ad eos, donauit ei Dux sexcentos bizantios, & quinque pallia, & vnam nauiculam auream. Alia vice palliũ vnum magnum, & gemmas, atque margaritas quamplures, pro Skifatis septingẽtis. Item alia vice ad Castrumuillari, donauit ei sexcentos bizantios, & bis mille Africanos, & tredecim mulos cum tredecim Saracenis, & vnum tappetium magnum. Item quando ægrotauit, dedit mille skifatos. Item à Gallipoli mandauit trecentos bizantios, & duo millia tarenos. Quando prima vice venit huc, & iuit in Campaniam, posuit in Capitulo duodecim libras auri, & centum bizantios, & super altare B. Benedicti trecentos skifatos, & tria pallia, & centum skifatos pro fabrica dormitorij, & centum in refectorio, & quadraginta in hospitali, & duodecim libras denariorum in infirmario, & centum michalatos pro pictura Capituli. Quando venit super Aquinum, misit huc quingentos bizantios.

Digitized by Google

tios. Quando recepit Barium donauit Deſiderio duodecim libras auri. Item ſecunda vice, quando perrexit ſuper ciuitatem Tiburtinam, poſuit in Capitulo duodecim libras auri; ſuper altare verò centum skifatos, & vnum pallium magnum. Tertia vice quando reuerſus eſt à Roma cum Papa Gregorio, poſuit in Capitulo mille ſolidos Amalfitanos, & centum bizantios ſuper altare; & abiens hinc miſit centum nonaginta farganas Fratribus in dormitorio. Alia vice miſit huc mille tarenos pro piſcibus. Item mille tarenos, & vnũ nauigium valens ſolidos mille. Item quadringentos ſolidos Amalfitanos. Item à Romania miſit huc mille michalatos. Vxor præterea illius quando ægrotauit, miſit B. Benedicto quadragintaquinque libras argenti, & pallium vnum. Item quãdo venit huc poſt mortem Ducis, poſuit in capitulo trecentos skifatos, & cooperuit omnes menſas refectorij mantilijs. Alia vice obtulerunt B. Benedicto altarium aureum, cum gemmis, margaritis, & ſmaltis ornatum. Coopertoriũ altaris ſericum, cum vrna purpurea, ornatum margaritis, & ſmaltis. Calicem aureum paruum. Planetam purpuream cum friſo, & cum aquila de margaritis. Tunicam vnam de panno pretioſo inaurato. Pluuiales quatuor. Albas ſericas quatuor. Albas de mataſſa bambacij octo. Candelabra de cryſtallo, & onichino, atque argento, parium vnum. Alia candelabra argentea cum malis cryſtallinis, parium vnum. Bazilia de argento parium vnum, librarum ſeptem. Lanternam argenteam librarum octo. Scrinium argenteum ſuper altare cum nigello, librarum octo. Scrinium eburneum magnum. Coppas duas argenteas deauratas cum nigello, librarum quindecim. Concam argenteam cum aquamanili ſuo, librarum vigintiquatuor. Vrceum de cryſtallo maiorem. Scutellam argenteam cum nigello, librarum quatuordecim. Alias duas librarum decem. Scutellam aliam librarum ſexdecim. Pannos ſericos octo. Circitoria de altare S. Benedicti quatuor. Duas cortinas arabicas, quæ pendebant ſupra chorum. Alias duas cortinas, quæ appenduntur in circuitu chori per quadrageſimam. Item quando venit huc poſt mortem Ducis, poſuit in Capitulo quinque libras auri, & duas dedit in infirmario, vnam pro expenſis, alteram pro balneo

Digitized by Google

balneo constituendo. Super hæc omnia obtulerunt B. Benedicto Monasterium S. Petri Imperialis in Taranto, cum decima de piscaria, & cum decima manualium suorum. Monasterium S. Angeli in Troia, S. Nicandri, S. Anastasiæ in Calabria, S. Nicolai in Selectano, & Fundicum in Amalfi, cum pertinentijs suis.

Anno sequenti eadem Ducissa Sicelgaita, per consensum filij sui Ducis Rogerij, obtulit B. Benedicto per chartam aurea bulla signatam, locum qui Cetrarius dicitur, in Calabria, cum toto portu suo, & omnibus pertinentijs suis, atque vniuersis colonis ibidem habitantibus, quem videlicet in dotem à prædicto coniuge suo, Duce Roberto, *dudum* receperat, ea tamen conditione, vt quo ad ipsa viueret, *idē* locus in eius dominio permaneret. Post obitum verò eius, absque vlla heredum, seu successorum suorum calumnia, ad huius Monasterij ius remearet. Super hæc autem transmisit B. Benedicto, per Desiderium, altare pretiosissimum auro, ac smaltis margaritis, & gemmis, quodq; his omnibus multo pretiosius est, Beatissimi Apostoli, & Euangelistæ Matthæi sacrosanctis reliquijs mirifice decoratum.

CAPVT LVIII.

HOC eodem anno Ioannes Comes filius Landulfi de Venafro, ad extrema veniens, ad hoc Monasterium cum rebus suis ferri se iussit, & concambium de castello suo, quod Cardetū vocatur *ideo* nobis valde congruum, quia contiguum, diu iam *optanti* Desiderio, fecit. Datę sunt autem pro eiusdem castelli commutatione quatuor Ecclesiæ, quas in Venafro habebamus cum omnibus possessionibus, ac pertinentijs earum, ideſt S. Benedictus, qui vocatur Pizzulu, S. Maria in Sala, S. Nazarius in Biperozzu, & S. Benedictus intra eandem ciuitatem. Per hos dies Marinus Comes Traiectensis, vna cum Oddulana vxore sua, obtulit B. Benedicto totam partem suam de Comitatu Traiectano, & Castrospineij, ac Fractæ. His quoque diebus Gualterius Comes Lesinensis reddidit B. Benedicto fluuium Lauri cum tota piscaria sua, & ipsam focem S. Benedi-

Digitized by Google

S.Benedicti cum tota piscaria,& calatoribus suis,tam intus, quàm foris cum introitu, & exitu suo: necnon & Ecclesiam S.Focatis, & Ecclesiam S. Petri cum pertinentijs suis, quæ malo ordine retinuerant homines de ciuitate Lesinensi. Tunc temporis Leo filius Symeonis ad mortem veniés, per manus Desiderij, obtulit in hoc loco, omnia sua mobilia, & immobilia, tam intus, quàm foris in ciuitate Barensi.

CAPVT LIX.

HIC Abbas concessit Landoni Comiti Traiectensi quartam partem de eodem Comitatu Traiectano, quam videlicet Marinus Comes, sicut supra diximus, S.Benedicto, cum Oddulana vxore sua, tradiderat, & quartam partem de castro Fractæ, & medietatem de castro Spinij, & quartam partem de Monasterio S.Martini ad Aquamundula, excepto Monasterio S.Martini cum pertinentijs suis: in eo tenore, vt idem vbicumque vocatus fuisset, supradicto Abbati, ac eius successoribus fideliter seruiret; post mortem vero suam,omnia hæc in Monasterij ius absque contradictione redirent.Fecit & libellum Transmundo Comiti Theatino vsque ad tertiam generationem de Castellomonte, & castello Mucculla, & castello Frisa cum pertinentijs suis, eo videlicet ordine, vt in tertia generatione supradicta castra in Monasterij huius ditionem redirent. Eodem verò tempore Petrus filius Gregorij Romanorum Consulis, præceptum fecit huic Monasterio de Ecclesia S. Antonini in Monte Porculo, cum omnibus attinentijs suis: quam supradictus Gregorius Consul Romanorum, vna cum filio suo Ptolemeo B.Benedicto obtulerat.

CAPVT LX.

IDEM quoque Gregorius illustris, ob maximam deuotionem, quam in Patre Benedicto, & per eum in loco isto habebat, cum supradicto filio suo Ptolemæo constituit, vt omni tempore nauis nostra cum nauclero,& nauticis suis libera maneat ab omni conditione,& de-

Digitized by Google

bito pensionis, & vt nullum plateaticum, vel portaticum Monachi nostri aliquando darent, in omni iure, ac ditione potestatis suæ, mari, terraq;. Obtulit etiam tunc B. Benedicto Ecclesiam, quæ dicitur S Ierusalem cum vniuersis pertinentijs suis, sitam in territorio Tusculano, iuxta tenorem scilicet, quo antea Monasterium S. Agathæ, & S. Angeli, S. Luciæ, S. Felicitatis, S. Petri in Pelgi, S. Saluatoris in Tusculano, & S. Mariæ in Vineis huic Cassinensi cœnobio concesserat, & confirmauerat.

Sequenti tempore Iordanus Princeps præceptum *fecit* Desiderio de terris, quas homines nostri de castro Teramensi, & Plumbariola, & Pedemontis emerant *ab hominibus* de Aquino. De castro etiam Saraceniſco, & Suiensi, & de Turre ad mare, cum pertinentijs suis: necnon de Lacu Aquinensi, & de Ecclesia S. Rufi in Capua, & Monasterio S. Agathæ in Auersa. Hæc inquam, omnia cum omnibus pertinẽtijs suis singillatim principalibus præceptis in hoc Monasterio confirmauit. Berardus etiam Comes filius Berardi Marsorum Comitis, eo tempore obtulit B. Benedicto Monasterium S. Mariæ in valle Porclanensi, & castellum Roscolum cum pertinentijs suis. Per eosdem dies Romualdus presbyter fecit chartam huic Monasterio de S. Ioanne in Conca cum attinentijs suis. Præterea D. Nobilo Comes de Castrouipera obtulit huic loco Monasterium S. Eustasij infra eundem castrum, & Ecclesiam S. Barbati, & S. Eleutherij, & S. Hilarij, atque Monasterium S. Eustasij in castello Ribza cum omnibus pertinentijs eorum. Sed & Andreas sacerdos, & monachus cum parentibus suis oblationem *fecit* huic loco de Ecclesia S. Blasij in Limata subtus *castrum*, quod vocatur in Carica. Hoc tempore Rolandus vir nobilis de ciuitate Lucensi, obtulit B. Benedicto partem suam de Monasterio S. Gregorij infra eamdem ciuitatem, & partem suam de Ecclesia S. Mariæ in Palatio, & castello Alflexo, & de Ecclesia S. Matthæi, & S. Mariæ in curte vecchia, & S. Nazarij in burgo S. Martini, & S. Martini in eodem burgo, & quidquid sibi pertinere videbatur in Comitatu Lucensi, Lunensi, Pinsensi, Pistorienſi, Florentinensi, Volaterrensi, Populonienſi, & Rosellensi.

Mattilda

Digitized by Google

Mattilda præterea Ducissa Liguriæ, & Tusciæ (cuius superius memoriam feci) ob reuerentiam huius loci, constituit, vt nullum plateaticum, vel thelonium in ciuitate Pisana, & Lucensi, & in omni ditionis suæ Terra, Monachi nostri aliquando darent. Racterius quoque filius Petri de Territorio Marsicano, his diebus chartam fecit huic loco de tota parte sua de Ecclesia S. Benedicti in Ciuitella, loco Pascusano. Idem fecit & Rainaldus filius Roberti de ciuitate Antena, cum parentibus suis de S. Petro in Morini, & S. Lucia in Rendenaria, cum omnibus pertinentijs illarum. Balduinus quoque Comes filius Oderisij Marsorum Comitis, fecit huic loco oblationem de Ecclesia S. Vrbani in Comino, & S. Victorini in Vicoalbo, vna cum ipso Lacu; necnon de Ecclesia S. Angeli in Pratora cum pertinentijs suis. Similiter fecit & Robertus de Belloprato de Ecclesia S. Ioannis in Poto cum pertinentijs suis. Petrus etiam & Ioannes filij, Atenulfi de Ceprano, tunc temporis similiter fecerunt oblationis chartulam de Ecclesia S. Petri in Fabratera, cum montibus, planis, siluis, ac pertinentijs suis. Per eos dies Maio Iudex de ciuitate Barulana cum parentibus suis, per manus Desiderij, obtulerunt huic Monasterio Ecclesiam S. Stephani intra eamdem ciuitatem. Oderisius præterea Landonis filius de Bahuco ad hunc locum veniens, Ecclesiã S. Mariæ sitam sub ipso castro, & aliam Ecclesiam S. Mariæ in iam dicto castro, & S. Pauli, & S. Archangeli in Mozzani, & S. Quintiani, in hoc cœnobio deuotissimus obtulit. Sed & Ioannes filius Liudini de ciuitate Aquinensi oblationem fecit in hoc Monasterio de Ecclesia S. Martini intra eãdem ciuitatem. Raul quoque Nouellus, eodem tempore chartam fecit in hoc sancto cœnobio de Ecclesia S. Ioannis in Pantano, & S. Laurentij in casa Palumbi, & S. Mariæ in ipso colle, & S. Blasij in Farneto, cum omnibus rebus, ac pertinentijs illarum. Henricus etiam filius Henrici Comitis de castro Cremonensi, obtulit & ipse Monasterium S. Benedicti situm in pertinentijs eiusdem castri, & Ecclesiam S. Ambrosij in castro Tire, cum omnibus pertinentijs suis. Id ipsum fecit & Punzo filius Benedicti de duabus Ecclesijs, idest S. Felicis, & S. Trinitatis in ciuitate S. Vrbani. Pandulfus quoque Aqui-

Mattildæ priuilegiũ

Digitized by Google

nensis Comes, eo tempore similiter obtulit in hoc loco Monasterium S. Martini in colle Arcizzi, cum pertinentijs suis. Tunc temporis Bernardus quidam nobilis de ciuitate Aquinensi, chartam fecit huic Monasterio de Silua, quæ dicitur Matrelle, loco qui appellatur ad Riuum tortum, territorio Aquinensi.

CAPVT LXI.

HIS quoque diebus Guaiferius vir sapientissimus, & facundissimus, è ciuitate Salernitana, de qua oriundus erat, egrediens, ad hunc *locum* peruenit, atque à Desiderio susceptus, *monachus factus* est. In hoc igitur cœnobio positus scripsit vitam S. Secundini. Versus in laudem psalterij: de miraculo illius, qui se ipsum occidit, & per beatum Iacobum vitæ redditus est. Homiliam de aduentu. In natiuitate Domini; de Epiphania, & alia quamplurima, quæ hic scribere superfluum duximus.

Non solũ autem in ædificijs constructis, verum etiam in libris describendis, Desiderius operam dare per maximam studuit. Codices namq; perplures in hoc loco describi præcepit, tam scripturæ sacræ, quàm sanctorum Patrũ, & aliorum nobilium scriptorum: libros etiam ad decantandum in choro diuinum officium tam de die, quàm de nocte, librum Euangeliorum, auro & lapidibus pretiosis ornatum, in quo posuit de ligno Dominicæ crucis, ac de vestimentis S. Ioannis Euangelistæ.

CAPVT LXII.

HOC præterea tempore, latrones noctu huius nostri Monasterij ingressi cellarium, carnes, caseũ, lardumq; inde surripiẽtes, suos his mercibus sacculos impleuerunt: foras autem egressi sacculos, quos impleuerant, leuare conati minime potuerunt. Deinde relicta sarcina, tentantes fugam, per totius excursum noctis Monasterij claustra circumeuntes, nullam egrediẽdi facultatem penitus consequi valuerunt. His quoque diebus in Ecclesia,

Digitized by Google

Eccleſia, quæ ad honorem Patris Benedicti in partibus Liburiæ cõſtructa eſt, ſatis inſigne miraculum factum eſt, nam cum quidam Frater ad terraticum à ruricolis accipiendum directus fuiſſet; ruſticus quidam, à quo triticum exigebatur, in tempeſtæ noctis ſilentio, ſaccum frumento implens, & ſuper humeros ponens fugam arripuit. Sed ò verax per cęleſtem lata ſententia regem: Qui ambulat in tenebris nescit, quo vadat: nam qui iuſſa principis tenebrarum omni conamine, omniq; inſtantia implere niſus eſt, per viam rectam ſe incedere putans; per totam noctem in circuitu curtis illius deambulauit; vbi autem dies eſt reddita terris, in ſe ruſticus rediens, & quod in re erat aduertens, volebat cum tritico egredi, & nequibat, volebat triticum de collo ſuo deponere, & minime poterat. Monachus verò completis hymnis matutinalibus, Eccleſiam egrediens, eumq; diuinitus ligatum aſpiciens: poſtquam ab ipſo totius rei ſeriem didicit, orationem Deo, Benedictoq; Patri feruentiſſime ſundens, ruſticum à nexu, quo detinebatur ocius ſoluit. Ioan. 12. verſ 35.

Hoc præterea tempore fames maxima per totam fere Italiam facta eſt. Tunc Deſiderius cum Fratribus communicato conſilio, cibos indigentibus abundanter conferebat.

ADNOTATIO.

EA, quæ hic de latronibus referuntur, Deſiderius lib. 1. Dialogor. in hunc, qui ſequitur modum enarrat Alio etiam tempore latrones noctu huius noſtri Monaſterij cellarium ingreſſi, carnes caſeum, lardumq. ex inde ſurripientes ſuos ſacculos impleuerunt. Sed foras egreſſi ſacculos, quos impleuerant, leuare conati, minimè potuerunt. Deinde relicta ſarcina tentantes fugere, tota nocte hac illac per clauſtrum Monaſterij deambulantes, foras egredi nullatenus valuerunt. Igitur facto mane, cum ſe intra Monaſterij clauſtrum conſpicerent, timore exterriti, ac ſui reatus conſcij, quid facerent neſciebant: tandem reperto inter ſe conſilio, exeuntes per portam Monaſterij, ſi quo modo poſſent euadere, quaſi nihil mali perpetraſſe viderentur, cæteris, qui de Monaſterio ad quodlibet opus egrediebantur ſe miſcuerunt, & lento pede,

Digitized by Google

ne aliqua de eis suspicio oriretur, carpentes iter, haud longiuscule à Monasterio subsliterunt. Cum interea Cellerarius, Fratribus solita stipendia præbiturus, Cellarium ingrederetur, refertos ante adytum sacculos inuenit, & miratus ignoransq. quid esset, quæq. recondita requisiuit: cum autem reposita ablata cõspiceret, turbatus damno, foras egressus, quicquid perdiderat in ipsis sacculis reperit. Qui vehementer attonitus, & iam quid esset intelligens, mox conuocatis ad se duobus vel tribus pueris, per viam vergentis deorsum montis (si fortè latrunculos, qui id admiserant inuenire possent) mittere curauit. Illi autem iussa complentes cum Monasterio egressi paululum processissent, repererunt illos iuxta stantes in ipso itinere montis. Cumq. iam penè pertransissent eos, ac nullam in eos (quia noti erãt) suspicionem haberent, concito gradu iter, quod cęperant peragebant. Illi vero diuinitus exterriti, ac velut amentes effecti, cęperunt post eos clamare, & dicere. Scimus Domini, quia vt nos comprehendatis venistis, sed miseremini nostri, nihil enim inde asportauimus, sed ablata omnia in ipso cellarij ingressu dereliquimus. At illi talia audientes comprehenderunt eos, ligatisq. post tergum manibus ad Monasterium perduxerunt, atque ita vt erant connexi vinculis, Fratribus præsentauerunt. Fuere autem nonnulli, qui minus circa præceptum Domini cauti, cędi eos, ac sic dimitti iudicauerunt. Cæteri vero, quorum mens pia in Deo erat, & magis erga diuina mãdata sollicita, solutis vinculis, cibo, potuq. refectos, liberos abire permittunt.

CAPVT LXIII.

Gregorius septimus obijt ann. 1085.

ANNO autem dominicæ incarnationis millesimo octogesimoquinto, indictione octaua: cum venerabilis, ac semper recolendæ memoriæ Dominus Gregorius VII. Papa, apud Salernum infirmitate magna detineretur, interrogatus ante diem tertium obitus sui ab Episcopis, & Cardinalibus, qui tunc vna cum Desiderio præsentes erant, quid post suum obitũ de Romanæ sedis ordinatione iuberet; Respondit, vt si vnquam aliquo

Digitized by Google

quo modo poſſent, eundem Deſiderium ad hoc officiũ promouerẽt. Is enim præter hoc, quod primus presbyter Cardinalis Romanæ tunc Eccleſiæ eſſet, prudentia maxima, religione ſingulari, & Principum circummanentium amicitia multa pollebat. Si verò hunc nullatenus flectere ad iſta valerent, aut Archiepiſcopum Lugdunenſem Hugonem, aut Ottonem Oſtienſem, aut Lucenſem Epiſcopum, quem prius ex his habere poſſent, in Papam eligere poſt ſuum obitum quantocius feſtinarent. Hoc ſtatuto, defunctus eſt, octauo ſcilicet Kalendas Iunij, die dominica, & honorabiliter intra Eccleſiam B. Matthæi Apoſtoli, & Euãgeliſtæ ſepultus, cum ſediſſet in Pontificatu annis duodecim, menſe vno, diebus tribus. Et quoniam Romana Eccleſia paſtore deſtituta remanſerat, & hæretici, atque ſchiſmatici more luporum illã nitebantur inuadere: Deſiderius vna cum Epiſcopis, & Cardinalibus, necnon & laicis religioſis, qui hactenus in catholica vnitate, & obedientia Papæ Gregorij fideliter perſtiterant, cępit vnanimiter agere, qualiter eam poſſet decentiſſime ordinare. Miſerunt ergo, & conuenire fecerunt, vndiq; aptas huic officio perſonas, quatenus ex eis vnanimi cõſenſu eam cum gratia, & auxilio Dei eligerent, quæ idonea, & apta tanto ordini eſſet. Conuenientes poſt hæc ad prædictũ Abbatem Epiſcopi, & Cardinales cęperunt eum ſuper prędicti Pontificis iudicio appellare, vtq; in tanta temporis neceſſitate periclitanti ſubueniret Eccleſię, Papatum ſuſcipiẽdo, inſtantiſſime flagitare. Ad hæc ille, Papatum quidem ſe ſuſcipere obſtinatiſſima reſponſione recuſauit: alijs vero quibus ſciret, & poſſet modis, ad Romanæ Eccleſiæ ſeruitiũ ſe paratum eſſe reſpondit. Die pentecoſtes Sabinenſi Epiſcopo, & Gratiano Romam venientibus occurrit, eisq; verba, quæ cum Papa Gregorio de Eccleſiæ ordinatione habuerat, retulit, pariterq; cum eis Iordanum Principem, & Rainulfum Comitem adijt, atque ad ſeruitium, & adiutorium Romanæ Eccleſiæ adhortatus, libentiſſime ad omnia paratos inuenit. Cępit deinde Cardinalibus vehementer inſiſtere, vt de Pontificis eligendi perſona quantocius deliberarẽt, & vt ad Comitiſſam Mattildam litteras mitterent, quatenus ſtuderet, vt & ij, quos prædiximus Epiſcopi, & quot-

Digitized by Google

quot idoneæ tanto officio perſonæ iudicarentur, Romam ſine tarditate venirent. Quod illi facere negligentes, cum Iordano Principe clam machinabantur eidem Abbati paſtoralem curam iniungere, & ſuaſionibus multis nitebantur eum quoquo modo Romam perducere, putantes violenter ſe id ei poſſe imponere. Quod ipſe perſentiens omnino renuere, & contradicere cępit, ſicq; ad hoc Monaſterium reuerſus, iterum Normannos, & Longobardos, & omnes quotquot potuit, hortari ad Romanæ Eccleſiæ ſeruitium cępit, & multos ex eis promptos, & paratos ad rem ipſam inuenit. Sed quia feruor æſtatis nimius erat, propterea tũc Romam ire diſtulerunt, quouſq; calor æſtatis ſe imminueret, & tempora infirma tranſirent. Poſtquam vero Princeps conducto exercitu huius rei gratia Romam eundi, Campaniam venit, comitantibus etiam ſe vna cum Deſiderio nonnullis partium iſtarum Epiſcopis: ipſe ſuſpectus prædictorum conſiliorum amplius procedere noluit, dicens: quod niſi Iordanus Princeps, & Comes Rainulfus, & Epiſcopi Romani fidem ſibi præſtarent, nullam ſuper hac re vim illi allaturos, neque alios inferre paſſuros, ipſe cum eis nullatenus pergeret. Renuentibus facere, hac de cauſa res tunc infecta remanſit.

CAPVT LXIV.

Guibertus Antipapa.

IAM ferè annus in tali fluctuatione tranſierat, quo in Apoſtolica ſede nullus Paſtor erat, nullus dominici gregis curam gerebat, & Guibertus hæreſiarcha oues Chriſti ſanguine redemptas, ſuis cum ſequacibus laniabat, cum circa Paſchalem feſtiuitatẽ Epiſcopi, & Cardinales Romanæ Eccleſiæ de diuerſis partibus Romam conuenientes, mandauerunt prædicto Abbati, vt vna cum Epiſcopis, & Cardinalibus Romanis, qui ſecum tunc morabantur, & cum Giſulfo Salernitano Principe, qui tunc à Ciſalpinis partibus venerat, ad eos quantocius pergerent, quatenus de Romanæ Eccleſiæ ordinatione ſimul tractarent. Ille nihil ſuſpicatus de ſe iam illos aliquid cogitare,

Digitized by Google

cogitare, cùm iam nulla de eo mentio ab aliquo fieret, assumptis præfatis omnibus, Romanam peruenit ad vrbem, in vigilijs Pentecostes. Per totam autem ipsam diem multa frequentia, quotquot catholicæ parti fauebant, tam clerici, quàm laici ad eum cõuenientes, iam circa vesperas congregati sunt pariter omnes, tam Episcopi & Cardinales, quàm & cæteri Romani, qui in fidelitate B. Petri Apostolorum principis perseuerabant, in Diaconia S. Luciæ, quæ est iuxta Septem solia, cęperuntq; omnes vnanimiter Desiderium multis precibus obsecrare, vt Romanum Pontificatum susciperet non recusaret, eumq; obtestare per diuina per humana omnia, vt subueniret periclitanti Ecclesiæ in naufragio constitutæ, multoties ad genua eius (& nonnullis lacrymantibus.) omnes pariter ruentes. Desiderius vero, quia iam dudum decreuerat vitam suam in quiete transigere, & qui magis optabat in diuina vocatione suum tempus finire, cępit omnimodis refutare, & hoc se nunquam consensurum firmiter repromittere. Instabant illi vehementer, ipse autem vehementius renitebatur, dicẽs: Pro certo sciatis, quia si aliquam mihi violentiam super hoc intuleritis, ego quidem prout citius potuero Cassinum redibo, & nullo modo vnquam inde me intromitto: Vos autem propter hoc periculum magnũ, & vobis, & Romanæ Ecclesiæ facitis. Et quia tardior iam hora processerat, imminente iam nocte ad sua quiq; reuersi sunt. Summo mane, Dominica Pentecostes, omnes vnanimiter ad eum iterum conuenientes, eadem cęperunt repetere, & ipse nihilominus in semel fixa sententia perdurare. Videntes se omnino iam nihil proceresse, dixerunt Desiderio presbyteri, & Cardinales Episcopi, quoniam quemcumque ipse illis consuluisset, ipsum illi parati essent eligere. Vnde cum Cencio Romanorum Consule consilio habito, tandem vt Ostiensis Episcopus Papa eligeretur decreuit. Post hæc quæsierunt ab eo, vt ipsum Pontificẽ quem eligerent in Cassinensi Monasterio reciperet, eumq; donec Ecclesia tranquillaretur cum suis omnibus sustentaret, sicut & de supradicto Papa Gregorio fecerat: quod Desiderius libentissime facere repromisit. Cum autem iam, iamq; de Ostiensi Episcopo decernerent, repentè quidam de Cardinalibus, Ann. 1086

Digitized by Google

dinalibus, nequaquam se consensurum in eam electionem clamauit: Quem cæteri, nequaquam ad suam sententiam flectere valuerunt. Verùm, vt Salomon testatur: non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Mox enim Episcopi, & Cardinales vna cum clero, & populo in Desiderij duritiam stomachantes, & videntes, se nihil posse cum eo precibus agere, statuerunt violenter causam perficere. Tandem itaq; vniuersi pariter vno consensu, & animo illum rapientes inuitum, & renitentem attrahunt, & ad Ecclesiam prædictam Christi martyris Luciæ perducunt: ibiq; eum iuxta morem Ecclesiæ eligentes, Victoris ei nomen imponunt. Sed quoniam hæc omnia, vt diximus contra eius animum, & voluntatem fecerunt, cappam quidem rubeam induebat, albam vero nunquam eum potuerunt induere.

Desiderius ad summum Pontificatum euehitur ann. 1086.

CAPVT LXV.

EO igitur tempore præfectus Imperatoris à Duce, & eius matre dimissus, propter illud videlicet odium, quod Episcopi, & Cardinales (faciente tamen Salernitano Principe) Salernitanum Episcopum sacrare noluerunt, die noctuq; cum aliquantis ære iniquo conductis, in Capitolium contra eumdem electum conuenientes, persecutiones ei maximas intulit. Post quatuor dies idem electus Romam egressus venit Ardeam, ibiq; per triduum remoratus, abijt Tarracinam, ab inde crucem, & chlamydem, & cætera Pontificatus insignia ita dimisit, vt eis vlterius vti nullo vnquam modo persuaderi potuerit, decernens potius omni vitę suę tempore in diuina vocatio- vitam finire, quam tanti ordinis fascibus grauissimis colla submittere. Insistebatur ei quotidie precibus, lacrymisq; creberrimis, obijciebantur Ecclesiarum magna discrimina, ingerebatur plurimarum perditio animarum, quibus ei manifestissime diuina indignatio intendebatur, ficq; Casinum reuersus est. Cæterum per anni totius curriculũ adeò mentis eius propositum immobile perstitit, vt nullis omninò argumentis ad eorum potuerit hortamenta, precationesq; deflecti.

Desiderius dimittit insignia Pontificia

Digitized by Google

deflecti. Non tamen ob hoc Cardinales, & Episcopi, qui cum eo erant aliquatenus quiescentes, Iordano Principi instare cęperunt, vt quantocius properaret, & propter consecrationem eiusdem electi, Romam cum eis pergeret. Qui cum magno exercitu ad hoc Monasterium veniens, partim ordinatione ipsius electi, partim timore æstatis, vlterius progredi veritus, reuersus est.

CAPVT LXVI.

SEQVENTI anno mediante Quadragesima apud Capuam Episcoporum concilio congregato, cum prædictus electus, vna cum Episcopis, & Cardinalibus Romanis eidem consilio præfuisset, Cencius etiam Romanorum Consul cum alijs nobilibus Romanis, & Iordanus Princeps, & Rogerius Dux, cum omnibus ferè suis optimatibus interfuissent, post finem concilij rursus insperate, & nihil eo de his suspicante, cum multis precibus, lacrymisq; à clericis, & laicis perurgeretur, immobilis perstitit. Tandem cum Dux, & Princeps, vna cum Episcopis, cæterisq; catholicis viris flentes eius pedibus adiacerent, multis rationibus, & orationibus coactus, vix tandem succubuit, & præteritam electionem, crucis, & purpuræ resumptione firmauit, duodecimo scilicet Kalendas Aprilis, Dominica in ramis palmarum. Inde Cassinum reuersus, ibidem Pascha celebrauit. Peracta festiuitate, cum Capuano, ac Salernitano Principe, Romam perrexit, ac iuxta ciuitatem Ostiensem Tiberim cum omnibus transiens, cum graui infirmitate detineretur, extra porticum S. Petri tentoria fixit; & quoniam Rauennas hæresiarcha (qui viuente Papa Gregorio Papatum inuaserat) Ecclesiam S. Petri armata manu tenebat, non integro die à militibus Principis, Dei auxilio expugnata, & recepta est. Dominico vero die post Dominicam Ascensionem, multis Romanis, & omnibus ferè Transtiberinis sollemniter cũ maxima frequentia, præfatus electus à Romanis Episcopis Ostiensi videlicet Tusculanensi, Portuensi, atque Albanensi; Cardina-

Ann. 1087

Desiderius consecratur.

Digitized by Google

Cardinalibus quoque & Episcopis, atque Abbatibus quamplurimis assistentibus, more Ecclesiastico consecratus, & in Apostolicam sedem locatus est, septimo idus Maij. Quo etiam die corpus confessoris Christi Nicolai, à ciuitate Myrensi, in qua per annos septingentos septuagintaquinque quieuerat, Barium delatum est. Prædictus autem Pontifex per octo circiter dies Romæ remoratus, vna cum prædictis Principibus ad hoc Monasterium redijt.

Translatio S. Nicolai.

CAPVT LXVII.

POST exiguum vero temporis spatium, Comitissa Mattilda vrbem adiens, magnis eundem Pontificem supplicationibus per Legatos interpellauit, quatenus eius frui aspectibus, eius potiri colloquijs mereretur. Eam quippe causam sibi Romam veniendi fuisse per maximam suggerebat. Cogebat corporis languor loco non abscedere: sed quia pro sanctæ vtilitate Ecclesiæ, se omnibus dispositis periculis obiectare, iter per mare aggressus est. Cumq; ad vrbem peruenisset, à Comitissa, & eius exercitu, ac cæteris B. Petri fidelibus deuotissime, officiosissimeq; susceptus est, atque apud Ecclesiam B. Petri octo diebus permansit. Deinde in festiuitate S. Barnabæ, super altare S. Petri missam sollemniter celebrans, eadem die, auxilio, & ope præfatæ Comitissæ per Transtiberim Romam intrauit. Transtiberim tunc totam, Romanorumq; per maximam partem nobilium, & penè omnem populum, castellum quoque S. Angeli, basilicam B. Petri, ciuitatem Ostiensem, ac Portuensem, in sui iuris dictione tenebat; morabatur vero apud Insulam Romæ, quæ & ipsa sui iuris extabat. Die igitur, qui Apostolorum natalitia præcedebat; Nuntius quidam, quasi ex Imperatoris parte aduenies, omnes Consules, Senatores, ac populum Romanum de corona submouit Imperij; cum subito Romani superuenientes, præter B. Petri Ecclesiam vniuersa ceperunt. Ecclesiam vero ipsam, quam supradicti Pontificis homines desuper tuebantur, ingredi nullo modo potuerunt. Sed quia Guiberti

Victor tertius Romam proficiscitur.

hære-

Digitized by Google

hæresiarchæ multitudo permaxima erat, ij, qui ex parte Papæ Victoris erant, contra tantam hostium manum obsistere non valentes, in Transtiberim, siue in castellum S. Angeli discesserunt. Iam die mediante in Ecclesia S. Mariæ in Turribus Rauennas hæresiarcha missam cantauit: nam vtrumque campanile igne, & fumo suppositio ceperat: sole iam ad occasum vergente, ij, qui in Ecclesia steterant, palam cum armis suis descendẽtes, reuersi sunt. Ita (heu, proh dolor) Apostolica, & vniuersalis B. Petri Ecclesia, eo die quo eius præcipua festiuitas extitit, omni tam nocturno, quàm diurno officio caruit. Sic Guiberti hæresiarchæ spes frustrata est, qui in Apostolorum sollemnitate missas illic celebrare affectabat. Altera die Apostolicum altare lotum, & missa est ibi per acta. Die vero sequenti omnes ad propria sunt reuersi, & eadem Ecclesia inditione Papæ Victoris redijt. Guibertus Antipapa.

Eo itidem tempore, dum quidam peregrini, orationis gratia, ad B. Benedictum venirent, obuius illis quidam vir canonicus factus est: quem quis esset interrogantes, B. Petrum Apostolum se esse respondit; Et illi: Quo tendis? Et S. Apostolus: Vado ad Fratrem Benedictum, vt cum illo passionis meæ diem celebrem; nam Romæ consistere non valeo; varijs enim procellis Ecclesia mea deprimitur. Quod cum Fratribus, viri illi postmodum referassent, ad succedentium memoriam constituerunt, ita tanti Apostoli festiuitatem, sicut & Patris Benedicti, cum maxima deuotione sollemniter celebrare.

ADNOTATIO.

CArdinalis Baronius tom. 11. anno 1087. refert hanc eãdem historiam, subiungitq. statim, quæ sequuntur. Sed quod ab eo (Apostolo Petro) per Christum fidei principium emanauit, ex quo omnis propago Sacerdotum feliciter germinauit, vtiq. debuerat sollemnius celebrari. Tu autem (candide Lector) perpende diligenter Decretum, seu Statutum à Monachis Cassinensibus, super celebritate festi B. Apostoli Petri latum, & vide, quid amplius facere potuerint in bonorem

Digitized by Google

rem tanti Apostoli, quam decernere, & ordinare, vt festum ipsius eadem veneratione, & sollemnitate cum festo Patriarchæ ipsorum Benedicti celebraretur. Hoc enim facit Ecclesia Romana, & cæteris faciendum præscribit, cum in ordine, seu regula sui breuiarij. festum Patroni, siue Tituli alicuius Ecclesiæ, festo Apostolorum Petri, & Pauli, æquiparat, atque vtrumque tamquam duplex primæ Classis celebrari decernit; quod tunc Monachi Casinenses similiter decreuerunt, & statuerunt.

CAPVT LXVIII.

VIBERTVS interea hæresiarcha, qui post præstita Domino suo beatæ memoriæ Gregorio septimo Papæ fidelitatis sacramenta, & obedientiam nouem annis exhibitam, Apostolicum thronũ inuaserat, cernens Victorem Papam ab omnibus in maxima veneratione haberi, Henricum Imperatorem soluens ab obseruatione iuramenti, quod apud Canusiam Tusciæ oppidum, olim Papę Gregorio fecerat, Romam attraxit, & cum eo expugnare catholicam Ecclesiam cępit. Hi vero, qui ex parte Papæ Victoris in Vltramontanis partibus erant, Imperatorem Romæ remorare cognoscentes, contra eum rebellare disponunt. Contra quos Henricus Imperator adueniens, facto, vt assolet, vario bellandi euentu, diutissime plurimis depręda tionibus, & incendijs, ac cędibus vtrimque decertatum est. Tandem præfatus Imperator, relictis ad resistendum in Germania copijs, assumpto partim suo, partim conductitio, siue gregario exercitu, Romam, & suburbana eius deprędationibus, & incendijs, ac cædibus, quibus valuit, quadriennio deuastauit: & tandem suo Simone, magis pretio, quam vi inthronizato, ab eodem Imperialem coronam accepit, & tam non fauentibus, quàm non communicantibus sibi, suisq; complicibus, & Romæ, & in omni Romano Imperio sæuissimam, & diuturnam intulit persecutionem. Huius rei causa, & Ecclesiæ penè totius Romani Imperij desolatæ, & christiana religio propemodũ dissipata, & vigin-

Digitized by Google

viginti millia hominum, & eo amplius in diuersis Regionibus (B. Papa Guiberto cooperante) cęsa sunt. Qui etiam pulsis catholicis Episcopis, & Abbatibus, & alijs Ecclesiarum Præpositis, scientia pariter, & religione pollentibus, sceleratos, & idiotas singulis ciuitatibus, & cœnobijs, vel Ecclesijs, singulos, interdum autem binos, vel annuos Prælatos, damnabilis prioris magistri sui Simonis magi mercimonio substituens, in deprędationibus sanctorum locorum, & christianorum sibi non fauentium, imò & fauentium (dum non esset, qui armato resisteret) longe, lateq; voluntate quidem Neronis, & Decij, sed minori possibilitate, grassatus est. Idem vero Guibertus, qui multo rectius Papa Demens, quã Papa Clemens, dici debuit, in oppidulo suo, quod Argentuum dicitur, quasi ad sui munitionem excelsa Turri fabricata præstolabatur simoniaeos angelos, cum quibus volando in putentissimas stigias paludes rueret; Deo namq; Papæ Victori legitimo Ecclesiæ pastori in omnibus fauente, ipse viribus confractis ad nihilum redactus est. Cui nemo Apostolicam reuerentiam, siue obedientiam exhibebat, pręter Imperatorem, & complices eius, vel qui se illi propter auaritiam perpetuò, vel ad tempus, pacto vendiderunt: quorum plurimi, quibus eius perfidia clarucrat, dum execranda sacrificia celebraret, non intererant, scientes eumdẽ nulli Romanorum Pontificum successisse, sed prescripto modo periurum, & inuasorem, ac Simoniacum, Papæ Gregorio fuisse super iectum. Nam qui fidem, & religionem zelo Dei tuebantur, Papæ Victori scientia, & religione præstantissimo adhærebant.

CAPVT LXIX.

AESTVABAT interea ingenti desiderio idem Victor Apostolicus, qualiter Saracenorum in Africa commorantium confunderet, atque contereret infidelitatem. Vnde cum Episcopis, & Cardinalibus consilio habito, de omnibus ferè Italiæ populis christianorum exercitum cõgregans, atque vexillum B. Petri Apostoli illis contradens, sub remissione omnium peccatorum, contra

Digitized by Google

tra Saracenos in Africa commorantes direxit. Christo igitur duce Africanam deuoluti dum essent ad Vrbem, omni nisu illam expugnantes, Deo adiuuante, ceperunt: interfectis de Saracenorum exercitu centum millibus pugnatorũ. Quod ne quis ambigat hoc absque voluntate accidisse diuina, illo die quo christiani de Saracenis victoriam adepti sunt, eo etiam Italiæ diuinitus patefactum est.

CAPVT LXX.

PRAEFATVS autem Victor Papa tertius vrbem egrediẽs, venit ad hoc Monasterium, sociatisq; sibi Episcopis,& Cardinalibus Ecclesiam S.Nicolai in Pica solemniter dedicauit, mense autem Augusto Synodum celebrare cum Episcopis Apuliæ, & Calabriæ, necnon Principatus statuens, Beneuentum perrexit. In qua videlicet idem Apostolicus præsidens, ait.

Noscit dilectio vestra, charissimi fratres, & Coepiscopi, omni etiam orbi non latuit, sancta Romana, & Apostolica sedes, cui Deo auctore deseruio, quot aduersa pertulerit, quot denique per simoniacæ hæreseos trapezitas, malleis, crebrisq; tunsionibus subiacuerit, adeo, vt columna Dei viuentis videretur iam penè concussa nutare, & sagena summi piscatoris, procellis intumescentibus, cogeretur in naufragij profunda submergi. Guibertus enim hæresiarcha (qui viuẽte sanctæ memorię prędecessore nostro Papa Gregorio, Romanam inuasit Ecclesiam) præcursor Antichristi, ac Satanæ effectus, non cessat oues Christi conculcare, & occidere, & dilaniare. Irritator enim, prosecutor, exaggerator. & accensor iniuriarum Papæ Gregorij factus, quantas calamitates, quantas tribulationes, & quantas persecutiones ei intulerit, referre quis valeat? conspirationes, & coniurationes aduersus eum excitauit, vrbe fugauit, sacerdotio periurus ipse, ac Simoniacus, quantum ad se fuit priuauit, atque contra eum Romanum Imperium, gentes, & Regna cõmouit, & quod à sæculo non est auditum, ipse excommunicatus,

Digitized by Google

tus, & damnatus, eundem sanctum Pontificem excommunicare præsumpsit, & Romanam vrbem hactenus sacrilegijs, homicidijs plurimis, conspirationibus, flagitijs, & omnibus vitiorum, & criminum ludibrijs deturpare non desistit, & Simonis Magi munitus perfidia, ipsiusq; officina factus, nequitiarum suarum complices ad tam impijssimum, & execrabile facinus euocans, Imperatorisq; exercitum congregans, Apostolicæ sedis inuasor est factus, contra præcepta Euangelica, contra Prophetarum, & Apostolorum decreta, contra canonum, & Romanorum Pontificum iura, nullo Cardinalium, Episcoporumuè præcedente iudicio, nullo Romani cleri approbante suffragio, nullo deuoti populi fauore adhibito, in sancta Romana Ecclesia, omnis malitiæ, nequitiæ, & perditionis caput est factus, Sed omnipotentis Dei clementia, prædictum Pontificem Gregorium post labores, & certamina ad æternam requiem euocante, cum iam vnanimi concordia Episcoporum, & Cardinalium, & comprouincialium Episcoporum, & cleri, ac populi Romani, nostram paruitatem, omnibus modis contradicentem, & renitentem, Apostolicæ sedi præfeciſſent, non timẽs æterni Imperatoris iudicium, vsque nunc Christum, & oues, pro quibus suum sanguinem fudit, persequi non omittit. Idcirco auctoritate Dei, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, omni sacerdotali officio, eum, ac honore priuantes, & à liminibus illum Ecclesiæ separantes, anathematis vinculo innodamus.

Nostis præterea, & bene nostis, quantos dolos, quantasq; persecutiones mihi intulerint Hugo Lugdunensis Archiepiscopus, & Richardus Massilienſis Abbas, qui pro fastu, & ambitione sedis Apostolicę, quam hactenus latenter habuerant, postquam se non posse adipisci peruiderunt, in sancta Ecclesia schismatici facti sunt: & Richardus quidem electionem nostram Romæ cum Episcopis, & Cardinalibus fecerat. Hugo autem postmodum ad nos veniens, pedum effusus vestigijs, dum obsequium nobis summi Pontificis inuitis, ac retrahentibus exhiberet, Legationem à nobis in partibus Galliarum postulauerat, & acceperat; quoad itaque paruitatis nostræ infirmitatem, factæ & collaudatæ à se ip-

Digitized by Google

sis electioni conspexerant repugnare, omnibus modis insistebant, ne onus abijceremus nobis pro Ecclesiæ necessitate impositum. Sed vbi nos ad id deflexos contemplati sunt, cœptam diu ambitionis flammam clibanus exturatus euomuit. Qua propter omnium sibi Fratrum videntes vnanimitatem pertinacius in eo scandalorum scelere reluctari, ab eorum, & nostra continuo sunt communione seiuncti. Vnde vobis Apostolica auctoritate præcipimus, vt ab eis abstinere curetis, nec illis omnino communicetis, qui à Romanæ Ecclesiæ communione sua sponte seiuncti sunt, quoniam, vt beatus scribit Ambrosius, qui se à Romana Ecclesia segregat, verè est hæreticus æstimandus.

Constituimus etiam, vt si quis deinceps Episcopatum, vel Abbatiam de manu alicuius laicæ personæ susceperit, nullatenus inter Episcopos, vel Abbates habeatur, nec vlla tali Episcopo, seu Abbati obedientia exhibeatur. Insuper ei gratiam B. Petri, & introitum Ecclesiæ interdicimus, quousque locum, quem sub crimine, tam ambitionis, quàm inobedientiæ (quod est scelus idololatriæ) cepit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus Ecclesiasticis dignitatibus constituimus.

Item si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet sæcularium potestatum, aut personarum, inuestituram Episcopatus, vel alicuius Ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, eiusdem sententiæ vinculo se astrictum esse sciat: nec mirum, cum omnes vendentes, & ementes, trecenti decem & octo Patres in Nicæno Concilio congregati excommunicauerint, dicentes. Qui dat, & qui recipit, anathema sit. Quando ergo tales Episcopos, vel Abbates, vel reliquos clericos non deuitatis, si eorum missas audiatis, vel cum eis oratis, cum illis excommunicationem subitis. Quos quidem sacerdotes esse omnino credere non debetis. Pœnitentiam verò, & communionem à nullo nisi à catholico suscipiatis, si vero nullus sacerdos catholicus affuerit, rectius est sine communione manere visibili, & inuisibiliter à Domino communicari, quam ab hæretico communicari, & à Deo separari; nulla etenim conuentio Christi ad Belial, ait Apostolus, neque pars fide-

2. Cor. 6.

lis

Digitized by Google

sis cum infideli, omnis enim hæreticus infidelis est. Simoniacus vero, quia hæreticus, ideo infidelis. Sacram enim communionem Christi, quàm visibiliter, & corporaliter catholici propter imminentes hæreticos habere non possunt; tamen dum mente, & corpore Christo coniuncti sunt, eiusdem Christi communionem inuisibiliter habent.

Hæc igitur dum cũctorum Episcoporũ in eodem concilio residẽtium auctoritate confirmata fuissent, facientes exemplaria, per Orientem, & Occidentem disseminauerunt.

CAPVT LXXI.

IN eodẽ vero Concilio idem Pontifex grauiter infirmatus, post actum per tres dies concilium, festinanter Cassinum redijt, atque cũ Episcopis, & Cardinalibus ad hoc Monasterium ascendẽs, in capitulum Fratrum se ferri præcepit, & sub districtissimo anathemate interdixit, ne quis successorum suorum (Abbatum videlicet Cassinensium) auderet vendere, vel alienare Terras, Ecclesias, Villas, vel quascumque possessiones huic Cassinensi cœnobio pertinentes. Simili modo interdixit, ne quis Monachorum auderet facere chartam, vel libellum, absque scientia Abbatis sui, quod si fecisset irritum esset. Hoc statuto, omnium Monachorum vnanimi consensu præfatis Episcopis, in eodem Capitulo residentibus, atque confirmantibus, Domnum Oderisium religiosum valde virum, & Romanum Diaconum, qui tunc in hoc nostro Monasterio Præposituræ fungebatur officio, Abbatem constituit. Post hæc conuocatis eisdem Episcopis, atque Cardinalibus monuit, atque præcepit, vt iuxta quod prædecessor suus Papa Gregorius iam dudum decreuerat, Ottonem Ostiensem Episcopum, in Papam eligere, quanto possent citius, studerent, eumq́;, quia præsens erat, manu apprehendens, cæteris Episcopis tradidit, dicens: Accipite eum, & in Romanam Ecclesiam ordinate.

Oderisius fit Abbas Cassinensis.

His ita dispositis, atq; decretis, sepulchrũ sibi constitui in absida ipsius capituli iussit, atq; post diem tertium feliciter

Digitized by Google

Papæ Victoris obitus anno 1087.

migrauit ad Dominum, sextodecimo Kalendas Octobris, Anno Domini milleſimo octogeſimoſeptimo, à Patris autem Benedicti, anno quingenteſimo ſeptuageſimonono, cum præfuiſſet in huius Monaſterij regimine annis vigintinouem, menſibus quatuor, diebus ſexdecim. In ſede vero Apoſtolica ab ipſo ſuæ electionis exordio anno vno ſacrationis, menſibus quatuor, diebus ſeptem.

ADNOTATIO.

MEndum irrepſit in hoc capite circa numerum annorum, qui fluxere à tranſitu ſancti Patris Benedicti, vſque ad obitum Victoris Papæ Tertij. Aſſeritur enim, & vere, Victoris obitus decimoſexto Kalendas Octobris, Anno milleſimi octogeſimiſeptimi, tranſitus verò ſancti Patris Benedicti aſſignatus eſt ſupra libro primo capite primo, Anno Domini quingenteſimo quadrageſimotertio, à quo vſque ad annum ſupradictum obitus Papæ Victoris tertij, tantum interceſſere anni quingenti quadragintaquatuor, vt patet rectè calculanti: ſi enim dicas, vt habetur in textu, interfluxiſſe annos quingentos ſeptuagintanouem, conſequenter dicendum erit, Victorem tertium obijſſe anno Domini milleſimo centeſimo vigeſimoſecundo, quod omnino falſum eſt, & rationi temporum repugnat.

CAPVT LXXII.

IStA præterea ornamenta idem Papa Victor ad mortem ſuam in hoc Monaſterio dereliquit. Quæ omnia ferè poſt dedicationem Eccleſiæ partim ipſe cum Fratribus huius cœnobij acquiſiuit, partim ab alijs recollegit. Planetæ diaſpræ quinque, & tres ſine auro diarodanæ, tres deauratæ. Diapiſtin duæ, & alia cetrina. Purpureæ deauratæ ſeptem, & aliæ quinque purpureæ, & duæ exametæ. Planetæ quotidianæ ſex, quadrageſimales quatuor. Dalmaticæ paratæ octo, & aliæ vndecim. Tunicæ paratæ quinque,

&

& aliæ decem & nouem. Pluuiales vero ornatos triginta octo, & alios octoginta septem. Albas lineas centum nonagintatres, de serico decem. Stolæ deauratæ cum manipulis suis decem & nouem: de argento cum manipulis suis tres, stolæ aliæ decem & octo; semicintia septem: fanones aurei pro Subdiaconibus tres, & alij quatuordecim. Camisi magni deaurati cum ammictis suis duo, & alij de serico septem. Panni de altare sancti Benedicti duo, vnum cum margaritis, alterum deauratum. Coopertoria cum auro tria, & duo alia sine auro. Circitoria magna, & optima vndecim. Panni de altare sancti Ioannis. Circitoria quinque, & coopertoria quinque: panni de altare sanctæ Mariæ facies vna purpurea cum auro, coopertorium cum smaltis. Circitoria quatuor, coopertoria quatuor. Panni de altare sancti Gregorij circitorium aureum, & alios quatuor. Dossales magni decem & nouem. Dossales minores triginta. Hostiaria septem. Calices aurei duodecim cum patenis suis, septem maiores, & quinque minores. Fistula aurea cum angulo. Calices argentei saxonici duo, & alij septem argentei, fistulas argenteas duas. Thuribula de auro duo, de argento deaurata duo, alia argentea maxima duo, & alia argentea octo. Candelabra de crystallo parium vnum, & aliud parium argenteum cum onichino, & aliud parium argenteum cum malis crystallinis, & alia candelabra quinque. Duæ lanternæ argenteæ magnæ, & vna quotidiana. Euangelium ipsius, Euangelium Imperatoris, Euangelium Papæ Stephani, Euangelium Imperatricis, Euangelium Abbatis Aligerni, Epistolaria duo, vnum cum tabula aurea, aliud cum tabulis argenteis. Regulam sancti Benedicti cum tabulis argenteis. Capsa magna argentea cum gemmis, & smaltis. Scrinia argentea duo. Duas cruces aureas magnas cum gemmis, & duæ aliæ aureæ minores, & tres argenteæ ad processionem. Labrum aureum cum aquamanili suo. Fumigatorium græcum, aliud cum nigello, alterum cum smaltis: omnia hæc argentea. Pixis aurea cum smaltis pro corpore Domini, & alia maior argentea cum nigello. Coppetellæ de pernis tres. Bacilia argentea paria duo. Centum libras auri non laborati, fanonem Imperialem

rialem totum aureum. Scaramangæ Imperatorum duodecim. Coronam de argento super altare sancti Ioannis cum crucibus quinque, & aliam crucem græcam. Coronam argenteam deauratam, & lapidibus pretiosis ornatam ferens sex cruces. Aliam coronam super altare sancti Benedicti ferens tres cruces, lapidibus pretiosis ornatam. In sancto Nicolao coronam argenteam, & crucem argenteam fusam. Coronæ argenteæ, quas in veteri Ecclesia inuenit vndecim. Hæc de Reuerendissimi Victoris tertij Papæ vita, & moribus, ac loci istius renouatione, seu adornatione dicta sufficiant. Ad laudem Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

APPENDIX AD TERTIVM LIBRVM CHRONICI CASSINENSIS.

MVLTA scribit Desiderius in suis Dialogis ad Monasterium Cassinense, & ipsius membra pertinentia, præter ea, quæ superioribus libris adnotauimus, quæ quoniam certum tempus præfixum non habent, visum est nobis in calce huius tertij libri ea simul reponere eodem ordine, & verbis, quibus ab ipso descripta sunt, ne aliquid ad historiam Cassinensem pertinens per negligentiã prætermissse videamur. Ait ergo libro primo.

De Mancuso Monacho.

Sed neque hoc taceam, quod de Mancuso monacho, Fratribus referentibus agnoui, quem ipse in Monasterio positus vidi, nostroq; iam tempore defunctus est. Qui cum ex Apuliæ partibus conuersionis gratia huc veniisset, à Richerio Abbate nostro prædecessore susceptus, Fratrum congregationi

tioni associatus est. Itaq; in Monasterio corpore, in sæculo mente degens, semper terrena quæq; ac sæcularia meditabatur, omne magisterium regularis disciplinæ, sibi graue, ac importabile videbatur. Tunc cepit ab Abbate licentiam petere, multasq; occasiones adinuenire, quo patriam, parentesq; posset reuisere. Cumq; ab Abbate suo sæpius fuisset admonitus, vt viam veritatis, quàm semel arripuerat, in melius proficiens, de die in diem ad finem vsque perducere, deposita omnis corporis ignauia, summopere studeret, ne forte iuxta sententiam Domini, aratrum tenens retroq; respiciens Regno cœlorum aptus esse non posset; & vxorem Lot imitans, in statuam salis versus, horrendum cūctis spectaculum præberet: ille nihilominus (cuius mens semel à maligno obsessa fuerat) nullo modo quiescebat, sed quotidie Abbatem, Fratresq; precibus satigando, vt eum patriam reuisere finerēt, omnimodis postulabat. Cumq; spem redeundi sibi sublatam esse conspiceret, clam de Monasterio egressus, more fugacis serui nocturnas tenebras captans, vt canis ad suum vomitum, ad patriam, Diabolo instigante, reuersus est; atque in parentum domo mansitans, sæculariter ibi, vt iam dudum mente conceperat, viuere cepit. Sed cum ab Abbate suo per nuntium sæpe fuisset admonitus, vt ad Monasterij claustra rediret, & ille salutaria monita parui pendens, obtemperare negligeret, ab eodem Abbate cō munione priuatus est. Cum itaq; post non multos dies paululum languore correptus in lectulo resideret, immanem leonem ingredientem ostium, ac contra se aperto ore venientem, cernit. At ille, ad ingressum ferocis bestiæ territus, cepit magnis vocibus clamare, dicens: currite, currite, quia leo iste me deuorare contendit. Leo vero rugiens irruit in eum, & mordicus coxam illius apprehendens, maximum ex ea carnis frustum abstraxit: sicq; eum cruentatum, & semineccm relinquens, disparuit. Cumq; plures ad clamorem vocis illius obstupefacti concurrerent, leonem quidem minime viderunt, sed cruentatum, ac semiuiuum monachum in terra prostratum inuenerunt. Itaq; cum eum à terra elenassent, paululum recepto spiritu, cuncta, quæ sibi acciderant per ordinem pandit, & vt quantocius se ad Monasterium

Luc 9 ver fic 62.

Genes. 19. vers. 26.

Mancusus è claustro fugit.

Digitized by Google

reducerẽt propinquos, ac vicinos obnixè precatus est. Propinquis igitur eius voto obtemperantibus, ad cellam huius nostri Monasterij, quæ intra Asculanum oppidum sita est, eum portauerunt: ibiq; post paululum recuperata sanitate, hoc ad Monasterium est reuersus, ac experperata culpa pœnitentia recepta, plures postea in sanctæ conuersationis habitu vixit annos.

Ex libro secundo Dialogorum eiusdem.

De B. Felice Monacho.

INterea nec ea, quæ de B. Felice (monacho videlicet huius Monasterij) audiui; silentio sunt prætermittenda. Quodam tempore, nescio qua de causa, ad Theatinam vrbem venire me contigit; & cum ab Episcopo, & clericis illius Ecclesiæ benigne, ac amicabiliter susceptus essem, atque orationis gratia ad Ecclesiam me duxissent: facta oratione, ad dexteram me Ecclesiæ contuli, ibiq; ædiculam, & altare conspexi: cumq; Episcopum, & clericos interrogassem, in cuius honorem altare illud conditum esset, respõsum mihi est, quod in honorem B. Felicis confessoris Christi altare illud esset dedicatum. Cum autem quis fuerit ille Felix inquirerem, dicebant mihi, quod monachus Caffinensis congregationis fuerit, atque ab Abbate suo illis in partibus, vt Pastoribus gregis præesset missus, ibi vitam finierit. Et cum ad corpus eius omnipotens Deus multa mirabilia operaretur, à maioribus suis de loco, in quo prius iacuerat leuatus, atque in hac Ecclesia sub hoc, vt cernis, altare conditus fuit. Igitur quoddam memorabile illo in loco nuper ab eo patratum, omnipotente Domino largiente, narrabant. Cum quidam cæcus ad cuncta obstantia pedes offendẽs, misericordem Deũ rogaturus ante eius altare veniisset, & prostratus toto in terra corpore gemitu, ac suspirijs, vt meritis B. Felicis, sui misereretur orasset: mox depulsis cæcitatis tenebris, ita sanus, & incolumis surrexit, vt mirantibus cunctis, ipse suis oculis lucem cęperit cernere, quam semper ab alijs desiderauerat audire.

Miraculũ.

De Angelo Monacho.

Alter quidam (vt Fratres, qui ad hæc supersunt referunt) Angelus, in hoc Monasterio monachus, dictus est, cuius profecto

secto vita nomini dissimilis visa non est, qui dum infirmitate tactus corporis, vltimum diem clausisset, dæmoniacus, quidam in coquinam fortè intrauerat: Et ecce subito cœpit strepere, ac se furibundus à terra dissiliens in aera eleuare, magnisq; vocibus clamans, vim se à Benedicto perpeti conquerebatur dicens. O quid mihi modo Benedictus fecit, animam Angeli monachi, ob paruum cucullum, quod gestauit in capite, mihi auferens, secum detulit. Cumq; omnes, qui aderant ad verba illius stupefacti intenderent, & quid diceret ignorarent, repentè signum, quo Fratrum obitus significari solet insonuit, statimq; Fratres omnes festinanter ad domum infirmorum perguut, & Angelum monachum iam defunctũ reperiunt. Qua in re aperte monstratum est, quod animam illius in aliquo nocere non potuit, de cuius morte coram Fratribus tam tristem, tamq; lugubrem, se antiquus hostis ostendit.

De Stephano Venetico.

Frarer quidam in nostro Monasterio Stephanus Veneticus dicebatur, qui ex Venetiæ partibus aduenies, in sanctæ conuersationis habitu studiosissime vixit. Cuius humilitatis, patientiæ, ac obedientiæ bonum omnibus, qui tunc in omnipotentis Dei seruitio ibidem congregati erant Fratribus, liquidissime patuit. Cumq; iam tempus esset, vt eius digna conuersatio à Iustissimo Domino remunerari debuisset, molestia grauatus corporis, Fratribus coram positis, diem clausit extremum. Tunc quædam religiosissima anus, Agundia nomine, virgo mente, & corpore, quæ in sanctimoniali habitu, iuxta Ecclesiam B. Mariæ semper virginis sitã in ciuitate, quæ circa radicem Cassini montis est condita, manebat, more solito, antequam clerici eiusdem ciuitatis ad reddendas nocturnas Deo laudes surrexissent, ante prædictam Ecclesiam Dei Genitricis stans, gemitu, lacrymis, & suspirijs Dominum precabatur. Cum ecce subito intempestæ noctis hora, respiciens vidit columnam igneam è cella, in qua infirmi Fratres quiescere erant soliti, exeuntem, cœlumq; tendentem, quæ statim nuntium Monasterium subire præcepit, qui studiose inquireret, si aliquis ex infirmis Fratribus in cella illa degentibus, ex hoc mũdo migrasset. Tum is, qui missus fuerat nuntius, perniciter montem ascendit,

Monaste-

Monaſterium intrauit, domum infirmorum adijt, atque Stephanum religioſum monachum defunctum reperit, & ſtudioſius inquirens, inuenit eum ea hora emiſiſſe animam, qua columna ignea ab ancilla Dei viſa eſt celſa penetrare Polorum.

De Ioanne Venetico.

Alter quidã in iam dicto noſtro Monaſterio Ioannes Veneticus dictus eſt, mirę patientię, obedientię, & humilitatis monachus, qui quanti meriti apud Ieſum Chriſtum Dominũ fuerit, ſuum poſt obitum manifeſtiſſime claruit. Cum quidam Frater, cuius nomen à memoria excidit, caſu in inguine crepuiſſet, ita vt interiora eius, membrana diſrupta inter carnem, & coriũ dilaberentur, ſepulchrum ipſius adijt, ac ſe ſuper illud proſternens, lacrymis, gemitibuſq; vt pro ſe Dominum precaretur, ex intimo cordis poſtulabat affectu, proculdubio credens eius meritis ſe poſſe ſanitatem recipere, qui in hac vita poſitus, omnipotenti Domino totis viribus ſtuduit deſeruire. Cum igitur aliquantulum ſuper ſepulchrum eius orans incubuiſſet, ita reſtitutus eſt ſanitati, vt languoris priſtini, nec vllum quidem in eo indicium remanſiſſe videretur.

Miraculã meritis S. Benedicti patratum.

Smaragdus monachus, qui ad hue ſupereſt, & in noſtro Monaſterio commoratur, retulit mihi, quod narro, quod à Leone venerabili Presbytero, qui ſæcularibus, ac diuinis litteris, haud mediocriter eruditus, ab adoleſcentia vſque ad vitæ exitum in ſæpe dicto Monaſterio degens, omnibus penè in hac Prouincia notus extitit, accepit. Cum quidam caſu accidente (ſicut prędictus Presbyter ex ore illius accepit) in ſecretiori loco crepuiſſet, & languore creſcente, quotidie vehementer fatigaretur, medicum à quo ſecari, vel exuri deberet, ſi quoquo modo poſſet ſanitatem recipere, conducere meditabatur. Timebat tamen ſi ſecaretur à Medico (vt multoties euenire ſolet) ne forte moreretur; & rurſus ſi non ſecaretur ſedurum ſuſtinere dolorem, quod eſt ipſa morte deterius, periculoſius ſibi videbatur. Igitur cum intra ſe hæc diutius agitaret, vnum ſibi remedium credidit fore, vt ad ſepulchrum B. Benedicti pergens, ipſius miſericordiã implorarer: ſperans ſe eius patrocinio, poſſe ſanari, ſub cuius magiſterio recedens à ſæculo deuotiſſime ſe contule-

contulerat. Statim igitur Ecclesiam intrauit, ac se coram altare humiliter prosternens, diutius orauit, vt omnipotēs Deus meritis sancti Patris salutem sibi conferre dignaretur. Expleta vero oratione, è pauimento in quo prostratus iacuerat surrexit, atque ex crepidine altaris puluerem collegit, & ligans in panno, loco in quo patiebatur superposuit, atque die altero ita sanus repertus est, vt nec signum quidem præteritæ infirmitatis in eo omnino remaneret.

De Puero à Dæmonio vexato.

Quidam puer in domo hospitum simul cum patre in lectulo cubans, cum ad necessitatem corporis in ipso noctis silentio surrexisset: subito ingens Leo dentibus frendens, & cum vnguibus paratus discerpere, sibi horrendus apparuit: qui pauore nimio exterritus, vociferans in terram corruit. Ad cuius vocem mox turbatus pater è lecto surrexit, festinus ad eum, valdeq; anxius accessit, cur ita clamasset, vel quid sibi euenisset, paterna diligentia sollicitus inquisiuit. Ille vero immanem Leonem contra se venientem tremebūdus, ac palpitans vidisse se retulit: quem pater blanditijs demulcens, in vlnis proprijs acceptum, reduxit ad lectulū. Sed diabolus, qui in specie sibi Leonis apparuerat in eum ingressus post aliquot dies vehementissime infestare cæpit. Cumq; ad Ecclesiam ante altare B. Benedicti esset adductus, mirum immodum in pauimento clausis oculis prostratus iacens, quicumque Monasterij portam ingrediebatur, mox eius nomen exprimebat, dicens: talis vel talis homo modo per portam Monasterij ingreditur.

Quidam autem Frater cum causa obedientiæ è Monasterio ad ciuitatem descendisset, duodecim à quodam accipiēs denarios, eosq; propriæ vtilitatis gratia, occulte capiens, sibi in sinum misit. Cum autem ad Monasterium reuersus, ad puerum, in loco quo vexebatur, accessisset: statim diabolus hoc modo eum per os Pueri coram Fratribus infamare cœpit, dicens. Monachus iste contra Regulam sui Ordinis, duodecim denarios à tali viro accipiens, causa proprij commodi occultatos retinet in sinu. Igitur cum à Fratribus interrogaretur, vtrum vera essent conuitia, quæ antiquus hostis per os vexati sibi obijceret: mox ille suam clamitans culpam, omnino ita esse professus est.

Alter

Digitized by Google

Alter quoque Frater (cuius nomen, ne verecundiam patiatur omitto) ex alio Monasterio, suæ salutis causa ad nostrum deductus: quadam nocte ad nocturnas vigilias lectionem de veteri testamento in Ecclesia, Fratribus more solito residentibus, recitabat: cum forte Puer, qui vexabatur adesset; & ecce subito diabolus per os eius exclamans, illa omnia, quæ legebantur se ad liquidum nosse, ibiq; fuisse protestabatur, & adiungens huiusmodi verbis lectori exprobrabat: sed si ea, quæ de te scio, referre coram præsentibus vellem, magnam profecto tibi verecundiam incutere possem; & re vera Fratrem illum abunde in suo Monasterio seculariter vixisse compertum est. Postquam igitur pro vexato Puero ante sepulchrum B. Patris Benedicti diutius à Fratribus est oratum, ità sanus effectus est, vt amplius à maligno spiritu vexari minime visus sit.

Puer vexatus liberatur.

Alterpuer à Dæmonio obsessus libera tur.

Eodem tempore alter puerulus ingentem Aethiopem super tectum domus astantem conspexit: qui valde territus mox fugam arripuit: sed idem dæmon eum insequens, ad ostiũ domus impulit, in terram prostrauit, statimq; in eum ingrediens acriter miserum fatigabat: eumq; ad oratorium ad sepulchrum prædicti Patris sæpe fuisset adductus, eiusdẽ Patris meritis, qui eum inuaserat dæmon relinquens, abscessit: sic vt ad eum accedere vlterius ausus non fuerit.

Ioannes à Dæmonio meritis B. Benedicti liberatur.

Alius quidam Ioannes nomine, qui ætate prouectus adhuc supereſt, atque in infirmorum domo deseruit, ex Prouincia Marsorum, de qua ortus fuerat (cũ à pessimo dæmone teneretur) ad hoc cœnobium gratia recuperandæ salutis à propinquis adductus est: proculdubio credẽtibus, eum meritis B. Benedicti salutem posse recipere, ad cuius limina, multos diuersis languoribus occupatos audierant saluti pristinæ restitutos, & ipse post non longum tempus expulso hoste, sanitate recepta, magnam exultationem videntibus intulit.

Alius obsessus à dæmone.

Theodoricus etiam Monachus, atque Sacerdos, qui adhuc viuit, ac nobiscum in hoc cœnobio, religiosam vitam ducens, conuersatur, nepotem habuit, quem valde diligebat in sæculo, quem antiquus hostis ingressus est, non tamen vt aperte eum vexaret, sed latenter languorẽ inferens, quasi paraly-

Digitized by Google

paralyticum videntibus exhiberet. Hunc itaq; prædictus auunculus eius, causa recuperandæ sanitatis, ad se, de B. Patris Benedicti meritis confidens, adduci fecit. Sed cum in hoc Monasterio aliquandiu infirmus, ita vt venerat perduraret, & à nullo, quod eum dæmon possideret æstimaretur: quadam die ab eodem auunculo suo ad venerabilem virum Lambertum nomine, qui in hac proxima silua, iuxta Ecclesiam sanctorum martyrum Cosmæ, & Damiani, solitarius habitabat (vt eius benedictione potiretur) delatus est. Cui vir Dei panem benedictum dedit, vtq; eum comederet imperauit. Cumq; sibi quod acceperat in os misisset, idq; comedens gustasset, dæmon, qui hactenus in eo latuerat, benedictionem tanti muneris ferrè non valens, strependo, vociferando, huc illuc dissiliendo, quæ causa languoris esset innotuit. Postquam vero cum auunculo ad Monasterium est reuersus, & apertè, quod à dæmone possideretur cognitum fuit, ductus in Oratorium est, quo omnipotentem Dominũ pro eo rogaturi cuncti simul Fratres conuenerunt. Expleta itaq; oratione, & psalmodia, hora sexta, Fratres ad refectorium (dimissis cum eo duobus, vel tribus monachis) causa reficiendorum corporum pergunt. Igitur cum illi, qui remanserant diuinam pro eo misericordiam lacrymabiliter precarentur, quatenus intercessione beatissimi confessoris sui Benedicti liberare captiuum hominem dignaretur: Monachus veneranda canitie ante altare, eidem, qui vexabatur astare visus est: qui antiquo hosti ab eo recedere potenti virtute imperauit: Mox dæmon facto impetu, magno cum vomitu ab obsesso exijt, atque ad eum accedere vlterius minimè præsumpsit, quem videlicet senem B. Maurum procul dubio fuisse compertum est, cuius reliquias Fratres, qui cũ eodem obsesso in Ecclesia remanserant, super pectus eius magna cum spe, ac deuotione posuerant. Is autem, qui liberatus à dæmone est, Monachus in hoc Monasterio cæteris cum Fratribus in Iesu Christi Domini seruitio perseuerans, constitit.

Libertus monachus

Panis Benedictivirtus.

Vexatus à Dæmone eripitur.

Rusticus quidam in vicinia huius Monasterij, in castello, quod S. Angeli nominatur, habitabat, qui festiuitatem B. Nicolai confessoris Christi per annos singulos, vna cum familia

Digitized by Google

lia ſua, prout poterat, deuotiſſime celebrabat. Ea igitur die, qua eius ſacra à fidelibus celebratur ſollemnitas, ad baſilicam illius nomini conſecratam, cum vxore, & filio in puerili adhuc ætate manente, oblationem Domino oblaturus acceſsit. Poſtquam vero expletis miſſarum ſollemnijs, & cõmunione ſacri corporis, & ſanguinis Domini participata, ad domum propriam ſunt reuerſi: puer à patre agrum reuiſendi licentiam petijt, quem pater compeſcuit, dicens: Non eſt dignum, ò fili, in agrum hodie ad aliquod opus exercendum exire, quia licet indigni, diuina ſacramenta percepimus, & feſtiuitas Patroni noſtri B. Nicolai, ab omnibus magna cum deuotione vbiq; recolitur. Sed ille puerili leuitate ductus poſtquam, quod petierat à patre impetrare nequiuit, paterna iuſſa paruipendens, clam de domo auolans, ſolus ad rura viſenda contendit. Vbi vero aliquantum in agro moratus, ſolem ad occaſum vergere, & opacam noctem iam penè terris imminere conſpexit, ad vicinam ſiluã (ne vacuus redire videretur, ac vt per hoc gratiam Patris, cuius verba contẽpſerat, recipere poſſet) ligna cęſurus, domumq; delaturus, acceſſit. Cumq; ligna iam componere cępiſſet in ſarcinam, ſubito quaſi vehementis ſpiritus ſonitum contra ſe venire præſenſit, eleuatoq; ſurſum capite, nigerrimam auem, ad modum Vulturis, magno cum impetu per aera ſuper ſe volantem conſpexit, quæ haud longiuſcule in ſemita, qua puer regredi debebat, ſe ſe obuiam poſuit. Itaq; cum timore perterritus, ac tremebundus in eam intenderet, illa in ſpeciem nigerrimi pueri, cuius capilli hiſpidi, ac ſurſum erecti, & extrema pars in ruborem deſinere videbantur, ſe ſe transformans, oſtendit.

Filius patri inobediens à dęmone obſidetur.

Igitur puer dum id, quod videbat, pauidus vt erat animo, inſpiceret: iſdem antiquus hoſtis eum taliter allocutus eſt. Efficere, inquit, ò puer, ex toto meus, & vna mecum ad huius proximi fluminis oram accede, ibiq; auri, & argenti tibi copiam magnam tribuam, vt non lignis, ſed auro, argentoq; domum reuertaris onuſtus: quatenus dum ſuperfueris, omnes propinquos, vicinosq; tuos diuitijs excellens, nobili, & delitioſa fruaris vita in terris. Hęc autem antiquus hoſtis non ita perſuadebat, vt ea, quæ pollicebatur tribueret, ſed

Digitized by Google

ſed vt eum mergens, necare poſſet in flumine. At puer frequenter Chriſti nomen inuocans, crucis ſe ſtudebat munire ſignaculo, flebiliq; voce talia reſponſa reddebat. Abſit à me abſit, ne alicuius aliquando efficiar famulus, niſi omnipotentis Dei, qui me creauit, & Patris, qui me generauit. Cum itaq; iterum, atque iterum ſignum ſibi ſalutis apponeret, dæmon qui videbatur, inde ſe ſubmouẽs, in vndas vicini fluminis magno cum ſtrepitu merſit, ibiq; ſerpentum more ſibilare, aſinorum rudere, taurorum mugire, rugire leonum, cępit: atque tantum timorem miſello incuſſit, vt tota ſilua rotari in vertiginem ſibi videretur. Cumq; in terra ferè iaceret exanimis, & quid ageret penitus ignoraret, ecce ſubito ſenex mitrato capite, candida ſtola indutus, ſibi aſtans apparuit, & inquit ad eum: Quid hic agis, cum iam tardior hora protrahatur, & recedentibus cunctis ſolitaria iam penè arua remaneant? Surge quantocius, domumq; redire feſtina, ne ſi amplius hic moratus fueris, graue periculum incurras. Surgens itaq; de terra, cum ſe ad leuandam ſarcinulam inclinaſſet, ildem, qui viſus fuerat ſenex diſparuit: Et ecce iterum malignus ſpiritus ante oculos eius ſe ingerens, eiſdem quibus prius verbis affari puerum cępit: ſed ille nihilominus, quæ hortabatur, ſe facturum omnino denegans, flens, & eiulans in terram decidit, ac prout poterat, & ſciebat, Saluatoris omnium Ieſu Chriſti clemẽtiam, vt ſibi pręberet auxilium, flagitabat. Mox ille venerandus ſenex, qui ei dudum viſus fuerat, rurſus apparuit, & vt citius ſurgeret, lignaq. auferens aſportaret, hortatus eſt. Ad cuius aduentũ inimicus, qui videbatur, vt fumus euanuit. Quem vtiq. ſenem Beatum credimus fuiſſe Nicolaum, cuius celebrandę feſtiuitati, prædictus ruſticus eo die operam dederat. At puer ad ſenis imperium ſurgens à terra, leuata ſarcinula, ſumma cum velocitate domum redijt, & vt ipſe poſtmodum referebat, tam leuis ſibi illa lignorum ſarcinula, quàm vehebat, facta eſt, vt nihil ponderis habere videretur.

S. Nicolaus puero apparet.

Cum autem domum regreſſus paululum remoratus eſſet, qui ei apparuerat dæmon in eum ingreſſus, cępit horribiliter fatigare. Vterq. turbatus parens affuit lugẽs, & perſtrepens familiola cuncta circumſtetit. Sed cum nullum illi auxilium

Puer vexatus Cassinum perducitur, & sanatur

xilium impendere posse se cernerent, salubre reperto consilio, hoc ad Monasterium, ad limina eum B. Benedicti perducunt, atque ad eius venerãdum sepulchrum in dextera parte altaris, misericordiam Domini lacrymabiliter postulantes prosternunt: ibiq. obsessus vehementer fatigatus obdormiuit. Igitur cum sic fessus obdormiens iaceret, aperiri sibi subito altare visum est, indeq. vir clarissimo aspectu, candidoq. habitu procedens, eius aluum, pectusq. diu contrectans, ei vt surgeret, ac discederet, imperauit. Qui mox expergefactus, ita sanus surrexit, vt dæmoniacam infestationem in se vlterius non sentiret. Hæc omnia per ordinem ex ore ipsius pueri, qui passus fuerat lacrymabiliter referentis, agnoui.

Monasterium S. Liberatoris.

In Diœcesi Theatini Episcopatus est Monasterium nobile, iuxta radicem Magellici montis, in honorem sancti Liberatoris constructum, & huic nostro Cassinensi cœnobio subditum, vbi magna Fratrum multitudo commorantes, iuxta almi Patris Benedicti mandatum, Christo Domino vero Regi militantes deseruiunt. Quodam igitur tempore, dum Fratres in eodem Monasterio in noctis silentio, iuxta morem quiescerent, quidam Reuerendus vir monastico indutus habitu, vni eorum apparuit, eumq. vt velociter de lectulo, in quo iacebat surgeret, hortatus est. Cumq. ille ad eius imperium expergefactus, surrexisset, inquit ad eum: Accelera, & excita omnes Fratres, & vt velociter surgant, atque ad Ecclesiam pergant, magnis clamoribus insta, quia hæc in qua quiescunt cella, sub omni est celeritate casura. Ille autem iussis obtemperans, magnis vocibus clamare cepit: surgite Fratres, surgite, atque ex hac cella, quia protinus ruitura est, quantocius exite, ne moram in ea amplius facientes, à ruinis (quod absit) opprimamini. Cum igitur illi expergefacti, eiusq. clamoribus turbati; vnde hoc nosset inquirerent, ille quæ viderat, quæq. sibi dicta fuerant, ordine retulit. Mox itaq. Fratres inde exeuntes, celeriter Ecclesiam intrauerunt, nocturnamq. synaxim, more solito, pulsatis signis, Domino decantare cęperunt. Cumq. intentis mentibus officia consueta persoluerent, subito prædicta domus, dato magno strepitu, funditus corruit. Exterriti

S. Benedictus curã suorum gerit.

Fra-

Digitized by Google

Fratres, festine pergunt, solliciti, ne quis eorum illa ruina oppressus esset inquirere, & cum delapsam materiam, huc illucq. deuoluerent, inuenerunt vnum è Fratribus senectute grauatum, sub ruinis vndique circumiacentibus incolumem remansisse, extractumq. foras, quonam modo euasisset, curiose interrogarunt. At ille, cum domus, inquit, funditus fatiscens, super me dilaberetur, subito quidam splendidus vir, monastica veste indutus, mihi adstitit, ipsamq. ruinam iam super me cadentem, meq. opprimere minitantem, brachio suo sustentans, incolumem (vt ipsi cernitis) conseruauit. Qui videlicet B. Benedictus fuisse creditur, qui, & antea paterna pietate gregem, sub suo magisterio militantem, sua admonitione, & protectione eripuit, & senem fugere non valentem, manu sollicitudinis suæ, defendit.

S. Benedictus monachum suũ saluat.

Quidam etiam Frater in eodem Monasterio Ioannes dicebatur, qui ætate, ac ægritudine præssus, extremum vitæ spiritum trahebat. Cum igitur quadam die aliqui ex Fratribus, more solito, decantaturi matutinas laudes ad eum veniissent, ille eos voce qua potuit compescuit dicens: Nolo, vt mihi canonicas horas amplius decantetis, quia Domnus Abbas cum multis Fratribus albis vestibus indutis, ad me modo gratia visitandi venerunt, mihiq. matutinale officium decantantes, post paululum, se huc redituros, meque secum assumpturos esse dixerunt. Dum itaque Fratres, qui ad eum venerant ad eius visionem intenti, si vera essent, quæ retulerat solliciti præstolarentur, post vnius horæ spatium, Frater ille magna cum exultatione, emisit spiritum. Ex quo animaduertere possumus, beatissimum Patrem Benedictum fuisse, qui ei cum illa albatorum concione apparuit, eumq. secum, vt promiserat, assumpsit.

De Ioanne monacho.

Modus libelli huius nos ad finem tendere cogit, sed bonum obedientiæ, quæ inter cæteras virtutes prima est, non finit nos virtutem cuiusdam Fratris, qui eam tota cordis humilitate vsque ad mortem sectatus est, penitus silentio præterire: illum videlicet imitans, qui factus obediens Patri vsque ad mortem, obedientiæ nobis, pariter ac patientiæ reliquit exemplum. Qui videlicet Frater huius nostræ

Digitized by Google

De Rainerio monacho.

congregationis Rainerius nomine, iuuenis quidem ætate, sed moribus grandæuus fuit, cui multi è Fratribus, qui adhuc supersunt, & eum optimè nouerunt testimonium perhibent, quod scilicet tantæ humilitatis, tantæq; obedientiæ fuerit, vt ex hoc mirabilis ab omnibus haberetur, cui dum quadam die ab Abbate suo esset iniunctum ad aliquod opus pro vtilitate Monasterij peragendum, Theatinum adire territorium. Ille læto, vt semper animo, ad obediendum promptus, iussa implere festinans, iter arripuit. Qui dum pergeret, & aliquanti iam itineris spatium perfeciſſet, à latrunculis cuiusdam potentis viri Oderisij, qui ex præcepto eius (si quid ex huius Monasterij rebus *diripere* possent) viam obseruabant, omnibus, quæ deferebat sublatis, interfectus est. Cuius quidem corpus, vel propter inimicorum insidias, vel quia longè aberat, ad hoc cœnobium deferri non potuit, sed in quadam Ecclesia iuxta posita, humi traditum est.

Sed quantum illius obedientia omnipotenti Deo fuerit accepta, ad extinctum eius corpus ostendere dignatus est. Cæperunt namq; multæ in infirmitate detentæ personæ, ad eius sepulchrum accedere, & recepta sanitate ad sua incolumes remeare, inter quos Atto Comes magni Attonis Comitis filius, præfati Oderisij gener, cum grauiter detentus à febribus fatigaretur, ad sepulchrum illius, fama ducente, peruenit, ibiq; in oratione prostratus, recedente febre, ita sanus surrexit, vt malæ illius valetudinis, qua antea laborabat, nihil prorsus in se sentiret. Qui pro recepta sanitate gratias referens, ob retributionem tanti muneris, optimo super eius sepulchrum oblato pallio, gaudens discessit.

Ex libro tertio Dialogorum eiusdem.

Monasterium S. Sophiæ de Beneuẽto.

IN Beneuentana Vrbe Monasterium est, quod sanctæ Sophiæ dicitur, huic Cassinensi cœnobio subditum, in quo quidam à pueritia sanctæ conuersationis, & magnæ humilitatis monachus extitit: qui infra annos adolescentiæ nimio languore præuentus ad extrema perductus est. Ad

cuius

Digitized by Google

eius exitum congregati Fratres, vt moris est, hymnis, & psalmis Deo, cui omnia viuunt, eius cæperunt animam commendare, sanctorum cętum in eius auxilium attentius inuocare: qui crescente languore defunctus est. Sed cum ad lauandum eius corpus aqua præpararetur, per vnam ferè horam exanimis iacuit. Cumq; qui aderant orationi, & psalmodiæ insisterent, subito corpus eius omne contremuit, ac paulatim reuiuiscens, cunctis, qui adstabant, admirantibus, in lectulo resedit. De hinc interrogatus, cæpit illis, quæ egressus de corpore viderat, referre dicens. Cum anima mea, vobis litanias canentibus, Sanctosq; Domini inuocantibus, de corpore egrederetur, mox ad preces vestras, Sancti, quos inuocastis, meum in auxilium aduenerunt. Cumq; illi ab eo requirerent si illos, quos nunquam viderat, cognoscere potuisset, respondit. Sanctum Benedictum, sanctum Gregorium cognoui, Beatum Donatum, & Felicem cum reliquis, qui in hac Ecclesia requiescunt Sanctis, meum in auxilium venire conspexi: inter quos Beatus Mercurius Patronus noster, velut splendidum sydus rutilans videbatur. Quem cum interrogassent vtrum, nam esset in hac vita moraturus: minime, inquit, nam Beatus Mercurius se ad me assumendum venire spopondit. Quę omnia, vt dixerat, vera fuisse, rei exitus comprobauit.

Defuctus Monach. reuiuiscit

Sanctorum patrocinium.

Eodem namq; die ex hac luce subtractus, ab illis procul dubio est receptus, quos antea, moriens, suum in auxilium venire conspexit. Ego denique in eodem Monasterio positus vnum ex illis, qui adfuerant testibus, Sicenolfum nomine, superstitem vidi, qui cuncta hæc, vt dicta sunt, se vidisse, & audisse profitebatur. Hactenus Desiderius in Dialogo.

Libri isti Dialogorum Desiderij Abbatis Cassinensis asseruantur manuscripti in Bibliotheca Vaticana, vnde nobis data fuit copia eos transcribendi. Citantur hi libri à Cardinale Baronio sæpius in notis ad Martyrologium Romanum, necnon & in Annalibus: suntq. magnæ auctoritatis, conseruaturq. eorum transumptum in archiuo sacri Monasterij Cassinensis.

De libris Dialogorum Desiderij Abbatis.

In Prouincia Aprutij celebris habetur memoria sancti

Digitized by Google

De Sancto Amicomonacho addicio.

Amici confessoris, cuius corpus venerandum in castro sancti Petri de Auellana (quod in spiritualibus, & temporalibus sacro Cassinensi Monasterio subditum est) honorifice conditum requiescit: de quo antiquum Cassinense Martyrologium die tertia Nouembris agit in hunc modum. Eodem die apud castrum sancti Petri depositio sancti Amici monachi, & Eremitæ, qui multis claruit miraculis. Habentur eius acta manuscripta in Bibliotheca Cassinensi, sed non produnt quo tempore floruerit. Eius festum prædicto die celebratur in Ecclesia Cassinensi sub duplicis officij ritu. Arbitror posteriorem fuisse Desiderio, ac consequenter Sanctis illis monachis, de quibus ipse scripsit, ideoq. hoc vltimo loco ipsum cum alijs coniungere placuit, vt qui simul viuunt in cœlis simul etiam reperiantur descripti à nobis in terris.

Finis Libri Tertij.



CHRO-

Digitized by Google

CHRONICI CASSINENSIS

Liber Quartus.

Patri in Christo venerabili, & semper recolendæ memoriæ Rainaldo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, & sacri Cassini Montis Abbati.

Petrus Diaconus debitæ obedientiæ famulatum.

PRISCI quondam veterum rerum Doctores, ob sapientiæ ingeniũ demonstrandum; assidue retexere non desinebant, quæ, quanta, vel qualia prospere, aut secus in Romano Imperio euenissent. De quibus, vel in quibus stilum ingenij sui exacuere, & elimare modis omnibus cupiebant, & renitentes sui magisterij flores, per historias diu desideratas, Imperatoribus ostendebant: summumq; apud eos studium erat, vt perituram elationis gloriam longè, lateq. per Orbis circulum propagarent. At Pater in Christo beatissime, venerabilitas vestri studij, huius sacri Cœnobij residuam historiæ partem texere cupiens, nostræ exiguitati hoc præcipere dignati estis, simili quidem feruoris studio, sed dispari tamen amore; illi namq. scripsere, vt perituram, transitoriam, momentaneam, ac laben-

Digitized by Google

tem laudem acquirerent, vestra vero à Deo pertegenda beatitudo id exigit, vt pretiosi, præclari, fulgidi, atque laudabiles apud omnipotentem Dominum simus in futuræ quietis gloria: illud sæpe, sæpiusq. in nostræ mentis archano replicantes: In Domino laudabitur anima nostra, audiant mansueti, & lætentur. Ego nempe vestræ iussionis Imperio ceruicem submittens, quartam nostri Chronici decisionem quam vir facundissimus Leo Ostiensis Episcopus, morte præuentus, explere nequiuit, sicut disposuerat, scribere ordiar, illis maxime inductus verbis, quibus hoc onus iniungere dignati estis, dicendo. Ad ea, quæ tibi iniunguntur accingi ne cunctaris, verte oculos ad montes, idest ad præcepta legis, & gratiæ, & inde tibi auxilium veniet. Illius enim est perficere, quod nos velle adiacet, hominum namq. est plantare, Dei autem incrementum dare; ipse namq. suscitat de terra, & de lacu miseriæ pauperem, eumq. locat cum principibus populi sui. Ergo de illius fidens auxilio aggredere illud, quod tibi à nobis obedientiæ merito imperatur, simul etiam, & quicquid a Patris Desiderij felici ad cœlestia transitu, in hoc euenere cœnobio, seu in alijs terrarum partibus, studiosius inquirens, exarare sollicite studeas: illa nihilominus suis in locis adijciens, quæ nostro videlicet tempore in Orientali climate per peregrinos milites operatus est Christus: simulq. tempora, loca, & personas, & præcipua dumtaxat gesta, ac bella annectens, ex eo videlicet tempore, quo ijdem peregrini ipsum bellum auxiliante Deo aggressi sunt, quousque ciuitatem sanctã Ierusalem receperunt, & sanctum, ac venerabile Christi sepulchrum (propter quod vtiq. specialiter profecti sunt) de prophanorum manibus eruerunt. Hoc vbi pectore hausi, conatus sum pro viribus quod iniunxeratis, fidens in illo, cui omnia possibilia sunt, quiq. ea, quæ abscondita sunt Philosophis, & vana gloriæ

Psalm. 33.

1. Cor. 3.

1 turgidis

largitis, sua largissua pietate sæpe reuelat paruulis, & insipientibus, causam etiam reddens, quæ excusabit nostræ inscitiæ culpas, tanti Patris præcipientis auctoritas. Et quia Abbatum series à Patris Benedicti temporibus, vsque ad renouationem Ecclesiæ Beati Martini à prædicto Leone fuerat exarata, nos ab eiusdem Ecclesiæ renouatione scribendi sumentes initium, ea, quæ de sanctissimi Desiderij vita descripta non erant, eidem historiæ adiungere curauimus, ne ex maxima parte tertius liber detruncatus videretur. Deinceps Reuerendissimum, & religiosissimum Oderisium, cum reliquis Abbatibus sibi succedentibus, litteris, vtcumque mandaturi.

Notandum sane, quia ea, quæ conscribenda sunt, ex registris Romanorum Pontificum, Gregorij septimi, & successorum eius, necnon Principum, & Ducum gestis decerpsimus, aliquando sensum tantum, nonnunquam vero illorum verba, & acta, vt descripta erant interserentes. A Girardi porrò Abbatis tempore (qui me in hoc sancto Cassinẽsi cœnobio, primo ætatis meæ lustro suscepit) vsq; ad hunc diem, partim ex ore venerabilis Abbatis Senioreti, sui tẽporis singularis nostri Ordinis viri, audiui, partim oculis proprijs vidi, partim seniorum nostrorum, aliorumq. fidelium relatione comperi. Quod si vestræ sanctissimę Paternitati non displicere perspexero, alijs me placere confido. Enimuero, vt nostis, disciplinis liberalibus nequaquam operam dedi, sed à quinto ætatis meæ anno, quo ad hunc locum, sicut supra retuli, Christo largiente perueni, diuinis lectionibus, & priscis annalibus, prout Dominus dedit, secundum nostrum scire, & posse adhæsi. Quod si aliquis contra nos propter hoc locutus fuerit, & me insulsum, atque indoctum dijudicans, tantum opus nequaquam aggredi debuisse clamauerit, liquido noscat, quia tunc Redemptoris magnalia penè annihilantur,

Digitized by Google

Num. 22. *si humanæ rationis astutia inuestigentur. Ille enim, qui brutum animal olim resoluit in verba loquentem, ipse in cordibus seruorum suorum, prout vult, & quantũ vult, & quãdo vult dat verbum. Vnde & per psalmographum*
Psalm. 80. *Vatem clamat: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud; &*
Iacob 1. *Iacobus: Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Si quid scientiæ, si quid ingenij, si quid in nobis boni conspicitur, ad cũctorum bonorum auctorem ex toto necesse est,*
Matth. 10 *vt referatur. Ipse namq. dixit: non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, per quem in quo, & à quo omnis sapientiæ, & omnis scientiæ, & omnis bonitatis norma, & principiũ constat, & finis. Et quia sunt aliqua forsan, in quibus possem à sapientibus merito reprehendi hoc nostrę insciti imputent, si quæ vero irreprehensibilia, Deo, non mihi ascribant, quia ego distractus necessitate, & perturbatione temporis, hoc opusculum, non quo debui stilo digessi. Qua propter Rainalde Pater in Christo Beatissime, qui nos ad hoc opus eligere censuistis, vestro id, si placet, elimato splendidoq. sermone corrigito, nec simplicis verbi imperitiam, sed historiam nostro Cœnobio attendatis vtilissimam.*

CAPVT PRIMVM.

Oderisius electus Abbas anno 1987.



DERISIVS huius Monasterij Abbas tricesimus octauus, sedit annis decem & octo, mensibus duobus, diebus decem & octo. Hic ex Marsorũ Comitum origine ducens sanguinis lineam, in ipso pueritię suæ tempore, dum in hoc Cassinensi cœnobio à reuerẽdę memorię Richerio Abbate susceptus, & habitu sanctæ conuersationis indutus fuisset, cernens eum supradictus Abbas luxus sæculi spernere, diuinis

diuinis lectionibus intentum esse, contemplatiuam vitam inhianter appetere, & regularis vitæ egregium sectatorem, Cassinensem Abbatẽ illum futurum esse prædixit, qui à prædecessore suo sanctæ, ac semper venerandæ memoriæ Victore Papa, huius loci Præpositus ordinatus, dum idem Pontifex, vt supra retulimus, grauiter infirmatus, ad hunc locum veniisset, in Capitulo Fratrum se deferri in lecto præcepit, ibiq; in præsentia Episcoporum, & Cardinalium, qui cum eo erant, admonuit Fratres, vt iuxta quod B. Benedicti Regula præcipit, Abbatem sibi de ipsa congregatione eligerent; inter Fratres vero habito consilio, omnes pari consẽsu Oderisium ad tantum ordinem recipiendum dignum proclamantes, elegere: quod cum supradicto Papæ Victori retulissent, ipse voluntatem eorum, & electionem valde laudabat, eundemq; protinus vocari faciens, omnino inuitum, & renitentem, & virtute, qua poterat proclamantem, & per ipsum Deum, ne hoc faceret obtestantem, per virgam, & regulam de Abbatia inuestiuit. Lib. 3. capit. 72.

CAPVT II.

POST mortem autem supradicti Pontificis, tristitia ingens, & desperatio cunctos nostræ partis inuasit, & iam ferè quid agerent, vel qualiter se de Ecclesia intromitterent ignorabant. Prædictis igitur Episcopis circumquaque dispersis, rursus frequentes Nuntij, crebriq; Legati, tam Romanorum, quàm Vltramontanorum, & Comitissæ Mattildæ ad eosdem Episcopos transmissi, hortabantur pariter, atque rogabant, vt de Romanæ Ecclesiæ ordinatione studerent: vt in vnum conuenientes caput facere christianitatis satagerent, membra, Dei auxilio, capiti non defutura, facilè, & in proximum casuram, & confundendam Ecclesiam; nisi Pastorem haberet: tandem itaq; rursum vndiq; coadunati, vna cum nostro Abbate Oderisio, miserunt litteras Romanis clericis, & laicis S. Petri fidelibus, vt quotquot ex eis possent, prima hebdomada quadragesimæ Tarracinam venirent, quotquot vero

Digitized by Google

ro non poſſent aſſenſum ſuum in perſona, quam ipſi concordi voto eligerent, proprijs litteris repræſentarent: ſimiliter etiam miſerunt litteras vniuerſis circumquaque per Campaniam, Principatum, atque Apuliam manentibus Epiſcopis, atque Abbatibus, vt quicumque poſſent abſque canonica excuſatione per ſe ipſos ad prædictum locum, & tempus occurrerent: non autem valentes, aut per idoneas perſonas, aut certe per litteras conſenſum ſuum tranſmittere perſtuderent.

Ann. 1088 Factum eſt, & quarta feria primæ hebdomadis quadrageſimæ, octauo ſcilicet idus Martij, congregati ſunt apud Tarracinam Campaniæ ciuitatem cum Epiſcopis, & Cardinalibus Romanis ſuperius notatis, Archiepiſcopi, Epiſcopi, at Abbates, ex diuerſis partibus numero quadraginta; ab Vrbe autem Roma Ioannes Portuenſis Epiſcopus omnium Cardinalium, & clericorum catholicæ dumtaxat parti fauentium, Benedictus vero Præfectus vniuerſorum laicorum fidelium legationem, & conſenſum vnanimem per litteras attulere. Legatorum autem Vltramontanorum, & Mattildæ Comitiſſæ, nonnulli fuerunt orantes inſtanter, vt eidem propter quam conuenerant rei, cum auxilio, & gratia Spiritus ſancti, ita ſtuderent, vt læta illis, à quibus fuerunt legati, nuntia referre valerent.

Altera igitur die conuenerunt omnes pariter ad Epiſcopatum prædictæ ciuitatis in Eccleſia B. Petri Apoſtolorum Principis, & ſancti Leuitæ Cæſarij, & cum reſediſſent, ſurgens in medium Tuſculanenſis Epiſcopus, retulit per ordinem omnia, quæ de ordinatione Eccleſiæ, vel Papa Gregorius antea, vel poſtmodum Papa Victor ſtatuerant, ſimul etiam, quam ob cauſam ipſimet vniuerſi, tunc in eodem loco conuenerant. De hinc ſurgens Epiſcopus Portuenſis, & Benedictus Præfectus retulerunt, & ipſi tam clericorum, quàm laicorum fidelium à Roma ſuper hoc negotio Legationem pariter, atque conſenſum, videlicet, vt quemcũque ipſi tunc vnanimi voto ad hoc officium promouerent, eumdem pari, & ſimili conſenſu in Apoſtolica ſede ſtatuendum reciperent. Cumq; huius Monaſterij Abbas, & Archiepiſcopus Capuanus, & ad poſtremum cũcti, qui conuenerant benefactum,

Digitized by Google

pefactum, rectéq; dictum laudassent, atque omnipotentem Deum, vt miseriam, & afflictionem Ecclesiæ, quandoq; respicere, ac releuare dignaretur, multis precibus imploraſſent, statuere demum cõmuni consilio, vt per tres illos dies, ideſt quintam, & sextam feriam, ac sabbato, triduanum specialiter ieiunium celebrarent in abstinentia, & orationibus, ac eleemosynis, vt diuinitus ostendi sibi personam tantæ dignitatis condignam, continuis precibus impetrarent.

Dominica itaq; die valde mane omnes iterum in eadem Ecclesia congregati, cum inter se pariter nonnulla de rebus huiuscemodi tractauissent, exurgentes tres Cardinales Episcopi, qui caput eiusdem concilij erant. Portuensis scilicet, Tusculanensis, & Albanensis, ambonem ascendere, factoq; silentio, vno simul ore pronunciant Ottonem Episcopum placere sibi in Romanum Pontificem eligendum. Cumq; vtrum omnibus idem quoque placeret, sicut est cõsuetudo, requirerent: repente mirabili, ac summa concordia omnes magna voce, hoc sibi placere, dignumq; illum vniuersi conclamant Apostolicæ sedis Papam existere. Tunc Albanensi Episcopo pronuntiante, Vrbanum illũ placere vocari, mox cuncti surgentes capiunt, eumq; cappam laneam exuentes, purpuram induunt, & cum acclamatione, atque inuocatione S. Spiritus ad altare B. Petri Apostoli illum pertrahentes, in Pontificali solio ponunt, quarto idus Martij, sicq; ab eodem Pontifice missa sollemnis celebrata, vniuersi gaudẽtes, Deoq; gratias referentes, rediere ad sua. Sed de his hactenus, nunc qualiter noster Abbas veteres officinas diruens nouas extruxerit describamus.

Vrbani secundi Papæ electio

CAPVT III.

GERENS igitur Oderisius renouationẽ cœnobij, Desiderio ad votum cessisse, ad officinas, quæ ex veteribus supererant, renouandas non segnis accingitur: domum nãq; infirmorum, quam dudum prædeceſſor suus Desiderius magno sumptu, ac studio, vna cum balneo ædificauerat à fundamentis est orsus euertere.

Et

Digitized by Google

Et Monasterij ampliandi occasione ipsam infirmorum domum ampliorem, & meliorem efficere. In decliuo igitur montis latere domum illam construens, tam in longitudine, quàm in latitudine, & altitudine maiorem, ac firmiorem erexit. Quæ videlicet longe priore speciosior, mirifice satis est lateribus tecta, & pictorum studio decorata, habens ab Oriente fenestras plures; in cuius capite per pulchram Abbatis cameram constituit, iuxta quam etiam Ecclesiam S. Andreæ Apostoli construxit. Desuper autem trabibus, tabulisq; est mirifice laqueata, ac lateribus cooperta, parietibus in gyro figuris pulcherrimis decoratis, pauimenti vero opus quam speciosum, quam solidum, quam multigena marmorum sit diuersitate constratum obtutibus omnium patet. Circuitum etiam claustri magnis marmorum tabulis sepsit: fenestras præterea in absida duas, in frontispicio, ab vno latere, & ab altero totidem instituit, quæ videlicet Ecclesia ab vno capite absidæ sanctissimi Patris Benedicti, ab altero hæret domui infirmorum, iuxta vero eiusdem Ecclesiæ frontem, cisteruam arcuato opere fabricauit: à Septentrionali porrò eiusdē Ecclesiæ parte cimiterium construens, lateribus cooperuit: iuxta infirmorum vero domum ab interiori parte coquinam, ac balneum, atque cisternam opere per pulchro extruxit. Clausstrum quoque infirmorum inibi super marmoreas columnellas erigens, & picturis decorauit, & tegulis texit. Nihil hoc, vir strenuissimus, expleto moratus, circa atrium maioris Ecclesiæ palatium, in quo nobiles quiq; hospitarentur, fabricauit, & idem trabibus contignans, tegulis cooperuit, iuxta quod etiam cisternam arcuato opere patrari mandauit.

CAPVT IV.

HOC præterea tempore quidam Frater in hoc cœnobio Maio dictus est, qui qualiter à diabolo interfectus, qualiterq; per sanctissimum Patrem Benedictum ereptus sit, præsens textus declarat. Hic igitur dum in domo infirmorum senio fessus maneret, in natiuitate Domini, ob sui corporis necessitate ad secessus pergebat,

Digitized by Google

pergebat, cui diabolus in humana effigie apparens, dixit ad eum, scio quo pergis, sed quia decrepito iam senio fessus, absque adminiculo tendere illuc inter noctis tenebras minime vales, sequere me: Ego ero dux itineris tui. Hæc dum supradictus Frater audisset, putans eum hominem, non diabolum esse, post eum pergere cepit; cumq; ad fenestram magnam, quę in medio domus est peruenissent, antiquus hostis senem in eamdem fenestram imponens, eumq; exinde præcipitans, interfecit. Fratres vero eum per totam noctem inquirentes non inuenere. Igitur cum eum vbiq; quærerent, & non inuenirent, monachus quidam ad eamdem fenestram accedens, eumq; mortuum aspiciens, Fratribus vbi iaceret ostendit. Alio vero die idem Abbas, æternæ iustitiæ reseratorem precibus pulsare, Fratres admonuit, vt qualiter, vel quo ordine prædictus Frater ex hoc mundo recessisset, pandere dignaretur. Tunc is, qui defunctus fuerat, cuidam Fratri per visionem apparens, quid circa se actum fuerat, narrauit, adiungens, quia postquam defunctus est, cum eum diabolus per viam carbonibus plenam duceret, & illum sæpissime in eodē igne volutaret, Pater illico Benedictus adueniens, eumq. de potestate dęmonum auferens, suo cœtui aggregauit. Tunc prædictus Abbas, vna cum Fratribus ob eiusdem animæ liberationem Deo gratias referens, constituit; vt quotquot Fratres obirent, tot etiam pauperes vsque ad trigesimum diem ad mandatum hospitum addi deberēt. Adiuncto insuper vno paupere pro anima Desiderij sui antecessoris, & omni tēpore cum à Capitulo Fratres surgunt, cantent pro defunctis psalmos quatuor, & quotquot Fratres defuncti fuerint, tot etiam psalmi de canticis graduū super. præfatos quatuor, vsque ad diem trigesimum addantur: insuper sexta feria per totum annum mox, vt missa defunctorum expleta fuerit, psalmos decantantes ad cimiterium pergant, ibiq. dantes orationem, postea de more Capitulum soluant.

Optimum statutum.

CAPVT V.

HIS porrò diebus dum supradictus Papa Vrbanus ad hunc locum veniisset, consuetudinario sibi lateris dolore

Vrbanus Pontifex

Digitized by Google

à S. Benedicto sanatur.

lore grauissime tactus est. In vigilijs igitur Patris Benedicti, dum eodem languore cruciaretur, & de præsentia corporis eius dubitaret, visibiliter ei sanctus apparens, dixit ad eum: Cur de mei corporis præsentia dubitas? ad quem Pontifex: Tu quis es? & sanctus: Sum Frater Benedictus.

Corpus S. Benedicti Cassini quiescit.

Quia autem tu me in hoc loco dubitasti quiescere, id ne amplius dubites, & me certissime in hoc Cassinensi cœnobio quiescere credas, hoc tibi signum erit. Cum primum ad nocturnalem synaxim pulsatum fuerit, statim sanus eris, & his dictis disparuit. Aduenientе autem hora, Pontifex sanus effectus, Oderisium Abbatem vocauit, dicens: quia vsque nũc de corpore B Benedicti dubitaui fateor; sed quia in hac nocte me visibiliter sanauit, & suum, suæq. sororis corpus hic ceruicissime quiescere docuit, surgamus, & Deo laudes per maximas reddamus; Et his dictis, quæ sibi Pater Benedictus reseranerat per ordinem pandit: quanta autem tunc lætitia, & quanta mentis exultatio, de tanti Pontificis sanitate omnibus fuerit, quia adhuc ferè omnes, qui videre superstant, omitto referre.

ADNOTATIO.

EXtat de hac re diploma eiusdem Vrbani, datum Capuæ die Kalendarum Aprilium, per manum Ioannis Diaconi Cardinalis, indictione quartadecima, Anno Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimosecundo, Pontificatus verò Domini Vrbani Papæ secundi, anno quarto: cuius tenor talis est. Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei, omnibus Ecclesiæ catholicæ filijs, Redemptoris nostri sanguine pretioso redemptis, salutem & apostolicã benedictionem. Scriptum est: Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei. Illud verò donum quod omnipotens Deus Beatissimo Patri nostro Benedicto, & per eum suo Cassinensi concessit cœnobio, nulla potestatione conuelli, nulla violentia permutari, quin ipse omnium Monachorum Pater, & eius iam dictum Casinense Monasterium caput omnium Monasteriorum perpetuò habeatur, & meritò: nam ex eodem loco de Benedicti pectore Monastici ordinis veneranda religio, quasi de paradisi fonte manauit:

Digitized by Google

dit: quem etiam idem venerabilis Pater virtutibus, & sua corporali requie memorabilem toti orbi effecit Cuius dum sacratissima limina, more prædecessorum nostrorum, ipso die vigiliarum eiusdem Patris visitassemus: consuetudinario lateris dolore attacti, ad extrema deuenimus: cumq. iam salutis spes funditus nobis adimi videretur, ac de corporali eiusdem Patris Benedicti in eodem loco præsentia, in nostro animo dubietas versaretur, nocte, qua eiusdem Patris agebatur sollemnitas, idem sanctissimus Benedictus nostræ exiguitati visibiliter apparens, dixit. Cur de nostra corporali præsentia dubitas? quem dum quis esset, interrogassemus, Sanctus Domini respondit. Ego sum Frater Benedictus huius Casinensis cœnobij custos, & habitator in sempiternum. Quia autem tu me hic dubitasti quiescere, id ne amplius dubites, meumq. hic quiescere corpusculum credas, hoc tibi signum erit. Cum primum ad nocturnale officium pulsatum fuerit, vlterius dolore ista non laborabis; & his dictis disparuit. Aduenientе autem hora (iuxta quod Sanctus Domini dixerat) sanitati pristinæ redditi, cum Episcopis, & Cardinalibus, Deo, & sanctissimo confessori Benedicto grates permaximas referentes, eius festiuitatem digna cum veneratione peregimus. Ob quam rem rogamus, & obsecramus in Domino Iesu, qui pro nostra salute incarnari, & mori dignatus est, & ex authoritate B. Petri Apostolorum Principis, cuius vice Romanæ Ecclesiæ præsidemus, & in virtute Spiritus sancti expressè præcipimus, ne quis vlterius falsam Patris Benedicti translationem celebrare præsumat. Contradictoribus huius nostri Apostolici constituti diuinum iudicium intentantes, & anathematis vinculo innodantes Et quia ex dispensatione sacratissimæ sedis B. Petri Apostolorum Principis, cui Deo authore, licet indigni administramus, totius Dominici gregis curam gerere pastoralis sollicitudine compellimur; & quæ sequuntur, & ad nostrum propositum minimè spectant.

Aduerte (optime Lector) qualiter summus Pontifex in præsenti decreto, translationem corporis S. Benedicti falsam, ac per consequēs nullam esse decernit. Nec vllo modo satisfacit quod modernus quidam scriptor dicit: Vrbanum quidem prohibuisse celebrationem falsæ translationis, non autem ve-

ra,

ra, quasi fuerint duę S. Benedicti translationes, vna vera, altera falsa: quod gratis, & absque vllo fundamento asseritur. Si autem aliqua S. Benedicti translatio vera dicenda est, illa profectò erit non corporis, sed festi eius, translati á die vigesimaprima Martij, ad vndecimam diem Iulij: hac enim die antiquitus solitum fuisse celebrari in Ecclesia Transitum, seu Natalem S. Benedicti docuimus ex Radulpho Tungrensi in libello de translatione S. Benedicti cap. 5. Hoc autem ita esse euidenter constat ex Sacramentario, siue Antiphonario S. Gregorij Papæ: in quo Sanctorum festa, & missas in eis dicendas disponens, & ordinans sanctus Pontifex, iuxta ordinem temporis, quo tunc celebrabantur: festum S. Benedicti in mense Iulio, post festum sanctorum septem Fratrum collocauit, cum hoc titulo. In natali S. Benedicti. Gregorium autem multis annis, prætensam corporis S. Benedicti translationem præcessisse, nemo est, qui dubitet. Vnde nullo modo dici potest festum illud translationis corporis S. Benedicti, quæ, secundum omnes, necdum fuerat facta. Ceterum processu temporis, reducto festo illo mensis Iulij ad suum proprium locũ, nempe ad diem 21. Martij: placuit quibusdam Patribus vtrũque festum S. Benedicti celebrare: & festo Martij nomen Transitus siue Natalis: festo vero Iulij nomen Translationis indiderunt. Quod multis (primam illius festi institutionem ignorantibus) ansam præbuit, & occasionem errandi, atque opinandi corpus S. Benedicti aliquando fuisse translatum, eum reuera, non corpus, sed festum ipsius translatum fuerit, vt dictum est.

Cardinalis Baronius tom. 11. Annal. anno 1088. videtur respuere ea, quæ in hoc capite de Vrbano secundo referuntur, eo vel maxime, quod diploma de hac re ab eodẽ Vrbano editum, sibi videtur continere non leuia de impostura inditia. Cui nunc respondendum esset: nisi in nostro libello de existentia corporis S. Benedicti apud Cassinum cap. 20. á nobis dilata fuissent omnia, quæ aduersus diploma illud adducuntur argumenta. Quare in præsenti solummodo dicimus, Cardinalem Baronium deceptum fuisse falsa ipsius diplomatis scriptura quæ habetur in calce Chronici Casinensis impressi Venetijs anno 1513. vbi asseritur datum anno Pontificatus Vrbani

Digitized by Google

bani nono, cum tamen in autographo habeatur quarto, vt à nobis positum est.

CAPVT VI.

TVNC temporis, Gentilis filius Balduini Comitis, vna cum Transmund onepote suo, obtulere B. Benedicto Monasterium S. Mariæ in Luco, cum omnibus suis mobilibus, & immobilibus, & Ecclesiam S. Nicolai in valle Sorana, S. Stephani in Rigo viuo, S. Restitutæ, & S. Mariæ in colle Longo, cum omnibus pertinentijs illarum. Præterea & Morinus Venafranus Comes obtulit B. Benedicto castrum Aquæfundatæ, quod videlicet antiquitus (sicut præcepta Imperatorum continet) intra huius Monasterij fines situm esse dignoscitur, cum omnibus pertinentijs suis, pro quo videlicet castro, idem Abbas centum & quindecim libras ei contradidit.

CAPVT VII.

SEQVENTI tempore supradictus Papa Vrbanus, iterum ad has partes deueniens, Ioannem Caietanum, loci huius à pueritia Monachum, Diaconum in Lateranensi Patriarchio ordinauit. Quo etiam tempore, dum apud Troiam Apuliæ ciuitatem Synodum celebraret, Abbas noster Oderisius proclamationem fecit de cella S. Sophiæ in Beneuento, sed causis bellorum ingruentibus nil iustitiæ habere exinde potuit. His porrò diebus defuncto in Caietana Ecclesia Leone Episcopo, Rainaldus huius cœnobij monachus, in eadem Ecclesia Episcopus ordinatur: similiter in Sardiniæ Insula Benedictus huius Monasterij monachus Episcopus substituitur. Huius autem Benedicti miracula nosse, qui cupit librum, qui de miraculis prænotatur, à nobis ante hoc ferè septennium exaratum relegat. Hic fuit postea Papa, infra cap. 64.

Tunc temporis Richardus, cui nomẽ de Aquila inditum

Digitized by Google

est, ad hoc Monasterium veniens, Abbati nostro iureiurando firmauit, quod castrum Suium non recognoscerer ab vlla persona, nisi tantum ab hoc Monasterio Cassinensi, & ex prædicto castro seruiret inde S. Benedicto secundum tenorem, quem Galfridus Monius Desiderio Abbati fecerat: ad mortem vero suam, absque alicuius contradictione in huius cœnobij ditionem rediret.

CAPVT VIII.

Ann. 1090. dedicatur Ecclesia S. Martini

TORRO cum à dedicatione maioris Ecclesiæ annus iam nonusdecimus, & ab incarnatione Dominica millesimus, & nonagesimus volueretur, tribus iam annis, & tribus, ac sexaginta diebus à transitu reuerendæ, ac semper honorifice memorãdæ memoriæ Papę Victoris tertij elapsis, præsidente, atque iubente supradicto Patre Oderisio, dedicata est Ecclesia sancti confessoris Christi Martini, quam prædictus venerabilis Abbas Desiderius, sicut supra retulimus, in loco ipso, vbi olim à B. Patre Benedicto constructa fuerat, circa portam scilicet Monasterij, mirifice, ac pulcherrime in sedecim marmoreis colũnis erexerat, quamq; tam musiuo, quàm & diuersis picturarum coloribus optime decorauerat. Dedicata est autem quartodecimo Kalendas Decembris, ipsa videlicet die octauarum eiusdem B. confessoris Martini, feria secunda, cum tribus altaribus suis, ingenti frequẽtia ordinis diuersi virorum, & maxima vniuersorum lætitia. Quorum primum, atque præcipuum in honore ipsius B. Martini dedicauit vir venerabilis D. Ioannes Episcopus Tusculanensis, illud autem quod ad dexteram ipsius basilicæ situm est in honore S. Erasmi martyris, consecrauit Domnus Rainaldus Episcopus Caietanus, qui ipso anno ex hoc nostro Monasterio, sicut supra retulimus, eidẽ Ecclesiæ fuerat datus Episcopus. Tertium vero, quod à parte sinistra statutum est in honore glorioſi confessoris Christi Ambrosij, benedixit Domnus Honestus Reuerendissimus Episcopus Verulanus. In altare vero S. Martini hæ reliquiæ

condita

conditæ sunt: Matthæi Apostoli,& Euangelistæ,Marci Euãgelistæ, Martini Episcopi, Cornelij, & Cypriani, Cirini, & Maximi, Stephani Papæ & martyris, Sebastiani, Focæ Episcopi, & martyris, ac Quadraginta martyrum. In altare S. Erasmi habentur reliquiæ eius, Casti, Secundini, & Hippolyti martyrum. In altare S.Ambrosij sunt reliquię eius, Augustini Episcopi, Pancratij martyris. Fuere autem cum eis in hac dedicatione Episcopi etiam alij tres, ideſt Lambertus Alatrensis,Roffridus Soranus, necnon & Leo Episcopus Venafranus. Quod autem tamdiu post Patris Desiderij trãsitum consecratio basilicæ huius dilata est, hoc fuit in causa, quoniam & picturæ partem aliquam, & pauimenti non modicam ad complendum, morte præuentus, idem Abbas reliquerat. Bis enim illam construxit,primo namq; postquã columnas, & epistilia locauit, Desiderio Capuam adeunte, Ecclesia ipsa funditus corruit, quod vbi agnouit,in hęc verba prorupit: Sacerdos Dei Martine pastor egregie ora pro nobis Deum. Moxq; vir strenuissimus ad hunc locũ remeãs Ecclesiam, sicut cernitur, à nouo construere fundamine cępit; sed vt diximus, morte præuentus, hanc explere nequiuit; quam successor illius studiosissime complere,& addere, quæq; necessaria videbantur, curauit: & sic eam dedicari, quatenus præmissum est; honorificentissime fecit.

Quo tempore Sicelgaita Ducissa coniux bonæ memoriæ Ducis Roberti,cuius supra meminimus,vita decedens,propter summam spem, quam in Patre Benedicto habebat, ad hoc se Monasterium duci fecit,& in paradiso huius Ecclesię ante basilicam B.Petri Apostoli tumulari rogauit.

CAPVT IX.

EODEM præterea tempore, quidam miles Richardus nomine, in castro degens, quod Spinium nuncupabatur, horreis alimenta negantibus, ad eumdem Abbatem quantocius properauit, ac preces pro pretio offerens, aliquantum tritici, quo suam consolaretur inopiam, magnopere postulauit; at ipse postulantis

Digitized by Google

neceſſitati compatiens, bis quinque tritici modios ſe ei indubitanter daturum alacriter ſpopondit, & dictis fidem facturus, vt certiorem illum redderet, prædixit, quando vel vnde eſſet accepturus. Ille vero ſubſtantia pauper, ſed mente pauperior, vice contraria perſecutionem pro benignitate, pro miſericordia impietatem B. Patri Benedicto rependere deliberauit, maiora potius eligens cum execratione poſſidere, quam paucis contentus, cum benedictione manere; Nam diabolo ſuggerente, vnius conſolationi, alterius compaſſioni grauiter inuidente, quid apud Abbatem inuenerat idem Richardus Rainaldo Ridello ſuo Domino in oppido, quod Traiectum dicitur tunc manenti, feſtinauit referre. Non tamen, vt charitatis exemplo informaretur; ſcilicet, quod ſub recipiendi occaſione tritici, caſtrum quod Fractæ vocatur, in quo erat repoſitum, locus ſibi tradendi congruus haberetur.

Tunc ille aurem accomodans conſilio traditoris, eũdem Richardum ſacramento ſecurum reddidit, quod dimidiam partem ſupradicti caſtri ſibi eſſet daturus. Adueniente ergo feſtiuitate S. Priſcæ, Dux nefandi ſceleris ſub amici ſpecie prædictum caſtrum ingreſſus eſt. Quem nonnulli iuuenes bini, ac bini ſequentes, ab inhabitatoribus caſtrum communi hoſpitio recipiuntur; recepti autem non virtutis merito, ſed fraudis magiſterio, de hoſpitalitate, ad dominationem ſubito tranſeunt. Quod vbi Oderiſio Abbati nuntiatum eſt, eidem Rainaldo rogando mandauit, vt accepto centum ſolidorum pretio caſtrum Monaſterio redderet. Hoc dum ille etiam audire contemneret, per integram hebdomadam ab eodem Abbate commonitus iuſtitiam huic loco facere contemnens, ante Patris Benedicti corpus excõmunicatus eſt. Quarta autem die Adenulfus Aquinenſis Comes ab eodem Abbate, illuc cum exercitu directus, ab oppidanis in caſtro receptus, arcem oppugnare modis omnibus cepit; Mira dicturus ſum, veriſsima tamen: Nam cum hi, qui in arce erãt, ſuper obſidentes viritim lapides, & iacula mitterent, nullus quiſpiam in aliquo læſus eſt: ſicq; auxilio Dei, & meritis B. Patris Benedicti interuenientibus, eãdem, vi arcem cepere, captis omnibus eiuſdem Rainaldi fidelibus, qui ibidem reperti

perti sunt. Nam vt ista B. Benedicti auxilio, ac voluntate gesta credantur, in exercitu deambulans, quidam monachus apparuit, cum nullus monachorum tunc se illi pugnæ miscuerit.

Septimo vero die dum præfatus Abbas cũ Papa Vrbano Capuæ esset, astantibus multis clericis, atque nobilibus Capuanis, prædictus Rainaldus cum omnibus, qui secum erant veniens, discalciatis pedibus, publice satisfecit: sicq; ab excommunicatione solutus est. Eo etiam die, quo supradictum castrum recepimus, Anno Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimotertio, indictione secunda, mensis Ianuarij, die tricesima, dedicata est Ecclesia S. Andreæ Apostoli, quam idem Abbas à fundamentis, sicut supra retulimus, ædificauerat, à Domino Rainaldo Caietano Episcopo, & huius cœnobij monacho. Ann. 1093 Dedicatio Ecclesiæ S. Andreæ.

Tunc temporis Oderisius filius Oderisij Sangrorum Comitis ad mortem veniens, obtulit B. Benedicto duo sui iuris castella, Fracturam scilicet, & collem Angeli, & quicquid sibi à paterno, vel materno iure pertinere videbatur in toto Comitatu Sangretano.

CAPVT X.

PER idem tempus Iordanus Princeps, cuius supra meminimus, cum vniuersam ferè Campaniam à iure sedis Apostolicæ subductã in deditionem accepisset; apud Pipernum vita decessit: corpusq; eius ad hoc Monasterium delatum, & iuxta Ecclesiam B. Petri Apostoli reconditum est. Capuani autem, vbi mortem Principis agnouere, cõtra Richardum supradicti Iordani Principis filium, eiusq; matrem conspirantes, Capuanæ ciuitatis munitiones capiunt, Normannosq; omnes vrbe depellunt. Richardus autem Auersam vna cum matre recedens: ducem Rogerium in suum auxilium euocat, qui æstiuo adueniente tempore, cuncta Capuanæ ciuitati adiacentia flamma, ferroq; consumpsit, & tamdiu eos expugnauit, vsque quo Capuani, necessitate coacti, prædicto Richardo munitiones redderent, eumq; recipientes, sibi in Principem consecrarent.

Digitized by Google

Idem præterea Rogerius Dux eo tempore fecit præceptũ B. Benedicto de omnibus, quę Robertus Dux pater eius, vna cum vxore ſua loco iſti conceſſerant, & de Monaſterio S. Anaſtaſiæ, cum pertinentijs ſuis in territorio Follo caſtri. Inſuper & decem homines in eodem caſtro cum familijs, & rebus ſuis in hoc ſancto cœnobio per præceptum aurea bulla bullatum conceſſit; necnon & Monaſterium S. Nicolai in Biſiniano, S. Angeli in Troia, & alia multa; ſed & Boamundus frater eius, eo anno ſimiliter per præceptum aureo ſigillo bullatum, confirmauit omnia, quæ pater eius in hoc loco tradiderat cum Monaſterio S. Petri Imperialis in Taranto, cum omnibus omninò pertinentijs ſuis, & decimam ſuam de frumento, vino, hordeo, animalium, piſcium, quas tunc habebat, vel deinceps habiturus erat.

CAPVT XI.

Ann. 1095 Signum mirabile.

ANNO autẽ Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimoquinto, pridie nonas Aprilis, quarta feria poſt octauas Paſchæ, à quarta fermè vigilia noctis vſq; in crepuſculum, ſtellæ innumerabiles de cœlo verſus occidentalem plagam, vbiq; terrarum cadere viſæ ſunt. Eodem tempore innumerabilis, & inæſtimabilis multitudinis occidentalium gentiũ facta eſt cõmotio; omnibus certè retroactis ſæculis inaudita, & admirabilis, cum profecto tot ſimul gentes, tot Principes, tam ſubito, tam vnanimiter, tamq; cõſtanter abſque hominis vllius imperio conſpirauiſſe, nemo qui legerit, nemo qui vel audierit aliquando, vel viderit, alicubi valeat reperiri. Vnde non ſine cęleſti nutu, ac diſpoſitione diuina, id geri, vel etiam incipi potuiſſe, nemo eſt, qui poſſit ambigere; de quorum omnium magnis, & multiplicibus geſtis ſumma dumtaxat, & excellentia, quæq; breuiter, & compendiosè opuſculo iſti decreui inſerere, quoniam quidem nec mei propoſiti eſt per ordinem vniuerſa litteris tradere, & certè tot ſunt, & talia, quæ prudentis cuiuſlibet non parua exigunt otia, & prolixi, ac ſpecialis volumnis opera.

Multarum gentium cõmotio.

Fer-

Digitized by Google

Fertur autē commotionem hanc apud Gallias, occasione quorumdam pœnitentium, principium accepisse. Qui videlicet propterea, quod de innumeris sceleribus digne apud suos pœnitere nequibant, & quod sine armis, vtpote sæculares, inter notos conuersari vehementer erubescebant, auctoritate, atque consilio sanctæ memoriæ Papæ Vrbani (prudentis planè, & verè Apostolici viri) qui tunc temporis pro negotijs Ecclesiæ partes illas adierat, vltramarinum iter ad sepulchrum Domini à Saracenis eripiendum in pœnitētiam, & remissionem peccatorum suorum illis iūctum, fide promptissima se arripere spopondere, certi, & indubij redditi, quod quidquid aduersi, quidquid periculi, quidquid denique incommodi illis contingeret, loco pœnitentiæ à Domino recipiendum, si tamen se à præteritis nequitijs continerent. Paulatim igitur ab vno ad alterum, & à Prouincijs ad Prouincias verbo huiuscemodi volitante, incredibile est, ad quantam multitudinem breui tempore conspiratio ipsa peruenerit. Ad indicium autem euidens, ac speciale huius expeditionis, communi consilio in vestibus suis signum sanctæ Crucis fecere assuere, & simul altis vocibus DEVS LOVOL, DEVS LOVOL, DEVS LOVOL, per totum iter decreuere frequentius inclamare, & re vera diuinæ iam volūtatis erat, & hoc ipsum clementissima simul, & omnipotētissima illa sua miseratione disposuerat, vt & christianos illarum partium, ex tanto iam tempore sub iugo, & ludibrijs Saracenorum degentes, à dominio illorum erueret, & sancta illa loca salutiferæ natiuitati, passioni, ac sepulturę eius dicata, quæ ab impijs per tot annorum curricula, propter iniquitates nostras, & patruum nostrorum, occulto suo iudicio inuadi, ac prophanari permiserat, ipsamq; sanctam ciuitatem Ierusalem, à nostris recuperari sua pietate concederet: atq; ad ea visitāda, & adoranda vniuersos per orbem fideles, sine periculo aliquo properantes, misericorditer exaudiret.

Huiusmodi commotionis occasio.

Factis igitur tribus turmis ex omni illa, quæ ad id iam consenserat multitudine, vna pars eorum cum duce Gotifredo, & eius fratre Balduino, & cum Comite Balduino de Monte simul, & cum quodam Petro Eremita, quem sequebatur ingens turba Alemannorum, Vngariam ingressi per viā,

Expeditio Ierosolymitana.

Petrus Eremita.

Digitized by Google

quam olim Rex Carolus strauerat, abiere Constantinopolim: vbi iam illos Longobardorum maxima multitudo præuenerat.

Adnotatio. *Ioannes Bonifacius Societatis Iesu Presbyter lib. 2. de histor. virgin. cap. 15. ex chronico Abbatis Stadensis, notat de hoc Petro, quæ sequuntur. Petrus genere Hispanus, Ordinis Benedictini, dum christianos Principes ad Terræ sanctæ recuperationem excitat, numerum hunc excogitauit salutandi Mariam Virginem, Aue Angelico ter, & sexagies repetendo, in memoriam tot annorum, quos vixisse Virginem credebant; corona hæc vulgo dicitur. sic ibi. Hic est Petrus Eremita in præsenti nominatus.*

Pars vero alia cum Raimundo Comite S. Aegidij, & cum Episcopo Podiensi per Sclauoniam perrexit. Tertia autem pars per antiquam stratã Romam venit, cum Roberto scilicet Comite Flandrensi, & Roberto Comite Normanniæ, & Hugone, qui vocatus est magnus, & Gulielmo Marchisij filio, cum alijs pluribus: qui videlicet per nostrum Monasterium Cassinense transeuntes, & Benedicto Patri, ac Fratribus se plurimum commendares, Barium profecti sunt.

Interea Boamundus filius bonæ memoriæ Ducis Roberti cognomento Guiscardi, qui primo cum patre, de hinc per se, multa cũ Constantinopolitano Imperatore, eiusq; exercitibus prælia iam dudum prospere gesserat, cum esset in expeditione, vna cum patruo suo Comite Rogerio in partes Campaniæ, & hæc omnia per ordinem ad aures peruenisset ipsius, mox ad eiusmodi seruitium subeundum cęlitus animatus, pannum sericum sibi protinus conferri præcipiens, totum in frusta diuisit, & tam sibi, quàm & omnibus suis, & pluribus alijs, ob id negotium ad se cõfluentibus, sicut alios feciſſe audierat, cruces inde in vestibus suis, & simul omnes DEVS LOVOL, inclamare magnis vocibus iussit. Qua fama excitti omnes Rogerij milites, tam multi ad huiusce modi confœderationem subito cõfluxere, vt paucis sibi relictis, prędictus Comes, mœstus ad Siciliam remeauerit. Mox Boamundus ad sua regressus, ad præfatum iter aggrediendum se præparauit. Perrexere autem cum eo Capitanei hi: Tancredus Marchisij filius, Robertus filius Girardi, Richardus de Prin-

Digitized by Google

Principatu, & Rainaldus frater eius, Robertus de Ansa, Hermanus de Cannis, Robertus de surda valle, Robertus filius Frostoni, Hunfridus Ser Rao, Richardus Ser Comitis Rainulfi, Gotfridus Comes de Ruscilione, & Girardus frater eius Episcopus de Ariano, Boellus Carnotensis, Alteredus de Caniano, & Ioffredus de Montescalloso, & plures alij, quorum ad præsens non reminiscimur.

Cum vero trãsfretassent venere ad Velonam, ibiq; sociati sunt eis Flandrensis Comes, & Comes de Normannia, & alij plures, qui cum illis transierant. Inde progressi venere in partes Bulgariæ, in vallem Andrinopolis, inde Castoriã, inde Paflagoniam, demum ad flumen Bardanum. Cumq; audisset Imperator venire Boamundum, misit curopalatem quemdam, qui illum cum omnibus suis secure, & honorifice conduceret, vsque ad Constantinopolim: venientes autem ad Russam ciuitatem Boamundus relicto ibi vniuerso exercitu, cum paucis abijt Constantinopolim, cum Imperatore locuturus, ibiq; inuenit Ducem Gotfridum cum fratre eius.

Vocabatur Imperator hic Alexius Cõnenus.

Comes interea S. Aegidij cum Podiensi Episcopo, post multa pericula, vix de Sclauorum terrã egressus, venit Dirrachium, indeq; progressus post dies aliquot, introiuit Constantinopolim. Huc vsque tamen omnes hi, quos prædiximus, & maxime primi, non ita facile, verum cum magna difficultate, multisq; angustijs, & periculis peruenisse credendi sunt, quæ videlicet tam à Turcis, & Pizinacis, alijsq; Barbaris, quàm etiam, & ab ipsius Imperatoris exercitibus, per diuersa loca perpessi sunt: pluresq; ex eis alij fame, alij gladio, quidam verò diuersis infirmitatum, mortiumq; generibus periere: multoties tamen ex prædictis Barbaris victoriam Christus suis peregrinis concessit.

Cepit præterea Prouidus, & Callidus Imperator cum Duce, & Comite, atque Boamundo, cæterisq; eorum socijs agere, quod si vellent ei ex sacramento securitatem, & fidelitatem facere, ipse quoque omnibus illis fidem nihilominus, & securitatem daret, iuraret etiam, quod simul cum eis, & ipse cum exercitu suo in viam sancti Sepulchri per terram, & per mare pergeret, & mercatum illis concederet,

Digitized by Google

ret,& quęq; perdita liberaliter reſtauraret; inſuper & Boamundo quindecim dierum terram in longitudine, octo autem in latitudine ex iſta parte Antiochiæ daret. Sed dum hoc facere diu ex conſilio detrectarent, ita tandem (multa, & ineuitabili neceſſitate coacti) iurare aſſenſi ſunt: vt ſi Imperator iuramentum, quod ſe facere pollicebatur, illis fideliter obſeruaret, iſti quoque ſuum nullatenus præterirent. Quo facto mox omnis ſupradictorum exercitus tranſmeato brachio, profecti ſunt ciuitatem Nicomediam.

Videns itaq; Dux Gotfridus, quod tanto exercitui arcta nimium eſſet via per quam tranſire ad Nicæam debebant, vtpote per valde ardua,& excelſa montana, præmiſit tria millia hominum cum ſecuribus,& alijs ferramentis,qui eãdem viam viriliter inciderent, & ſpatiarent: crucesq; ferreas, ac ligneas fieri, ac ſupra ſtipites pro ſigno viæ iuſſit affigi. Ventum tandem eſt ad Nicæam, quæ videlicet ciuitas nobiliſſima,& valde munita totius Romaniæ caput eſſe dignoſcitur, ibiq; caſtrametati ſunt ſexto die incipiente menſe Maio, obſederuntq; illam per continuas hebdomadas ſeptem, ipſo autem primo biduo, tam acriter noſtri ciuitatem ipſam aggreſſi ſunt, vt quandam muri partem perfoderent. Tertia vero die cum Soliman Rex Hunnorum (quos nunc Turcos vocamus) cum ducentis millibus equitum à meridiana porta, quæ nondum cuſtodiebatur ad auxiliandum ſocijs vellet intrare,repente irruit ſuper eos Comes S. Aegidij, & tanta eos virtute contriuit, vt vix paucis euadentibus, cæteros obtruncaret: itemq; alios cum tanta ſuperbia accedentes, vt etiam funes ſecum, quibus noſtri vincirentur afferrent, Dei auxilio deuicerẽt: eorumq; capita ad reliquorum terrorem, cum fundis, & alijs inſtrumentis intra ciuitatis muros iacere. Tunc ad omnem penitus ciuitatis adytum diſturbãdum,fecere in circuitu eius vnuſquiſque de prædictis magnatibus,vnum caſtellum ligneũ,& cępere cum diuerſis machinis ciuitatis turres confringere.

Ann.1096 menſe Maio Nicæã obſident.

Poſt hæc, conſilio habito, elegere de ſuis tres prudentiſſimos viros, & miſere Babyloniam ad Amirarium cum literis huiuſcemodi, videlicet, vt ſciret, quod vniuerſi Francorum Principes Ieroſolymam vnanimiter pergerẽt,& iter

ad

Digitized by Google

ad sepulchrum Domini aperire disponerent, decq; prophanorum paganorum dominio, christianorum terram eripere, eosq; inde turpiter eijcere, cum Christi auxilio vellent: videret nunc, quid sibi agendum esset, & eligeret, vtrum vellet, aut fide Christi recepta, illorum de cætero amicum manere, aut amicitia paganorum prælata, obuiam illis in bellum exire. Erat igitur iuxta ciuitatem lacus quantitatis non modicæ, per quem Turci cum nauibus exeuntes, nonnulla ciuibus subsidia deferebant; Accepto itaq; consilio, misere ad Imperatorem orantes, vt mandaret illis aliquot naues vsque ad portum ciuitatis, ac deinde faceret eas cum bobus, deferre per montana vsque ad prædictum lacum: factumq; est, cumq; naues applicuissent, nocte misere eas in lacum plenas armatis Turcopolis, quos cum eisdem nauibus Imperator transmiserat, & facto mane cepere properare contra ciuitatem, quod Turci videntes cepere valde mirari, ignorantes vtrum de suis essent, an de Imperatore: cum autem cognouissent naues illas Imperatorem mãdasse, eumq; nostris fauere, de suis vero neminem illis posse succurrere, confusi, atque perterriti, & penitus desperantes, misere Imperatori, quod si eis cum vxoribus, & filijs, & armis suis exire impune liceret, ipsi sponte ciuitatem protinus redderent. Tum Imperator mandauit illis, vt redita ciuitate ad se sine aliqua trepidatione fiducialiter properarent. Quoniam autem Imperator iam dudum promiserat, se omne aurum, & argentum, & equos, omnesq; suppellectilem ciuitatis nostris contradere: sed & Monasteriũ ibi latinum, ac xenodochium constituere, sperantes in verbis eius veritatem esse, dedltionem ipsam, & laudauere, & misere. Sed Imperator ciuitate recepta lætissimus redditus, nihil eorum, quæ fuerat pollicitus fecit.

Post hæc mouentes inde tentoria, cum iam tertia die ante lucem iter arripuissent, noctis errore confusi, in duos seorsum cuneos per duos ferme dies diuisi sunt. Interea ingẽs multitudo Turcarum, atque Persarum, Arabumq; coadunata, versus cuneum in quo Boamundus erat, summo diluculo tendere cepit: immensis vocibus more suo garrientes, stridentes, atque frendentes. Quod Boamundus magnanimus

vir

Digitized by Google

vir prospiciens, cepit hortari socios dicens: O fortissimi Christi milites, nolite terreri, scientes quod Dominus cuius bella bellamus, nobiscum est. Equites igitur abeant contra illos, pedites vero festinanter extendant tentoria, quod vult Deus de nobis hoc faciat. Erat tunc cum illo Comes de Normannia, & Tancredus; misit interea Nuncios ad cæteros Principes, vt quantocius festinarēt succurrere illis, cinxerant enim illos vndiq; Turcæ, & Arabes, quorum non esset numerus, & nequaquam tanti prælij pondus ferre soli valerent. Quod illi audientes, quamuis id minime crederēt, & hæc sub ludo mandata esse putarent, profecti tamen protinus sunt, & cernentes tantam hostium multitudinem, valde mirati sunt. Tūc accepta à Deo fiducia ordinauere acies, steterunt in siniſtro cornu Boamundus, & Comes Normanniæ, & Tancredus, & Richardus de Principatu, & Robertus Ser Girardi eorum signifer. In cornu vero dextro Comes S. Aegidij, Dux Gotsridus, Hugo magnus, & Comes Flandrensis: Episcopus autem Podiensis per montana cingebat eos, statimq; vt à nostris omnibus pariter inclamatum ex more est DEVS LOVOL, tanto mox terrore Barbari omnes arrepti sunt, vt quantotius fugam inirent, quos nostri instātissime persequentes, multitudinem ex eis maximam occiderunt, per diuerticula quæq. vix cæteris euadentibus.

Christianorum victoria.

Fertur relatione fidelium, & ipsorum quoque Turcarum, qui euaserant, testimonio comprobatur: quod tres egregij milites super albos equos sedentes, & alba nihilominus vexilla cruçibus insignita gerentes, exercitum nostrorum præcedere, & aduersarios quosq. insequi, ac perimere videbātur, Georgium scilicet, & Demetrium, atque Theodorum insignes Christi milites conijcientes. Nec mirum plane istud, nec incredibile debet videri: quomodo enim persequetur vnus mille, & duo fugarent dena millia: nisi, quia Dominus vendidit eos, & Deus tradidit illos? Nam itinere trium dierum postea inueniebant nostri Turcas occisos, & equos illorum, cum nondum aliquis illuc de nostris transisset. Fertur autem ad illam expeditionem Turcarum, atque Persarum quadringenta sexaginta millia conueniſſe, præter Arabes, quorum numerus ignoratur. Præda omnis in auro,

Christiani cœlitus adiuti.

Deut. 32. vers. 30.

&

& argento, vestibus, atq; animalibus satis magna inter omnes diuisa. Durauit autem pugna hæc ab hora fermè tertia vsque in vesperam, acta ipsa die Kalendarum Iuliarum, ceciderunt q; in eo prælio de nostris duo nobiles, ac felicissimi milites, cum maximo certe dolore cunctorum, Ioffredus scilicet de Montescalloso, & Gulielmus frater Tancredi, & quingenti sexaginta sex equites, & vndecim millia pedites, Saracenorum vero plusquam centum millia. Victoria partu Kalendas Iulij anno 1096.

Accidit post hæc, vt Soliman Dux Niceæ ab inde fugiēs, obuius fieret exercitui Arabum circiter decem millium, venienti in auxilium suorum, qui percūctatus ab eis, cur nam sic fugeret, respondit: Si mihi credere, vobisq; consulere vultis, vertite cursum, alioquin si vel parum teritis moras, nemo vestrum euadet manus Frācorum: Deus enim eorum pro certo cum illis est. Nam cum nudius tertius ita eos vndiq; cinctos, & superatos iam ferè in manibus haberemus, respicientes, subito vidimus tam innumeram gentem, quātam nemo vnquam hominum vidit. Siquidem tam montana, quàm plana omnia repleta erant armatis, moxq; vociferantibus cunctis, tanta nos repentè formido, tantus tremor arripuit, vt nihil aliud quā fugam meditari possemus: mirum valdè si quisquam de tanta illa multitudine nostra viuus euasit. His Arabes, & huiuscemodi verbis auditis, protinus terga verterunt, & dum fugerent ante nostros, vbicumque applicabant, glorificabantur, dicentes. Nos sumus, qui superauimus Francos, & deuastabant Ecclesias, & domos, & villas, & filios christiauorum ducebant captiuos, & incendebant omnia, quæ nostris fore necessaria viderentur; Nostrorum itaq; exercitus, dum illos indesinenter insequeretur, per inaquosa, & deserta loca maximam equorū multitudinem amisit, ipsi quoque per dies aliquot nil nisi solas agrorum spicas reperiebant ad comedendum. Tandem per Iconium deuenere Heracleam, ibi quoque cum non parua Turcorum manu congressi, superatos fugere compulere.

Hinc Tancredus, & Balduinus frater Ducis Gotfridi, se ab exercitu diuidentes, ingressi sunt vallem de Botrentot. Inde Tancredus cum suis tātum progressus, venit Tharsum, ibiq; cum Turcis, qui illi haud procul à ciuitate occurrerunt Nostri Tharsum oppugnat

runt confligens, intra eamdem illos se tutari coegit, moxq; ante ipsius Vrbis portas tentoria fixit. Balduinus etiam superueniens similiter fecit, quod Turcæ videntes exterriti, omnes nocte illa fugere. Facto mane exeuntes ciuitatis maiores, Tancredo illam spontaneæ tradidere, quem videlicet tam strenuè viderant cum Turcis pridie dimicasse; quàm Tancredus Balduino relinquens, & in anteriora contendens, Adenam, & Mamistam similiter acquisiuit: necnon & vniuersa castella vsque Antiochiam. Cæteri vero ad Heracleam digressi sunt, castella, seu ciuitates ipsius partim vi, partim deditione recipientes, & versus Antiochiã quam totius properantes. Cum autem prope iam essent, *præcursores exercitus nostri, non paruam Turcarum manum, qui* Antiochiæ ad suffragia ferenda veniebant, offendunt; quos in Christi nomine vnanimiter aggressos, plures eorum interfecere, cæteros vero in fugam verterunt, prædamq; maximam equorum, & camelorum, quos diuersis victualibus oneratos deduxerant, acceperunt, atque iuxta ripam fluminis Pharphar eo die castrametati sunt.

Meminit huius fluuij sacra scriptura 4. Reg. 5. vers. 12.

CAPVT XII.

HIS diebus Richardus de Aquila, cuius supra meminimus, obtulit B. Benedicto Ecclesiam S. Heliæ in Ambrise, S. Mauritij in Monte, supra castellum S. Ioannis de Carica, S. Mariæ ad fontem de monte Ceruario, & S. Ioannis de Fabrateria, loco Campusani, cum terris, vineis, casis, molendinis, & omnibus tàm mobilibus, quàm immobilibus illarum. Quo tempore idem Abbas dedit ei libras viginti quinque. Similiter Pandulfus de Præsensano obtulit B. Benedicto partem suam de castro Mirtula, & Bantra Comitale, & S. Saluatoris in Cucuruzzo cum vniuersis pertinentijs illorum: pro qua etiam re Abbas Oderisius nonaginta sex libras ei contradidit. Rodulfus etiam de Molisio Bouianensis Comes, chartam fecit huic loco de Monasterio S. Crucis in Hisernia, necnon de castello, qui vocatur Balneus, cum casis,

Digitized by Google

sis, terris, vineis, aquis, molendinis, siluis, Ecclesijs, & vniuersis pertinentijs suis, tam intus, quàm foris: Accipiens ab eodem Abbate libras centum. Petrus quoque filius Atenulfi cum Ioanne cognomento Rouere fratre suo, idem fecit de S. Ioanne in campo Samni cum pertinentijs suis, territorio Ceperano. Id ipsum fecit, & Rainaldus Comes Pontiscurui de Monasterio S. Pauli in Foresta cum pertinentijs suis. Sed & Lando Dux olim Caietanorum, eodem tempore fecit, & ipse chartam B. Benedicto de omnibus, quæ sibi à paterno, vel materno iure pertinebant in toto Ducatu Caietano, ac Principatu de ciuitatibus, castellis, villis, Ecclesijs, siluis, & alijs omnibus.

CAPVT XIII.

HIS porrò diebus, Cidrus Vicecomes Richardi Principis ad hunc locum veniens, sanctæq; conuersationis habitum accipiens, monachus factus est. Opportunum vero videtur, tam ad præsentium, quàm ad posterorum notitiam scribere, quid iste diuersis temporibus huic loco obtulit. Prima igitur vice dedit Domno Desiderio Abbati, quando cepit renouare Ecclesiam S. Benedicti, solidos Amalphitanos octingẽtos, item alia vice dedit ei solidos quadringentos. Item dedit ei solidos trecentos, de quibus emit Circitorium optimum ad altare S. Benedicti. Item alia vice dedit ei centum libras argenti. Item alia vice pro tabula altaris B. Martini libras viginti quatuor. Post Patris autem Desiderij transitum, obtulit B. Benedicto crucem auream pretiosam cum gemmis, & margaritis, & scrinium aureum mirificum, & calamarium aureum, margaritis, & gemmis pretiosissimis vndiq; adornatum; vestem etiam Imperialem totam deauratam, gemmis smaltis, ac margaritis decenter ornatam. Pallium purpureum, & listam auream pro pluuiale. Item pro corona argentea libras quadraginta; pro constructione cimiterij libras viginti; item libras argenti quinquaginta. Pro tabula altaris S. Andreæ libras viginti, necnon & plura alia in vtilitatibus Fratrum in diuersis temporibus.

Arnulfus

Arnulfus interea vir nobilis, cum omnibus parentibus ſuis eo tempore fecere huic ſancto loco chartam oblationis de Rocca, quæ vocatur Ciuitella, necnon & de Monaſterio S.Saluatoris ibidem conſtructo, & Eccleſiam S. Petri de Monteſcopulo, ac medietatem de Eccleſia S. Mariæ, & de Eccleſia S.Agnelli in Cæſe, & curtem in Petracle, & in Alano, in Paganica, & in Porcaria cum omnibus pertinentijs illarum, tam mobilibus, quàm immobilibus.

CAPVT XIV.

EODEM quoque tempore, cum Aquinenſes Comites ferali aduerſus Soranos odio deſæuirent, ab eiſdem Soranis contra eos Ionathas filius Iordani Principis eſt euocatus, qui deſiderium acquirendæ Campaniæ, per hos ſe inueniſſe lætatus: Normannos ad ſe euocans, vrbem Soranam ingreſſus eſt. Vbi cum per aliquot annos remoratus, pugnas ibi nonnullas feciſſet, & recepiſſet: ab eodem Ionatha Adenulfus Comes captus, atque in carceris eſt vincula coniectus. Tunc capti Comitis fratres Landulfus, Pandulfus, & Lando, Oderiſium Abbatem adeunt, vtq; ſibi in tantis neceſſitatibus ſubueniret, modis omnibus poſcunt. Abbas vero Oderiſius ſociatis ſibi aliquot fratribus, Ionatham apud Soram remorantem adijt, ibiq. cum eo colloquens, prædictum Comitem à vinculis ſoluit, ſub hoc videlicet tenore, vt quouſque mille libras Ionathæ perſolueret, filios ſuos obſides illi pertraderet, quod & factum eſt. Poſt hæc autem idem Comes ad Monaſterium veniens idem Abbas dedit ei libras cẽtum, & alias centum accomodauit, & Comes Adenulfus dedit in ciuitate de ſancto Vrbano omnes illos, quos beatæ memoriæ Domnus Deſiderius Abbas cum eo cõcambiauerat cum omnibus eorum pertinentijs in integro, ſicut Domnus Deſiderius Abbas ante commutationem tenuerat tali tenore, vt à proxima Paſchali feſtiuitate veniente vſque ad aliam Reſurrectionem, vel antea ſi potuerit fieri, ſi Comes Adenulfus reddiderit centum libras, ſiue de alia tali merce-

Digitized by Google

merce, quæ Abbati, vel Monachis complacuerit, reddant ex integro ipsi supradictos homines: si vero ad prædictum terminum easdem libras non reddiderit, per chartam legaliter scriptam, testibusq. roboratam, amittat omnes homines iam dictos cum omnibus illorum pertinentijs, quæ supradicti sub Abbate Desiderio tenuere, ita tamen, vt vsque ad prædictum terminum sic possideant, & habeant ipsos homines, vt hodie habere videntur. Excipitur mons de Albeato cum vineis, & terris, si tamen ibi castrum ædificauerit. Excipitur, & Miluczu cum rebus soceri sui, & Presbyteri Landonis Auunculi sui; Refutauit etiam terram huic Monasterio pertinentem, quæ est ad Petram scriptam, quam post mortem patris sui, idem Comes ab huius loci ditione subduxerat. Adueniente vero reddendi pretij termino ab Oderisio Abbate Adenulfus Comes conuentus, vt supradictas libras, Cassinensi cœnobio redderet, se non habere professus est vnde has nobis restituere posset.

CAPVT XV.

HIS quoque diebus, Paldus Comes filius Ioānis Venafrani Comitis, reddidit B. Benedicto Ecclesiam S. Benedicti in Venafro, & S. Benedicti Pizzuli cū omnibus pertinentijs suis, quas videlicet Desiderius Abbas inconcambium dederat Ioanni patri ipsius; sed & Tesendus vir nobilis obtulit huic sancto cœnobio Ecclesiā S. Petri subtus Castrum Murolum, S. Angeli, & S. Martini supra castrum idem, necnon octo familias hominum cum vniuersis substantijs suis in hoc loco deuotissimus obtulit.

CAPVT XVI.



VB huius Abbatis temporibus, Balduinus Dominus castelli, quod vocatur Pōs S. Anastasiæ, in Comitatu Telesino, obtulit B. Benedicto Ecclesiam S. Dionysij de prædicto castello S. Anastasiæ, quā ipse valde paruulam reperiens, ac vetustam, à fundamentis

Digitized by Google

renouauit, & ampliauit, eamq. nonnullis possessionibus, atq; que colonis ditans, & mansiones in circuitu construens, Dñum Roffridum Beneuentanum Archiepiscopum illam dedicare sollemniter fecit (commonitus à supradicto Papa Vrbano) cum terris, vineis, superpositis, & siluis cum arboribus cultis, & incultis, & Ecclesijs antiquis constructis intra easdem pertinẽtias, videlicet Ecclesia sanctæ Dei Genitricis, & virginis Mariæ, quæ ad Aruente vocatur, Ecclesia S. Angeli, quæ dicitur ad Gruttam, Ecclesia S. Barbati, Ecclesia S. Iuliani, quæ constructa est in territorio castelli Limatæ, quæ dicitur ad pugnam, cum omnibus pertinentijs suis. Insuper & Ecclesia S. Erasmi intra fines ipsius castelli Pontis S. Anastasiæ, in loco, vbi dicitur Ferrarisi, cum molendinis sex in fluuio Aletto, qui vadit iuxta prædictum castellum Pontis S. Anastasiæ, & piscaria in fluuio eodem, in loco, vbi dicitur de Combi, & vinea, & silua, quæ ad dominica sita est. Osbertus etiam filius Rainulfi Comitis, restituit huic sancto loco Ecclesiã S. Mariæ de Cinglis cum pertinentijs suis, nec multo post Nicolaus Presbyter de Venafro iudicauit, & tradidit huic cœnobio Ecclesiam S. Nicolai in ciuitate Venafri cum omnibus pertinentijs suis.

Adelgrima quoque Comitissa filia Pandulfi Principis Capuani habitatrix in territorio Carseolano, in castello, quod vocatur Auricula, relicta Rainaldi Comitis filij Berardi Comitis, iudicauit, & tradidit quatuor castella in dicto territorio Carseolano; Anno Dominicę incarnationis millesimo
Ann. 1096 nonagesimosexto. Primum quidem castellum, quod vocatur Auricula, secundum, quod vocatur Fossaceca, tertiũ, quo dicitur Camerata, quartum, quod nominatur Piretus: necnon tria Monasteria, videlicet Monasterium S. Ioannis cum ipso hospitali, S. Ioannis de valle Caluula, & S. Petri de Pireto. Castella, & Monasteria supradicta cum omnibus omninò pertinentijs suis.

Eodem anno stella cometes apparuit, & Vrbs Antiochena à christianis capta est. Sequenti vero tempore, idibus Iulij, christicolæ ciuitatem Ierusalem ceperunt, & in cœlo ignea via per totam noctem visa est, quinto Kalendas Octobris.

A D-

Digitized by Google

ADNOTATIO.

ANtiochia capta est à christianis, Anno millesimo nonagesimosexto, Ierosolyma vero, Anno millesimo nonagesimoseptimo, idibus Iulij.

CAPVT XVII.

ALEXIVS Imperator Constantinopolitanus, per Ioannem Curopalatem suum, trãsmisit B. Benedicto, vestem de dorso suo totam deauratam, quem profecto legatum prædictus Abbas honorifice satis susceptit, eumdemq; Imperatorem participem bonorum, quæ in Cassino operantur in perpetuum constituit, legatumq; suum cum litteris ad eum direxit, per quas Christianos, qui ad expugnandam Paganorum perfidiam Ierosolymam perrexerant, illi commendare curauit, ac præterea curam domus peregrinorum, quæ in Cassino est, ad remissionem omnium peccatorum ei gerendam iniunxit. Pari etiam modo litteras Gotfrido Regi Ierosolymitano, ac Boamundo Principi Antiocheno, ne Imperatorem debellarent, transmittere studuit. Alia vice libras octo solidorum Michalatorum misit idem Imperator, causa memoriæ, & pallium triacontasimum pro altari nostræ Ecclesiæ. Tunc temporis Abbas noster Oderisius à præfato Vrbano Papa priuilegium generale accepit de liberatione huius cœnobij, tam in capite, quàm in membris, Ecclesiarũ, atq; castrorum.

CAPVT XVIII.

IDEM præterea Pontifex Apostolicæ sedis Vrbanus pro negotijs Ecclesiasticis, vt supra diximus Galliam ingressus in plenario Turonensi, vbi ipse præsidebat concilio, Monasterium S. Mauri in Glannofolio à Tyrannide Fossatensium Monachorum abstrahens, pristinæ libertati restituit, sub magisterio tantum, & tutela Monasterij Cassinensis perpetuò mansurum.

Digitized by Google

Per hos dies idem Abbas Oderisius per Georgium Monasterij sui monachum, Henrico quarto Imperatori, litteras destinauit, per quas se Desiderio in Monasterij regimine, & Imperatoris fidelitate, & seruitijs successisse monstrauit. Quo etiam tempore iam dictus frater Georgius in presentia prædicti Imperatoris Henrici, & Henrici quinti filij eius, & Mattildæ Comitissæ, proclamationem fecit de possessionibus cœnobij Cassinensis apud Liguriam constitutis, quæ Patri Benedicto Aystulfus, & Desiderius Reges Longobardorum, necnon Carolus, Pipinus, & Lotharius Imperatores, ac cæteri Dominum timentes concesserant. De Monasterio S. Benedicti in Persiceta territorio Mutinensi intra fines fluuij Fusculi, & limitis Manimeliaci, quod videlicet Petrus Dux ciuitatis Rauennę B. Benedicto sub Abbate Angelario obtulerat cum tota curte Persiceta, & curte de Greniano, & curte de Monterione, cum molendinis duorum fluuiorum idest Fusculi, & Gallici. Deinde Monasterium S. Mariæ in Laurentiatico vltra fluuium Gallicum: inde non longe est Monasterium S. Donnini in curte Argellæ, vna cum silua alta, & silua maiore, & tota piscaria, quæ dicitur Caucenna vsque in fluuium Gambacane, & vsque in Rosalese, & vsque in curtem Ragogusala. Deinde subtus viam publicam Monasterium S. Vitalis cum tota curte Calderaria, prope castrum Sala. Monasterium S. Ioannis in Frassenetula cum tota curte ipsa, vsque ad stratam Petrosam, situm prope castrum Cedula. Monasterium S. Martini iuxta stratam petrosam in casali Marciano cum tota ipsa curte, prope castrum Vnciola, & omnia dominicalia. Monasterium S. Saluatoris in Pontelongo cum tota eadem curte per Comitatum Mutinensem. In pertinentia de Monterione ex superiori, & inferiori parte ipsius castri, quamplurimæ petiæ de terra, & molendinum in loco, qui dicitur Campalda, in fluuio Fusculo, & curtes, quæ sunt in Bensellio, quæ Berta filia Compalacij Ticinensis obtulit B. Benedicto, intra hos fines. Ab Oriente limes Bisentulæ. A meridie via, quæ appellatur maior, & limites de Maleandroni. Ab Occidente flumen Riolum, subtus Castellionem. Hæc inquam omnia cum vniuersis pertinentijs, & appenditijs suis in circuitu,

cum

Digitized by Google

cum casalibus, fundis,& cum Dominicalibus,cum villis,rusticis, colonis vtriusque sexus, cultum, incultum, diuisum, indiuisum, subter, & super ad ius pertinuerant antiquitus Monasterij Cassinensis: de his omnibus Imperator, veritate cognita, Mattildæ Comitissæ præcepit, vt cuncta iam dicta eidem Fratri reconsignaret pro parte, & vice Monasterij Cassinensis, centum librarum auri pœna apposita.

Per idem tempus Monasterium S. Mariæ de Cinglis, de quo etiam tempore Abbatis Desiderij, & huius Abbatis, diu proclamatum fuerat contra Abbatissam S. Mariæ in Capua, quæ ibidem violenter ingressa fuerat, visis vtriusque partis iuribus, prædictus Pontifex nobis restituit;& per priuilegium sub dominio huius cœnobij, & ordinatione manere constituit, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimooctauo, Ann. 1098

Eodem anno bonæ memoriæ Vrbanus Apostolicæ sedis Præsul obijt, cui Raynerius Abbas sanctorum Laurentij, & Stephani in Apostolicam sedem Pontifex subrogatur, Paschali nomine illi imposito.

CAPVT XIX.

PER idem tempus Anso Rector Beneuentani Principatus,ad fidelitatem Romanę Ecclesiæ, & nobiles viri fratres sui, Dauferius & Atenulfus, Ioannes & Berardus, Petrus & Alfanus,& Luitprandus filij Dõni Dacomari Beneuentani Præsidis, obtulerunt B. Benedicto Ecclesiam S.Nicolai constructam sursum in terra Beneuentanæ ciuitatis, quæ vocatur Pagana, quam ipse genitor eorum ampliauerat, cum casis, terris, molendinis ad fluuium Sabbatum, & cum omnibus pertinentijs suis. Ipsi enim fratres ante hoc tempus fecerant priuilegium dictæ Ecclesiæ de omnibus rebus suis. Berardus etiam Marsorum Comes illis diebus obtulit huic cœnobio Ecclesiam S. Martini in territorio Marsicano,iuxta lacum Fucinum,loco qui Filimiti appellatur cum omnibus pertinentijs suis terris,vineis, & vno seruitio piscatorum, & rebus suis.

Digitized by Google

CAPVT XX.

INTEREA Roccha filia Draconis Comitis, obtulit quadraginta & sex homines in vico Sellectano, & in Castellione septẽ homines cum omnibus rebus eorum stabilibus, vel mobilibus, & filijs eorum, & alios cum reuersi fuerint, qui exiuerant de ipsis terris. Sed Comes Rogerius Siciliæ & Calabriæ confirmauit omnia, quæ Roccha neptis sua huic cœnobio dedit, videlicet omnia illa, quæ in vico Sellectano possederat. Pari etiam modo Berardus Comes filius Oderisij Sangretani Comitis, obtulit B. Benedicto totam, & integram pertinentiam, quę sibi pertinebat intra fines montis Azæ pro pascuis, exceptis cultis terris, pratis, defensis, necnon obtulit cunctum & integrum locum, qui dicitur de Lacuuiuo, & cunctum, & integrum locum, qui dicitur Godi, & quantum sibi pertinuit de Pantano: totamq; & integram clarenam, & muricetum, & quantum sibi pertinuit, & de loco, qui dicitur Saphinum, & campum de Ar.

Simili modo nobilis vir Maxanus habitator ciuitatis Albæ in territorio Marsicano, obtulit huic sancto loco Ecclesiam suam S. Martini in dicto territorio, vbi dicitur Sclaui, cum triginta modijs de terra, & omnibus pertinentijs suis. Ijs etiam diebus Abbas noster Oderisius commutationem fecit cum Benedicto Tarracinensi Episcopo de Ecclesia B. Andreæ Apostoli, quæ posita est in ciuitate ipsa prope Episcopium, cum cimiterio, & domibus, & plateis, pro qua recepit Ecclesiam B. Nicolai sitam extra ciuitatem ipsam iuxta portam Albinam, cum cimiterio, & horto, & domo, centum solidorum pęna appositа, si id remouere quæsisset.

Ann. 1100. Porrò cum à creatione Paschalis secundi, secundus iam annus esset elapsus, & ab incarnatione Dominica centesimus, & millesimus volueretur. Guibertus Hæresiarcha inuasor Romanæ Ecclesiæ vita priuatus est.

Post non multum tẽporis spatium, Landulfus Comes filius Raidolfi Comitis obtulit B. Benedicto, totam & integram Roccham de Comino cum suo castro, & suis pertinentijs.

Sequenti

Sequẽti autem anno Roccha, quam supra nominauimus, fecit priuilegium de hominibus vndecim, quos habebat in vico Sellectano cum famulis, terris, & vineis eorum, & cum omnibus, quæ ad ipsos pertinebant. Obtulit etiam per priuilegium Ecclesiam S. Petri, quæ est ad Ferulitum, & medietatem Ecclesiæ S. Demetrij, quæ est oblata prædictæ Ecclesiæ S. Petri, & medietatem de omnibus terris cultis, & incultis, montibus, planis, aquis, molendinis, pascuis, atque paludibus, & portubus ipsius maris. Ann. 1101

CAPVT XXI.

DEMVM Abbas noster Oderisius à supradicto Papa Paschali priuilegium concessionis de S. Nicolao in Beneuento, & libertate eius, cum omnibus, quæ tunc possidebat, idest molendina duo sub vno tegmine, centimolum, hortos cum diuersis arboribus, curtes decem, cum terris, & siluis suis, & domibus, accepit. Addidit etiam idem Pontifex Ecclesias has videlicet Ecclesiam S. Nicolai, in Vrbiliano prope Petram pedicinam cum pertinentijs suis, Ecclesiam S. Nicolai, quæ vocatur Rodenandi cum pertinentijs suis, Ecclesiam S. Mariæ, quæ vocatur Rotunda cum pertinentijs suis, & Balneum iuxta Ecclesiam S. Potiti.

CAPVT XXII.

IVNC temporis Laydolfus filius Tentori Raydolfi, vir nobilis de ciuitate Capuana obtulit B. Benedicto integram turrem quæ vocatur de Mari, quæ est infra fines Suessanæ ciuitatis, iuxta fauces Gariliani fluminis, & aquam, & alueum prædicti fluminis, cum ripis eius, & terram, & siluam, quæ nominatur Pineta, cum alijs tribus ibi coniũctis. Per idem tempus Gualterius Comes donauit casas, & casalina infra ciuitatem Teramnẽsem, & vineam, terram, & molendina

Digitized by Google

lendina in Caſtaldatu Teramnenſi,& ſiluam infra Ducatum Spoletinum, in locis,vbi dicuntur Cifalanum,& Pracelę pā-tanum, & quartam portionem caſtelli Ioannis & Pauli,cum pertinentijs ſuis. Dedit etiam idem Gualterius omnes res, quæ fuere Aſcari in valle, quæ dicitur Pratacelæ, & Interā-nes, excepta Eccleſia S.Paterniani,cum ſuis pertinentijs,& dedit medietatem Cifelani cum pertinentijs ſuis,& omne, quod fuit Vualdi in Gruttola, & in Cinqualio, & in Salla-no, & alijs locis.

CAPVT XXIII.

Ann.1103 HOC præſidente Abbate, anno Domini milleſimo cēteſimo tertio, ſeptimodecimo anno promotio-nis ſuæ, dedicata eſt Eccleſia S.Stephani,à Bene-dicto Tarraçinenſi Epiſcopo, nonis Nouembris: in qua ſunt recōditę ſanctorum reliquiæ,quæ ſubtus adſcri-ptæ ſunt. De panno vbi inuolutus fuit Chriſtus quādo natus eſt, S. Matthæi Apoſtoli, Bartholomæi Apoſtoli, Stephani Protomartyris, Laurentij, Vincentij, Sebaſtiani, Ciriaci, Duodecim fratrum, Coſmę & Damiani, Luciæ & Geminiani, Marij & Marthæ, Tiburtij & Valeriani, Georgij, Hippo-lyti, Martini Turonenſis, Stephani Papæ, Calliſti Papę, Cor-nelij Papæ, Cypriani, Priſcæ, & Adelberti.

Paulinus, & Auguſtinus ſancti Benedicti diſcipuli.

In hac Eccleſia cum inuenta fuiſſent corpora ſanctorum Monachorum, Paulini & Auguſtini, B Benedicti diſcipulo-rum,cum alijs duobus ſepulta, Dæmoniacus quidam ibidem veniens clamare cępit dicens: Paulinus & Auguſtinus diſci-puli Benedicti cum duobus ſocijs ſuis me eijciunt. Hęc dum crebro per os illius diabolus diceret, cum ſanguine immun-dus ſpiritus egreſſus eſt. Oderiſius autem Abbas ſanctorum inde corpora eleuans, in muro Eccleſiæ S. Andreæ Apoſtoli reuerenter locauit.

CAPVT XXIV.

INTER hæc Gulielmus Comes ciuitatis montis S.Mi-chaelis Archangeli fecit priuilegium B. Benedicto de Xenodo-

Digitized by Google

Xenodochio extra dictam ciuitatem cum pertinentijs suis, & concessit eidem Xenodochio, terras, & Ecclesias. Henricus verò frater eius cõcesserat prius cuidam Ziano suo terras pro construendo ipsum Xenodochium: demum concessit Xenodochio ipsi Ecclesiam S. Nicolai in Tiliata cum pertinentijs suis. Ioannes quoque Comitellus obtulit partem suam, ideſt integram medietatem, de Ecclesia S. Benedicti Xenodochio memorato. Vrsus etiam cognomento Spina, partem suam obtulit dictæ Ecclesiæ S. Benedicti in ipso Xenodochio; sed & Sico Presbyter, & Marcus, Vrsus, & Leo nobiles viri de dicta ciuitate, obtulerunt Ecclesiam S. Altissimi dicto Xenodochio constructam in silua ad Marruta, quam habebant à paterna, vel materna substantia.

Huius Abbatis anno vltimo, Rogerius Dux fecit priuilegiũ huic cœnobio de terris in pertinentijs Troianę ciuitatis.

CAPVT XXV.

RICHARDVS quoque secũdus Princeps, interuentu Roberti Comitis, dedit huic loco oppidum Pontiscurui cum pertinentijs suis, exceptis castellis de foris cum illorum pertinentijs, & excepto feudo Richardi de Aquila, quod ibi habebat in vita Gualguani. Quod videlicet oppidum idem Gualguanus nomine dotis vxori suæ dedit, & moriens dereliquit, sed illa debitam securitatem dicto Principi facere contempsit, & contra voluntatem suam hostibus ipsius se iunxit, & guerram sibi fecit, & negotium cum eis commisit, & annonam eis tribuit, ob quam culpam prædictum oppidum in Principis iurisdictionem, & potestatem deuenit, & præfato Roberto Comiti fratri dictæ vxoris Gualguani prædicti dedit, per quem videlicet Comitem, & à quo præfatum oppidum nostro cœnobio datum fuit. Sed & Robertus Caiacianorum, atque aliorum multorum Comes, filius Raynulfi Comitis superius nominati, partim dono, partim pretio concessit, & confirmauit huic cœnobio oppidum de Pontecuruo cum suis pertinentijs, ex concessione Richardi secundi Principis, qualiter

Digitized by Google

ter à prædicto Principe sibi concessum fuit, quod videlicet Gualguanus antequam moreretur possidere visus est. Nobilis etiam mulier Berta filia Vualdi dedit, & obtulit huic cœnobio Ecclesiam S. Martini constructam in Spoletina ciuitate, in loco, qui dicitur porta S. Laurentij, cum omnibus pertinentijs suis.

Demũ Theobaldus, & Petrus Caldina viri nobiles, & alij quatuor obtulere huic loco, Gessum in monte de Treguazano in castro Argentij. Robertus quoque de Buthone vir nobilis cum vxore sua Sica obtulere, & tradidere S. Benedicto medietatem de Ecclesia S. Petri constructa ad Ferulitum, cum omnibus dotibus, quæ eidem Ecclesiæ pertinent, & cũ Ecclesia S. Demetrij, cum terris, siluis, planis, montibus, pascuis, aquis, molendinis, atque paludibus. Circa hos dies Mattilda Comitissa concessit huic loco tertiam partem de curte S. Benedicti, quæ dicitur in Pastorini. Hugo Comes de Molisio filius Comitis Raulis obtulit B. Benedicto integrum castellum nomine Vitecosum cum pertinentijs suis. Præterea præfatus Abbas recepit à supradicto Papa Paschali priuilegium generale, prout receperat ab Vrbano secundo.

Huic quoque Abbati, & successoribus eius Ptolemæus Consul, & Comes Tusculanus affidauit vnum nauigium, in qualicumque nauigio sint, huius cœnobij monachi, vt in mari, & terra securi sint à se, suisq; hominibus, & omnia mercimonia eorum, & omnes homines, qui fuerint inuenti in nauigio ipso eundo Sardiniam, & redeundo Caietam. Obijt autem præfatus noster Abbas Oderisius, quarto nonas Decembris.

Oderisij obitus anno 1105.

CAPVT XXVI.

TTO Abbas huius Monasterij tricesimus nonus, sedit anno vno, mensibus decem. Hic nobilissima Fundensium Cõsulum prosapia ortus, in ipsis infantiæ annis omnipotenti Deo oblatus, atque à venerandæ memoriæ Patre Desiderio sanctæ conuersationis habitum indutus est, qui cum aliquãtos annos in sanctæ reli-

Digitized by Google

religionis studio peregisset, in Monasterio S. Nicolai in Pica Præpositus ordinatus est. Defuncto autem piæ memoriæ Abbate Oderisio, cum Fratres (vt in talibus rebus consuetudo est) ad huius cœnobij Abbatiam regendam vnusquisque suum Abbatem eligere vellent: priores quorum pars sanior, & religiosior erat, nimis hæc indignè ferentes, de eodem viro fratribus suum velle notificantes, eum in huius loci regimine Abbatem elegere.

Princeps autem Richardus eo tempore infirmitate grauissima laborabat, & cum non posset in seruitio eiusdem Abbatis venire Cassinum, ex latere suo strenuos destinauit viros: qui eidem Abbati seruitia sua fideliter offerrent. His ita peractis ingrauescente infirmitate vita decessit, & Robertus frater eius illi in Principatu succedit. Per idem tempus defuncto quarto Imperatore Henrico, qui cum Gregorio septimo Papa de Ecclesiarum inuestitura plurimum disceptauerat. Henricus quintus filius eius Romani Imperij gubernacula regenda suscepit.

Hic Abbas concessit Girardo filio Girardi de Coruazzano, libellario more, terras pertinentes Ecclesiæ S. Benedicti de Pastorino, vsque in tertiam generationem, recipiens in præsenti Lucensis monetæ solidos centum viginti, annualiter vero pro censu solidos tres, de omnibus frugibus, quæ ibidem annualiter fuerint. Similiter fecit Alberto Raynaldo, & Sicefrit de Falsabrina, & Albertino filio Bonifacij de alijs terris ibidem, recipiens ab eo tantumdem pretij. Huic Abbati Robertus Princeps priuilegium fecit, confirmans de more omnes pertinentias Monasterij huius.

CAPVT XXVII.

HOC interea anno Alexius Constantinopolitanus Imperator, per Apocrisarios Imperij sui, trãsmisit B Benedicto pallium purpureum optimum, de quo prædictus Abbas pluuiale aureis listis ornauit, & tunicam eiusdem subtegminis fieri iussit. Direxit autem cum eiusdem legatis ad Imperatorem nuntium suum cum litteris, per quas Oderisium Abbatem, de hac luce migrasse,

Digitized by Google

grasse; & se in Monasterij regimine, & in amore, ac seruitijs eiusdem Imperatoris successisse notificauit. Eodem vero anno Carbonellus vir nobilis obtulit B. Benedicto Ecclesiam S. Gregorij, & S. Nicolai, & S. Agathæ in Tarsia, ad locum Peccianum, cum omnibus rebus, ac pertinentijs suis, centum librarum auri pęna apposita.

CAPVT XXVIII.

Bruno Signiæ Episcopus.

SEQVENTI tempore idem Abbas Capuam pergens, cappellã S. Angeli *ad Formas*, quæ in honore S. Nicolai *nouiter cõ*structa erat, fecit à Brunone Signiẽsi Episcopo, & huius cœnobis monacho dedicari: conuocato etiam ad hoc Senne Capuano Archiepiscopo. Facta itaq; dedicatione, alia die idem Archiepiscopus coadunata multitudine Capuanorum, vel aliorum virorum, armata manu misit illos ad eamdem Ecclesiam violandam, altareq; destruẽdum, & reliquias inde diripiendas, sibiq; asportandas. Quo facto conquerebatur contra nostrum Abbatem, & iam dictum Episcopum, quod contra canones erga se egissent in eadem dedicatione, non cedentes sibi metropolitano in his, quæ Archiepiscopum agere decet. Nostri autem, & iam dictus Episcopus dicebant, quia simul concorditer fecissent omnia, quæ ibidem acta sunt. Hac de re proclamantibus nostris Romæ in Synodo idem Archiepiscopus, & irruptionem Ecclesiæ, & destructionem altaris, ac reliquiarum oblationem vna cum clero, & populo ciuitatis honorifice se emendare humiliter spopondit, quod & fecit. Hic Abbas rogatu Fratrum nostrorum concessit, & confirmauit eis castrum Citrariæ cum pertinentijs suis.

CAPVT XXIX.

EO igitur tempore cum Fratres necessitates multimodas sustinerent, Abbati nostro Ottoni ex inde conquerẽtes rogabant, vt iuxta regulæ præceptum eis necessitatem corporum

Digitized by Google

corporũ tribuat, reminiſci illum debere, quod Patris Oderiſij tempore, idem ipſe iam dicto Oderiſio exinde ſæpius conqueſtus fuerat Abbas autem nimis hæc indignè, & ęgerrime ferens, fatetur ſe deliquiſſe, fatetur male egiſſe, quod Abbati Oderiſio multoties obſtiterit, quod contradixerit, Fratres, & in Deum, & in Patris Benedicti regulam delinquere, quod neceſſitates corporis animarum ſaluti præponerent, reminiſci illos debere, primum eſſe quærendum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur illis. Matth. 6. Quid multis? Videntes Fratres eumdem Abbatem contra Patris Benedicti præceptum, ſtudere plus timeri, quam amari, iam dicto Papæ Paſchali nonnulli ex ipſis, cæteris ignorantibus, abſcondite litteras dirigunt. Quod non Fratrum vnanimi conſenſu electus eſſet, quod ſeditioſe, & nequaquam canonice ad Caſſinenſis Abbatię officium promotus fuiſſet. Hæc ergo cauſa Romanum Pontificem contra eumdem Abbatem commotum omnimodo reddidit. Quod cum Abbas certo certius agnouiſſet hoc à Fratribus actitatum, occaſione contra eos accepta, illos de Monaſterio expulit. At Fratres è Caſſino expulſi Romam adeunt, acta, & dicta Pontifici per ordinem pandunt, Pontifex autem eoſdẽ Fratres ad remorandum ad B. Pauli Apoſtoli Monaſterium dirigens, nonnullos ex ipſis in ſuamet curia ſecum manere conſtituit, vrbemq; egrediens, pro cauſis Eccleſiaſticis Galliam ingreſſus, venit ad Floriacenſe Monaſterium Benedicti Patris nomine conſecratum. Monaſterium Floriacenſe.

Agebatur porrò ab illis tũc falſiſſimę Trãſlationis B. Benedicti celebritas, at Pontifex eamdem trãſlationem falſam eſſe affirmans, non feſtiuitatis, ſed diei officium celebrare cum Cardinalibus Italicis cępit. Monachi autem ſupradicti loci cum nonnullis Epiſcopis, & Cardinalibus Gallicanis, Trãſlationem celebrare incipientibus, Papa orationem fudit ad Dominum obnixè expoſtulans, vt de eadem re veritatis indicium ſibi oſtendere dignaretur. Celebrantibus autem illis nocturnalem ſynaxim, tantus ſtupor, & hebetudo mentis eos inuaſit, vt omninò quid dicerent ignorarent. Attoniti autem tanto miraculo, regulare officium decantare inoffensè cęperunt: mox autem, vt Tranſlationis cantũ De trãſlatione ſancti Patris Benedicti.

celebrare

Digitized by Google

celebrare disponebant, horrore simul, & stupore replebantur. Quod Reuerendissimus Pontifex aduertens, glorificare cepit, & benedicere Deum, & Benedictum famulum eius. Facto autem mane Abbatem ad se, & Monasterij Priores conuocans, præcepit, vt altare de loco tolleretur, quatenus omnes patenter agnoscerent, vtrum nam vera esset, nec ne Translatio illa: nolle vlterius aliquos de corpore B. Benedicti illorum ambagibus decipi, quem ipse temporibus Papæ Alexandri in Monasterio Casinensi inuentum esse certissime nouerat. Illi autem prostrati pedibus eius rogare cœperunt, ne altare effodere præciperet, ne Monasteriũ *destrueret*, se nihil certi de corpore B. Benedicti, nisi *famam* tantum à maioribus suis accepisse: si reliquiæ non *inuenirentur*, scirent certissime Monasterium destruendum, & possessiones, à quibusq; diripiendas. Tunc Papa illorum precibus inclinatus conticuit, interdicens omninò, & ex parte sedis Apostolicæ præcipiens, vt vlterius eamdem falsissimam Translationem celebrare nequaquam præsumerent. Idem præterea Apostolicus, ordinatis in Gallia negotijs suis, Romam reuersus est.

Et quoniam, vt supra taxauimus, facientibus nostris, de Casinensis Abbatis electione prædictus Pontifex vltra modum commotus erat: Fratres, qui à nostro Abbate ad eum directi fuerant monuit, vt de Abbatis electione Patris Benedicti instituta seruarent. Cumq; illi Abbatis electionem vnanimi Fratrum consensu factam esse astruerent, & nequaquam seditiose, sed canonice ad id officium promotum dicerent: Papa respondit. Quomodo canonice vester Abbas electus est, qui sibi deuotis, & fidis concessit obedientias, repugnantes de Monasterio expulit? Sed nunc ad Monasterium redite, ibi per me, siue per nuntios nostros electio illius pleniter exanimata, quod erit canonicum statuam. Egressis igitur illis, cum hi, qui supradictum Abbatem exosum habebant, commotum Apostolicum aduersus eum cognouissent, molestias, quas poterant illi inferre non desinebant.

Comites interea Aquinenses, cũ ab huius loci infestatione nequaquam cessarent, ad illorum nequitiam refrenandã idem

dem Abbas animum dedit, singula namq; Monasterij Castra vallo in gyro muniuit, ibiq; ruricolas, qui eatenus in villis deguerant, manere constituit, sicq; contra eosdem Comites se præparare modis omnibus cepit.

Dignum sanè videtur ad posterorum memoriam historiæ præsenti annectere miraculum, quod in hoc Monasterio omnipotens Deus, ad laudem, & gloriam sui nominis ostendere dignatus est.

CAPVT XXX.

TEMPORE siquidē ipso, dum Ioannes cognomento Affidatus in mansiuncula, quæ turri Patris Benedicti collateralis est, nocturno tempore sopori membra dedisset, euigilans, audiuit dulcisonum officium, ante nocturnalem synaxim in B. Patris ædicula ab Angelis celebrari, ad quod stupefactus, Sebastianum (qui supra eum quiescebat) interrogat, si iam Fratres ad nocturnale officium surrexissent; qui cum ad huc primam noctis vigiliā manere dixisset, iam dictus Ioannes exurgens ad turrem accessit, quā immensi splendoris, & inauditi odoris replebat fragrantia. Stupefactus autem, & id, quod in re erat, aduertens, Ottonem Abbatem adijt, quæ visa, & audita fuerant seriatim enuntiauit, qui Deo omnipotēti gratias agens, quod venerandæ memoriæ Victori tertio Papæ, & Theodemario seruo Dei reuelatum fuerat, iam dictam turrem cum largo habitaculo in oraculum Domini Saluatoris, & eius Genitricis Virginis Mariæ dedicari constituit; conuocatisq; artificibus cellarium inter dormitorium, & titulum S. Protomartyris Stephani construxit, sed morte præuentus explere nequiuit. Iam dictæ vero cantilenæ suauitas, & odoris fragrantia, ac lucis immensitas, ab antiquis viris in iam dicta turri, in præcipuis festiuitatibus visa, & audita narrantur, sed quam maxime vnoquoque anno depositionis die B. Patris Benedicti aduenientē, audiri, & videri solitum est. Obijt autem præfatus Abbas die Kalendarum Octobrium, & sepultus est iuxta Ecclesiam S. Andreæ Apostoli in

Angelicus cōcentus in ædicula S. Benedicti auditur.

Ann. 1107

in cimiterio Fratrum, introeuntibus iam dictum cimiterium ad læuam.

CAPVT XXXI.

Vide adnotata infra post cap. 42.

BEATISSIMVS Bruno, Abbas huius Monasterij quadragesimus, sedit annis tribus, mensibus decem. Hic Liguria Prouincia ortus ex illustri Astensium ciuium prosapia, sed illustriores ab infantia possidens mores, liberalibusq; studijs à pueritia sufficienter instructus, Astensis Episcopij canonicus extitit. Qui desiderio regni cœlestis patriam, parentesq; relinquens, huc properans, vt Deo liberius sub monachali habitu deseruire valeret, Romanam primum accessit ad vrbem. His porrò diebus Vrbanus Papa secundus vniuersali præsidebat Ecclesiæ. Factum est autem, vt eo tempore, quo idem vir ad hunc locum tendebat. Signensis Episcopus vita decederet, quem idem Reuerendissimus Pontifex in diuina seruitute seruere aspiciens, dixit ad eum: Sicut tranquillitas maris multoties infert periculũ nautis, ita & monachis à sæculi turbine remotis, quies, & securitas ipsa pernicioſissimum solet inferre naufragium, vnde nostris monitis te obedire conuenit, & Signiensis Ecclesiæ curam, quæ tibi à nobis iniungitur, tanto diligentius, ac religiosius, quanto scientia, ac sapientia polles, regere studе. Cuius cum ille sermonibus minime præberet assensũ, præcepit ei, vt ad ciuitatem prædictam pergeret, ibiq; vice Romani Pontificis Episcopum ordinans, iret quo vellet, tunc supradictus vir illuc aduenies, cum sibi iniuncta implere satageret: idem Papa clam Signiensibus apices destinans, eum Episcopum ordinari præcepit, talia dum ad eius notitiam peruenissent intempestæ noctis silentio, B. Mariæ Ecclesiam egrediens, fugam arripuit. Itaq; dum meditata implere satageret, in quodam triuio, virgo quædam Imperiali trabea adornata, cuius facies splendebat sicut Sol, illi eminus astitit, quam vnde, qualis, quæue esset, & quo tenderet, dum requisisset, illa respondit: Sponsam, quam non bene

bene fugis, me noueris esse: qua propter, vt ad Ecclesiam redeas, ex Dei omnipotentis parte præcipio, & caue ne Dei vlterius velis resistere voluntati, & his dictis disparuit. Perculsus ad hæc Bruno tanto virginis famine, Deiq; in sua ordinatione voluntatem aduertens, succubuit, ac Pontificij cathedram lætantibus cunctis suscepit. Ordinatus autem, in ea, qua fuerat mentis intentione, permansit: vnde adinuenta opportunitate, sub supradicto Abbate Oderisio ad hunc locum perueniens, flentibus, qui cum eo venerant, & nihil tale de ipso suspicantibus, monachus factus est. Signifes autem grauiter illius ferentes absentiam, Paschalem Papam secundum adeunt, rogant vt illum potius Episcopatus sui curam gerere cogeret, quam sibi tantum consulens, in Cassinensi cœnobio quietum, & remotum, à sæculi turbine velle quiescere. Pontifex autem illorum ad verba commotus, strenuos à suo latere destinat viros, per quos eidem Brunoni ex parte sedis Apostolicæ, mandat, vt curæ ouium suorum studeat, & Romano Pontifici pro causis Ecclesiasticis semper adhæreat, arguens insuper illum, & increpans, cur absque Apostolicæ sedis licentia, ausus fuisset Monasterium petere, quo illum omninò esse non permitteret ipse. Ad hæc præfatus Bruno per Episcopos, & Cardinales amicos rescripsit.

Epistola S. Brunonis.

Cuncti proculdubio, qui in Romana sunt Ecclesia noscũt, quia nisi contra Ecclesiam schismaticorum læuiret insania, hoc quod nunc egi, à multis iam annis opere impleuissem: nunc vero quia in Romana Ecclesia, Petro clauum regente, tota per orbem Christi Dei nostri gratulatur Ecclesia, ventorum iam turbines silent, maria pacata quiescunt. Idcirco quod Deo semel deuoueram, reddere cogor: Melius est enim non vouere, quam vouere, & non reddere. Quod si quis fortasse mihi obijciat, quod semel acceptum Episcopatum relinquere non debebam, licẽter respõdeo, quod multi sunt, qui Pontificatus iura non deserunt, & de sinistris sunt, dicẽte Domino: Principes fuere, & non cognoui, Iudices extitere, & non per spiritum meum; ij autem, qui recta intentione Episcopatum dimiserunt, certum est eos de æterna felicitate perenniter cum Christo gaudere. Mihi porrò exẽ-

Eccles. 5. vers. 4.

Osex 8. vers. 4.

Digitized by Google

pla Sanctorum non desunt, quorum vestigia secutus sum, qui relicto tumultu sæculi, quietam vitam adepti sunt. Vnde, per vos, summum Pontificem obnixè deprecor, vt de reliquo amplius mihi molestus non sit, & quietum portum, in quem Christo gubernante perueni, ne me relinquere cogat, supplicitèr posco.

Cumq; nulla ratione eũdem Apostolicum, nec Signinum populum flectere valeret, supradictus Abbas Oderisius rogauit eundem Pontificem, vt præfatum virum sub monachali habitu in hoc Monasterio Deo militare permitteret, cuius precibus idem Papa aurem accommodans, quieuit. Post hæc autem ab eodem Pontifice vna cum Boamundo in Gallias directus, vice Romani Pontificis in eisdem partibus Synodum, secundum traditionem Ecclesiasticam, tenuit.

Bruno fit Abbas Casin. Ann. 1107

Inde quoque Romam reuersus, quadragesimoquarto die ab Ottonis Abbatis depositione extante, ad hoc Monasterium redijt, atque à Fratribus est in huius cœnobij regimine, ac cura Prælatus. Idem vero Apostolicus ad hunc locum postea veniens, non solum dignum illum esse Abbatem in conuentu Fratrum peroratus est, verum etiam in Apostolicam sedem dignum sibi successorem fore testificatus est. Non autem idem vir otiose hic vixisse credendum est, qui tales, ac tantos nobis scripturarum exposuerit libros, de quibus summam illorum scilicet, qui in nostris manibus venere, pandere curamus, super Psalterium, super Genesim, super Exodum, super Leuiticum, super Numerum, super Deuteronomium, super Isaiam, super Cantica canticorum, super Iudicum, super Apocalypsim. De totius autem anni festiuitatibus, atque diebus Dominicis, composuit sermones sexagintanouem, Homilias centum quinquagintaquinque.

S. Brunonis scripta.

CAPVT XXXII.

HOC præterea tempore Adenulfus, Lando, & Atenulfus Aquinenses Comites, diabolica debriati vesania, castrum Terame rusticorum proditione ingredientes, & eiusdem castri habitatores in suã fidelitatem iurare facientes, oppida Monasterio pertinentia

cia deprædare cęperunt. Hoc vbi prædicto Abbati nũciatum est, ad eosdem Comites dirigẽs, vt castrum Monasterio redderent, & à tantis iniquitatibus, & direptionibus cessarent, monere cępit. Illi autem eius dicta non solum facere, sed etiam audire spernentes, deteriora in dies agere minabantur. Tunc Abbas, cum Fratribus communicato consilio, eosdem sacrilegos à liminibus Ecclesiæ separauit, ac è vestigio Robertum Principem euocans, ad eiusdem castri recuperationem inuitauit, qui copioso valde congregato exercitu, super eumdem castrum aduenies, illum oppugnare modis omnibus cępit. Cumq; hostiliter ibi per dies fermè quindecim resedisset, ijdem Comites misere ad eumdem Abbatem, quod si illos cum armis suis exinde exire permitteret, idem castrum absq; omni controuersia protinus Monasterio redderent. Quod dum Abbas annuisset, supradictum castrum in Monasterij huius potestatem redijt, die iduum Augustarum, Anni Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octauo; pro quo videlicet castro, idem Abbas Capuano Principi libras ducentas contradidit. Ann. 1108

CAPVT XXXIII.

MENSE itaq; Octobrio aduenientę, idem Apostolicus ad hunc locum aduenies, sociato sibi nostro Abbate, Synodum celebraturus, Beneuentum perrexit. In qua videlicet vestigia prædecessorum suorum secutus, constituit, vt quicumque inuestituram Ecclesiæ, vel Ecclesiasticam dignitatem de manu laici acceperit, & dans, & accipiens communione priuetur. Vestimenta vero sæcularia, & pretiosa clericis reprehendit, & talibus vti interdixit. Cum autem Capuam deuenisset, rogatus ab eodem Abbate, Ecclesiam S. Benedicti, quam Desiderius Abbas intra eãdem ciuitatem renouauerat, sollemniter dedicauit, in qua etiam de vestimentis sanctissimi Patris Benedicti recondidit, sicq; ad hoc Monasterium veniens, Romam reuersus est.

Digitized by Google

CAPVT XXXIV.

HIS porrò diebus Rogerius Dux præceptū fecit B. Benedicto, de ouibus loci istius, vt nullam dationem, vel censum vlterius inde exigeret, tam ipse, quàm successores sui, in omni pertinentia montis Garganí, & licentiam hospitandi semper habeāt cum eisdem ouibus, ab Ecclesia, quæ dicitur Passari, vsque ad Salpitanum pontem, qui Lambardone dicitur, vsque in mare, & vsque in vadum defico, *decem* librarum auri pœna appositā.

Tunc temporis Laydulfus filius Pandulfi Comitis de Præsenzano, in præsentia eiusdem Abbatis manifestauit, & renuntiauit se de vniuersa parte sua de castello Mortula, & casa Fortini, & Cucuruzzo, & Rocca de Bantra, pœna apposita centum librarum auri, si hoc remouere quæsisset. Sed & Ioannes Triuentinæ sedis Episcopus, vna cum Roberto filio Tristaini Limessani castri Domino, obtulit huic loco Ecclesiam S. Illuminatæ infra fines prædicti castri Limessani, loco, vbi dicitur Petra maiore, cum omnibus Ecclesijs, & pertinentijs suis.

CAPVT XXXV.

Ann. 1110 ANNO autem Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo decimo, indictione tertia, mense Iunio, sexto eiusdem, *stella cometes* apparuit. Eo etiam tempore iam dictus Paschalis Papa secundus vrbē egrediens ad has partes deuenit, & Ducem, ac Principem, omnesq; Comites Apuliæ, Calabriæ, ac Principatus aduocans, accepit securitatem ab eis, quatenus illum adiuuarent, contra Henricum Imperatorem, si necessitas sibi incumberet, & ad hoc prouocati fuissent. His ita peractis Romam redijt, & omnes proceres Romanorum simili sacramento constrinxit.

Hēricus interea Imperator, immensum valde exercitum congre-

Digitized by Google

congregans, intrauit Italiam prædecessorum suorum, antiquorum videlicet Imperatorum dignitates, & iura, & Imperij coronam ab eodem Pontifice Romæ accipere cupiens, ficq; cursum suum quotidie accelerabat; erat iam hyemis tempus, cumq; in Tusciam deuenisset, missis Romam in porticu S. Petri nuntijs, cum Petro Leonis, & alijs Pontificis nuntijs, hoc pactum inter eos deliberatum est. Vt Imperator scripto refutaret omnem inuestituram omnium Ecclesiarum in manu Pontificis, in conspectu cleri, & populi Romani, in die coronationis suæ, & (postquam Papa fecerit de regalibus sicut in alia charta scriptum est) sacramento firmabit, & dimittet Ecclesias liberas cum oblationibus, & possessionibus, quæ ad regnum manifestè non pertinebãt, & absoluet populos à iuramentis, quæ contra Episcopos facta sunt. Patrimonia, & possessiones B. Petri restituet & concedet, sicut à Carolo, Ludouico, Henrico, & alijs Imperatoribus factum est, & tenere adiuuabit secundum suum posse; & non erit in facto, aut in consilio, vt idem Papa perdat Papatum Romanum, aut vitam, vel membra, vel capiatur mala captione, aut per se, aut per submissam personam, nec ipse, nec fideles ipsius, qui pro ipso securitatem ei fecerint, à dest Petrum Leonis cum suis filijs, quorum bona, damnum studiose non patiantur, & si quis eis malum fecerit, Rex eos fideliter adiuuabit. Pro huius securitatis obseruatione, mediatores dabit eidem Põtifici Fridericum filium sororis suę, Engilbertum, & Theobaldum Marchiones, Hermannum, & Gotfridum Comites, Fridericum palatinum Comitem de Saxonia, Berengarium de Baioaria, Fridericum Saxonẽ, Albertum Cancellarium, Cononem fratrẽ Berengarij, Sigeboth de Baioaria, Henricum Ducem Carinthiæ, Bertulfum filium Ducis Bertulfi, qui iurabunt Papæ securitatem de vita, de membris, de Papatu, de captione, & si Imperator hæc omnia suprascripta nõ obseruasset, ipsi cum honoribus suis, ad Romanam Ecclesiam se tenerent: obsides pro securitate Pontificis Rex dare pollicitus est proxima quinta feria, & securè mitteret ad Insulam in potestate Papæ, Fridericum Ducem nepotem suum, Brunonem Episcopum Spirensem, Conradum nepotem Comitis Hermanni, & filium eius, &

Digitized by Google

Henricum fratrem Comitis Friderici. Obsides si recepisset, redderet in die coronationis suæ, transito ponte, & si forte coronatus non fuisset, aut non transisset similiter redderet apud castellum S. Angeli; Legatos autem, quos Papa ad eum misisset, in eundo, & redeundo securos faceret, tam à se, quàm à suis, & si eis nescientes iniuria illata fuisset, ad emẽdandum fideliter adiuuaret. Et postquam Rex hoc adimpleuerit, Papa præciperet Episcopis præsentibus in die coronationis eius, vt dimittant regalia Imperatori, & regno, quæ ad Regnum pertinebant tempore Caroli, Ludouici, Henrici, & aliorum prædecessorum eius: scripto firmabit sub anathemate auctoritate sua, & iustitia, ne quis eorum, vel præsentium, vel absentium, vel successores eorum intromittant se, vel inuadant regalia, idest ciuitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, Thelonium, Mercatum, Aduocatias Imperij, iura Centurionum, & Curtes, quæ manifestè Imperij erãt cum pertinentijs suis, militias, & castra Imperij, nec ipse Imperatorem, nec Romanum Imperium super his vlterius inquietaret, & priuilegio sub anathemate confirmaret, ne posteri sui inquietare præsumerent. Imperatorem benigne, & honorificè susciperet, & more prædecessorum ipsius catholicorum Imperatorum, coronabit, & ad tenendum Imperium officij sui auxilio adiuuabit: si Papa hoc non adimpleuerit, Petrus Leonis cum omnibus suis teneret se ad Imperatorem. Obsides autem, nisi effugerent, redderet altero die post coronationem, si per Papam remanserit, vt non coronetur, similiter reddet.

Cumq; hoc inter eos constitutum fuisset iureiurando firmauit hoc Imperator, Albertus Cancellarius, Hermannus, Fridericus, & Gotfridus Comites, Fridericus Saxo, & Cono frater Berengarii, Sigeboth de Baioaria, Henricus Dux Carinthiæ, & Bertulfus filius Ducis Berrulfi. Hi omnes post Imperatorem eo ordine iurauere; vt si Imperator hoc implere nollet, ipsi cum omnibus suis tenerent se ad Romanam Ecclesiam.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXXVI.

POSTQVAM autem hæc ita firmata sunt, idem Apostolicus direxit ad eum litteras, per quas ei mandauit, quod illuminatori omnium gratias ageret, qui cordis ipsius oculos illuminare dignatus est, vt patris eius nequitiam toto iam sæculo diffamatã, & interius cognosceret, & grauius abhorreret. Apostolica namq; sedes, eum ad æterni Patris viscera confugientem, paterna benignitate susciperet, & inter matris Ecclesiæ filiosfamiliarius confouere optaret: Si enim, sicut suarum litterarum allegatione Apostolicæ sedi promittebat, plena mentis deuotione, sibi suisq; legitimis successoribus obedientiam exhibere iurasset, quam siue Reges, siue Imperatores catholici suis prædecessoribus exhibuerant, ipse profecto; eum vt catholicum Imperatorem haberet, & honorem eius per Dei gratiam seruaret, atque augere curaret. Nam si in cæpta vellet probitate persistere, magna Romano Imperio salus per Apostolicæ sedis obedientiam prouenire, quam ob causam non solum in partes illas venire, sed extremis quoque periculis personam suam exponere paratus esset. Cæterum quia ad præsens ad ipsum venire temporis qualitas, rerumq; non pateretur, per suos nuntios voluntatem suam aperire, & Imperator suam insinuare valeret.

Postulat interea Imperator, vt patris sui cadauer in Ecclesia sepeliri permitteret. Ad quod Papa respondit, quod Sanctarum scripturarum exinde sibi obstaret auctoritas, & miraculorum prohibiberet reuerentia diuinorum. Ipsos enim Dei martyres iam in cœlestibus positos id terribiliter exegisse sciret, vt sceleratorum cadauera de suis Basilicis pellerentur, vt quibus viuentibus non cõmunicamus, nec mortuis communicare possimus. Mense autem Februario, Cæsar cõcite castra sua mouens, ad vrbem tendebat. Pontifex autem exhortatorios vbiq; dirigens apices, non cessabat Normannos, & Longobardos ad Romanæ Ecclesiæ seruitium inuitare. Post hæc Imperator Romam accessit, tertio idus Februarij, sabbato videlicet ante quinquagesimam. Roma- Ann. 1118

Digitized by Google

nis vero instantibus, vt honorem,& libertatem vrbis sacramento firmaret, callide illos Cæsar circumuenire cupiens; Theutonica lingua iuxta suum velle iurauit; nonnulli autem ex Romanis hoc agnoscentes, & fraudem esse in negotio proclamantes, in vrbem se recepere.

CAPVT XXXVII.

Imperatoris iuramentum.

IGITVR vbi Pontifex Imperatorem venisse cognouit, directis nuntijs securitatem ab eo, & obsides expetebat, cui Cæsar obsides tradens,& ab eo obsides recipiens, iureiurando firmauit de ipsius Apostolici vita de honore, de membris, de mala captione, de regalibus etiam, & patrimonijs B. Petri, & nominatim de Apulia, & Calabria, Sicilia, & Capuano Principatu, factis etiam sacramentis, quod omnem inuestituram Ecclesiarum, & earum res omninò quietas dimitteret. Altero die obuiam ei Pontifex misit in montem gaudij, qui & Marij dicitur, Baiulos, Cereostarios, Stauroferos, Aquiliferos, Leoniferos, Lupiferos, Draconarios, Candidatos, Defensores, Stratores, & maximam populi multitudinem cum floribus, & palmis. Duo iuxta priorum Imperatorum consuetudinem iuramenta, vnum iuxta Porticulum, alterum ante portam Porticus, Romano populo fecit. Ante portam à Iudæis, in porta à Græcis, cantando exceptus est. Illic omnis Romanæ Vrbis clerus ex Pontificis præcepto conuenerat, & eum ex æquo descendentem vsque ad S. Petri gradus cum laudibus deduxere, cum vero ad superiora graduum ascendisset, illic Domnus Papa cum Episcopis pluribus, cum Cardinalibus, Presbyteris, & Diaconibus, cum Subdiaconibus, & cæteris scholæ cantorum ministris affuit. Quem Imperator, vt vidit, de equo descendens, procidit ad pedes eius; Demumq; exurgens, in nomine Trinitatis, in ore, & fronte,& oculis, ei pacem dedit, ac Stratoris officiũ exhibuit, moxq; dexteram Pontificis tenens, cum magno populorum gaudio, & clamore, ad portam peruenit argenteam, ibi ex libro professionem Imperatoriam fecit,& à Pontifice Imperator designatus est,& iterum à Pontifice osculatus, mox super eum oratio-

Digitized by Google

orationem primam, ſicut in ordine continetur, Lauicanus Epiſcopus dedit.

Poſt ingreſſum baſilicæ, cum in rotam porfireticam veniſſet, poſitis vtriſque ſedibus conſedere. Pontifex reſtaurationem inueſtituræ, & cætera, quæ in conuentionis charta ſcripta fuerant requiſiuit, paratus, & ipſe, quæ in alia conuentionis charta fuerant adimplere. Ille cum Epiſcopis ſuis, & Principibus ſeceſſit in partē iuxta Secretariū, ibi diutius, quod eis placuit tractauerunt, in quo tractatu interfuere Longobardici Epiſcopi tres, Bernardus Parmenſis, Bonus Senior Regitanus, Aldo Placentinus. Cum autem hora longior ſe protraheret, miſſis Nuntijs Pontifex conuentionis ſupradictæ tenorem petijt adimpleri. Tunc Epiſcopi Tranſalpini ad Pontificis veſtigia corruerunt, & ad oſcula ſurrexere; ſed poſt paululum familiares Regis dolos ſuos paulatim aperire cæperunt, dicentes. Scriptum illud quod conditum fuerat, non poſſe firmari auctoritate, & iuſtitia; Quibus dum Euangelica, & Apoſtolica obijceretur auctoritas, quia & reddenda Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & nemo militās Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus, & iuxta B. Ambroſium ab Epiſcopali officio alienus ſit talia agens. Cum hæc, & alia illis Apoſtolica, & canonica capitula obijcerentur, illi tamen in doloſitate ſua, & pertinacia permanebant.

Pontificis & Imperatoris cōgreſſus.

Doli, & fraudes imperialium.

Matth. 22 verſ. 21. 2. Tim. 2. verſ. 4.

CAPVT XXXVIII.

IMPERATOR interea cupiens ſuis aſſertionibus Pontificem decipere, ait. Diſcordiam, quæ inter te, & Stephanum cognomento Normannū vſque nunc fuit, volo vt iam finem accipiat. Is enim Stephanus ob fidelitatem eius multa pericula ſuſtinuerat. Ad hæc Papa: Dies maxima ex parte præterijt, & officium prolixum erit hodie, ideoq; primitus, ſi placet, quod veſtrum eſt impleatur: Vnus autem ex his, qui cum Imperatore venerant, confeſtim ſurgens in medium, ait. Quid verbis opus eſt tantis? Indubie noueris, Dominum noſtrum Imperatorem ita velle accipere coronam, ſicut illam Carolus, Pipinus, ac Ludouicus ſumpſere, quod cum Papa ſe id non poſſe implere dixiſſet:

Imperator nititur decipere Pontificem.

Digitized by Google

dixisset: Cæsar iratus, & seductus consilio Alberti Archiepiscopi Maguntini, & Burchardi Episcopi Saxonum, non veritus est eum suis armatis militibus circumdare. Sed cum iam dies declinaret in vesperam, consultum à Fratribus est, vt Imperator eodem die coronaretur: cæterorum tractatus in sequentem hebdomadam differrentur, illi etiã hoc auersati sunt. Inter hæc tam Pontifex, quàm omnes, qui cum eo erant, à militibus armatis custodiebantur: vix tandem ad altare B. Petri pro audiendis missæ officijs conscendere, vix ad sacramenta diuina conficienda, panem, vinum, aquã inuenire potuere. Post missam ex cathedra descendere compulsus Pontifex, deorsum ante confessionem B. Petri cum Fratribus sedit, ibi vsque ad noctis tenebras ab armatis militibus custoditus, inde ad hospitium, extra Ecclesiæ atriũ, cum Fratribus deductus est: capta est cum eo, & clericorum, & laicorum numerosior multitudo. Pueros etiam, ac diuersæ ætatis homines, & clericos, qui obuiam cum floribus, & palmis processerant, alios detruncauit, alios expoliauit, alios verberauit, alios in captione detinuit. Ioannes interea Tusculanensis Episcopus, & Leo Ostiensis, Papam in vinculis tentum, vt perspexere, habitu plebeio induti, in vrbem se receperunt.

Miserandum prorsus.

Leo Ostiẽsis fugit.

CAPVT XXXIX.

IGITVR Romani Papam captum, vt audiere, repentinus illos tumultus, dolor, & gemitus inuasit, atque è vestigio Alemannos, qui causa orationis, seu negotij, aut visendi in vrbem ingressi fuerant interficiunt. Altera autem die ab vrbe egredientes pugnam conserunt, multosq; de exercitu Imperatoris interficientes, & eorum spolia capientes, aduersus Theutonicos acrius pugnauerũt, adeo vt eos ex porticu penè propellerent, ipsum etiam Imperatorem equo deijcerent, & in faciem vulnerarent. Hoc vbi Otto Comes Mediolanensis perspexit, pro Imperatore se ad mortem obijciens, equum suum ei contradidit: nec mora à Romanis captus, & in vrbem inductus, minutatim concisus est, eiusq; carnes in platea canibus deuorandæ relictæ.

Imperator vulneratur.

Digitized by Google

lictæ. Tunc Imperator, vbi Romanorum victoriam, & suorum perditionem aspexit clamauit, & dixit: Videtis ò milites mei, me interfici à Romanis, & non me defenditis? Ad hanc vocem videres Alemannorum, & Romanorum micare enses, alios discindi à capite vsque ad pectus, nullaq; erat requies morientium. Pernicioſissima dies illa Romanis, & hostibus eorum fuit, cum hinc, & inde multa millia hominum cæsa viderentur. Iam ad occasum dies vergebat cum Theutonici bello resoluti, à pugna se subducere cæperunt, virtus namq; eorum, vt ait Eutropius, sicut primo impetu maior est quam aliorum, ita sequens minor est, quam fœminarum. Habent namq; aliquid simile cum niuibus suis, nam statim, vt tacti calore fuerint, in sudorem conuersi deficiũt, & quasi à sole soluuntur. Igitur Romani, vt Cimbros bello cessisse viderunt, ad spolia, & prædas conuersi, spolijsq; peremptorum onusti, in vrbem redire cæperunt. Hoc vbi Cæsar aduertit imperat suis, vt Romanos, qui spolijs onusti in vrbem redibant vnanimiter inuaderent. Quod cum factum fuisset plures oppressione, & suffocatione, quã gladio mortui sunt. In tanta igitur perturbatione, varia fortuna, varijq; erant euentus; at Theutonici cum ad castrum Crescẽtij peruenissent, Romani pilis de castro emissis, illos in fugam conuertunt, quibus omnibus rebus Alemanni permoti, cum multitudine Romanorum castra sua compleri, & suum exercitum præmi vidissent, in castris se receperunt, tantusq; terror eos inuasit, vt per totum sequens biduum, die ac nocte in armis essent.

Nocte autem aduenient e Episcopus Tusculanensis omnẽ Romanum populum aduocans, dixit ad eos. Licet verba chariſſimi filij vobis virtutem non addant, neque strenuus ex imbecillo, neque robustus reddatur ex timido, omnis tamen vobis causa est pro vita, pro gloria, pro libertate, pro defensione sedis Apostolicæ. Omnia namq; hæc in vestris dextris portatis; nam qui desiderat pacem, præparet bellum. Filij vestri contra ius, contra fas in compedibus detinentur, & Apostoli Petri basilica toto Orbe veneranda, armis, cadaueribus, atque cruore est repleta. Quid autem aliud exinde nisi malum edicere possumus? Ecclesia namq;

penitus

Digitized by Google

penitus attrita, & desolata est, vnde rogamus, & obsecramus, vt ei subueniatis, & ad tantam iniuriam vlciscendam, totis viribus insurgatis: nam vbi viri sunt, qui eis obsistant, velociores sunt ad fugiendum, quam ad resistendum: de Dei nostri, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli misericordia confidentes, ab omnibus vos peccatis absoluimus.

Hac igitur Romani hortatione animati, omnes insimul contra Imperatorẽ sacramento se constrinxerunt, & omnes qui eos adiuuarent loco Fratrum habendos statuerunt.

Imperatoris fuga.

Hoc vbi Imperatori nuntiatum est, eadem nocte eũdem Apostolicum exinde abstrahens, tanto metu ex porticu profugit cum suo exercitu, vt non solum sarcinas, sed multos etiam socios in hospitijs reliquerit. Post duos autem dies milites aduocans, præcepit Pontificem expoliari vestimentis suis, quod dum factum fuisset, vinculis alligatum secum duxerunt. Dehinc vsque ad pedem Soractis progredientes, iuxta B. Andreæ Monasterium Tiberis alueum transierunt, & per Sabinos ad Lucanum pontem iter agentes, vlteriores Romanæ Vrbis partes aggressi sunt. Trahebantur inter hæc clericorum, & laicorum nonnulli funibus alligati, Pontifex autem cum duobus Episcopis Sabinensi videlicet, & Portuensi, & Cardinalibus quatuor, apud castellum Trebicum, cæteri vero Cardinales apud Conodilum, in custodia tenebantur. Latinorum vero nullus cum eodem Pontifice audebat colloqui. Custodiebatur autem à magnatibus Imperatoris, ab ipsis etiam, & obsequebatur: ad vltimum vero tam causa suspitionis, quàm & concordiæ gratia, reductus est in castra. Fuit autem idem Apostolicus in eodem carceris ergastulo diebus sexaginta, & vnum.

Henricus expoliatũ Pontificem ligat.

Ioãnes interea Tusculanẽsis Episcopus per Epistolas non cessabat cõfortare, sollicitare, ac roborare animos fidelium ad succurrendum, & auxilium ferendũ sedi Apostolicę afflictę, ac destitutæ. Tunc Princeps in Patenariam cũ suis aduenies eligit milites fermè trecentos, & misit in adiutorium Romanis, qui venientes Ferentinũ, inuenerunt Ptolemæum, & oẽs proceres illarum partium fauẽtes Imperatori. Imperator aũt cum omni suo exercitu iã trãsmeauerat Tiberim, qua de re cũ non possent vrbem intrare, Capuã repedarunt.

C A-

Digitized by Google

CAPVT XL.

HIS porrò perturbationibus instãtibus, Dux Rogerius cum Boamundo fratre suo vita decedit. Horum itaq; mors Normãnis magnum timorem, Imperatori autem, & exercitui eius, ac omnibus Longobardis audaciam maximam tribuit: re enim vera vehementer conturbati fuerant de aduentu Imperatoris, ne videlicet pellerẽtur de Principatibus, Apulia, seu Calabria, & munitissima loca eligebant omnes, & ædificabant ibi munitiones contra aduentum Imperatoris. Princeps autem habito cum suis consilio, ad Imperatorem legatos direxit, pacem ab eo, & securitatem expetens, itaq; cum & agros Romanorum Imperator quotidie depopularet, & eorum animos dolis, ac pecunia pertentaret, tantam Deus populo constantiam tribuit, vt nihil cum eis pacis, sine Papę, & Cardinalium liberatione potuerit. Dux Rogerius moritur.

Diuersis inter hæc consilijs distrahebatur, videns itaq; sibi eueniſſe, quod non putabat, cæpit iureiurando firmare, quod nisi Pontifex voluntatem suam implere morigeraret, & ipsum, & omnes, quos habebat in vinculis, alios interficeret, alios membris detruncaret. Sed cum flectere in hoc Pontificem minimè posset, in hoc tandem plena deliberatione conuenit, vt omnes quos ceperat, liberos faceret, dũmodo securitatem sibi apud Papam futuri temporis prouideret. Hoc profecto per Principes suos, hoc per clericos, hoc per laicos, hoc per ciues Romanos sollicitus satagebat; cæterum Domnus Papa facilius vitam exponere, quam inuestituris Episcopatũum, & Abbatiarum consentire malebat, quamuis ille per inuestituras illas non Ecclesias, non officia quælibet, sed sola regalia se dare assereret. Proponebatur grauissimũ schismatis periculum, quod penè vniuersæ Latinorum Ecclesiæ immineret. Victus tandem miserijs filiorum, laborans grauibus suspirijs, atque gemitibus, & in lacrymis totus effusus, cogor, ait, pro Ecclesiæ liberatione, ac pace, hoc pati, hoc permittere, quod pro vita mea nullatenus consentirem; ad hanc enim securitatem confirmandam, Pontificis cõstantia. Pontifex flectitur.

Digitized by Google

dam, Episcopi, & Cardinales, qui capti fuerant expetebantur, nec omninò aliter, aut captiuorum dimissio, aut Ecclesiæ pax, quantum in ipsis erat, poterat prouenire.

Cum itaq; Comes Albertus de Blanderada, & cæteri Imperatoris laterales iuramentis conditiones præscribi non finerent, Pontifex ait, quandoquidem conditionem perscribi non patimini, verbis apponam. Tunc totus ad Imperatorem conuersus, dixit Iuramenta hæc ideo facimus tibi, vt vos illa, quæ pacti estis faciatis, & obseruetis: quod Imperator cum suis omnibus lætissime, ac libentissime annuit; Ex verbo igitur Papæ ab eis iuratum est in agro iuxta *Pontem* Mammeum, qui Romanos à Theutonicis dirimebat, *in hoc* videlicet modo. Quod vlterius non inquietaret *Imperatorem*, neque eius imperium de inuestitura Episcopatuum, & Abbatiarum, & de iniuria sibi illata, & suis; in persona, & bonis Imperatoris aliquod malum sibi, vel alicui personæ non redderet pro hac causa, & penitus in persona Imperatoris nunquam anathema ponat, & concedit eidem Imperatori, & eius Imperio, & priuilegio suo sub anathemate confirmat Episcopos, & Abbates libere electos assensu Imperatoris sine simonia, quos idem Imperator annulo, & virga inuestiat, & Episcopus inuestitus libere consecrationem accipiat ab Archiepiscopo ad quem pertinuerit; si quis vero à populo, & à clero eligatur, nisi ab Imperatore inuestiatur, à nemine consecretur, & Archiepiscopi, & Episcopi libertatem habeant consecrandi inuestitos ab Imperatore: & Regnum, & Imperium, & Patriciatum officij sui auxilio tenere adiuuabit. Cumq; hoc sacramento firmasset, *demum* Imperator iurauit, quod dimitteret eumdem Pontificem, cum Episcopis, & Cardinalibus, & omnes captiuos, qui cũ eo, vel pro eo capti sunt, & obsides, & securos perduceret intra portas Transtiberinæ ciuitatis, nec vlterius caperet, aut capi permitteret. His qui in fidelitate sedis Apostolicæ manerent, & populo Romanæ ciuitatis pacem, & securitatem seruaret, tam per se, quàm per suos, & in personis, & rebus, qui pacem sibi seruassent: eumdem Papam fideliter adiuuaret, vt Papatum securè, & quiete teneret: patrimonia, & possessiones Romanæ Ecclesiæ, quæ abstulit restituerет,

Pontificis iuramentum.

Imperatoris iuramentum.

Digitized by Google

ret, cætera, quæ iure habere debet more antecessorum recuperare, & tenere, adiuuaret bona fide, & eidem Pontifici fideliter obediret, saluo honore Regni, & Imperij, sicut catholici Imperatores, catholicis Pontificibus Romanis. Post hæc Colonienſis Archiepiscopus Fridericus, Gebeardus Tridentinenſis, Bruchardus Monasteriēsis, Bruchardus Spirenſis, Albertus Cancellarius, Fridericus Terimannus, Albertus, Fridericus, Berengarius, Fridericus, Gotfridus, & Guanerius Comites, ac Bonifacius Marchio in hunc modum iurauerunt.

Reſtabat illa exactionis, & extorſionis portio, vt de inueſtiturę promiſſione priuilegiū Imperatori perſonaliter ſcriberetur, nec ipſe igitur, nec ipſius laterales paſſi ſunt, vt intra vrbem ſcriptura ipſa inferretur, vbi ſigillum Pontificis dimiſſum fuerat, altero itaq; die in eodem campo, qui septē Fratrum dicitur, dum caſtra mouerent, illud dictari oportuit: & tranſito iuxta Pontem Salarium Tiberis fluuio, dum apud Octauū caſtra ſita eſſent, accitus ab vrbe ſcriniarius, ſcriptum illud inter nocturnas tenebras exarauit, cui nimirum ſcripto ibidem, quamuis inuitus, Pontifex ſubſcripſit. Porrò eum ibidem chartam ipſam Imperator accepiſſet, poſtmodum tamen eum ad B. Petri Eccleſiam perueniſſent; poſt coronæ acceptionem eam ad manum Pontificis retulit, nec ſolum contra eius voluntatem, ſed etiam cōtra omnem conſuetudinem de eius manu accepit. Coronatus eſt autem ibidem Imperator portis omnibus Romanæ Vrbis, ne quis ciuium ad eum accederet, obſeratis. Cumq; ad hoſtiæ conſecrationem veniſſet, partem ipſe accipiens, partem Imperatori contradens, dixit. Sicut pars iſta viuifici corporis diuiſa eſt, ita diuiſus ſit à Regno Chriſti, & Dei, quicumque pactum iſtud dirumpere tentauerit. Poſt coronationem, finitis miſſarum ſollemnijs, Imperator ſtatim ad caſtra in campum egreditur, Pontifex autem Vrbem ingreſſus eſt; ab hinc igitur in Romana Eccleſia ſcandala diſſenſionum, & ſchiſmatum oriri cæperunt.

Henricus coronatur.

C A-

Digitized by Google

CAPVT XLI.

S. Bruno obsessam à dæmone liberat.

HIS quoque diebus dum Abbas noster Bruno Ecclesiam S. Thomæ Apostoli, extra castrum vallis Frigidę sitam, sollemniter dedicasset, mulier quædam, quam immundus acriter vexabat spiritus ad eum delata est, cuius calamitati compatiens, oratione præmissa, aquam, de qua manus lauerat, patienti fœminæ in potum tribuit, moxq; ab ea diabolum effugauit.

Eo etiam tempore Presbyter in Alemãniæ partibus, dum quemdam puerulum psalmum cẽtesimum tertiumdecimum edoceret, & eo relicto alio perrexisset, puer somno fessus, deprimitur: moxq; rediens Presbyter excitauit illum, imperans illi legere psalmum. Puer autem perterritus, cæpit cordetenus dicere versus: increpatus autem à magistro, vt psalmum potiusquam versus diceret, ille magis, ac magis cæpit illos repetere. Intelligens autem Presbyter puerum per spiritum loqui, cæpit illos ex ore illius describere, versus autem hi sunt.

Rex morietur, & vrsus interficietur, & erit terror in diuersorio: Sol & Luna emittent venenum suũ, & Stellæ pluent sanguinem. Regina destuetur, & non stabit Regnum eius, & erit superstes. Rex christianorum processit ex aluo matris, quem genuit interfecit. Oculi eius, vt faces ardentes, & vngues eius sicut Gris. Alia autem die puer interrogatus, nihil se ex hoc scire professus est.

CAPVT XLII.

PRAEFATVS autem Abbas sociatis sibi Guala Regiensi Episcopo, & Roberto Pasiẽsi, & alijs Cardinalibus, cæpit omnimodis instare Pontifici, vt priuilegium, quod Imperatori fecerat, disrũperet, eũq; anathematis vinculo innodaret. Hi autem, qui cum Papa in vinculis fuerant dicebant: Quod antea prædicauimus prædicamus vna, & consona voce, & quod damnauimus damnamus: alij autem non solum

Digitized by Google

solum non damnabant ea, quæ contra Apostolicam, & vniuersalem Ecclesiam facta fuerant, verum etiam satis impudenter defendere conabantur. Igitur dum istiusmodi dissensionibus Apostolica Ecclesia quateretur, relatum est eidem Pontifici, quod supradictus vir, illius dissidij, & scădali Dux, & signifer esset, quod vbi prædictus Abbas audiuit, temporis opportunitate reperta, dixit ad eum.

S. Bruno Pōtificem alloquitur.

Inimici mei dicunt tibi, quia te non diligo, & quia de te male loquor, sed mentiuntur. Ego enim sic te diligo, sicut patrem, & Dominum diligere debeo, & nullum alium, te vinente, volo habere Pontificem, sicut ego cum multis alijs tibi promisi. Audio tamen Saluatorem meum mihi dicentem. Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me digmus. Vnde & Apostolus dicit: Si quis non diligit Dominum Iesum, sit anathema maranatha. Debeo igitur diligere te, sed plus debeo diligere illum, qui & te fecit, & me. Huic enim tanto amori nihil vnquam præferendum est. Fœdus autem illud tam fœdum, tam violentum, cum tanta proditione factum, tam omni pietati, & religioni contrarium, ego non laudo; quis enim illud laudare potest in quo fides violatur, Ecclesia libertatem amittit, Sacerdotium tollitur, vnicum & singulare ostium Ecclesiæ clauditur, multa ostia aperiuntur, per quæ quicumque intrat fur est, & latro? Habemus canones: habemus sanctorum Patrum constitutiones à temporibus Apostolorum vsque ad te, via Regia incedendum est, neque ab ea in aliquam partem declinandum. Apostoli omnes illos damnant, & à fidelium communione segregăt, quicumque per sæcularem potestatem Ecclesiam obtinerent: laici enim quamuis religiosi sint, nullam tamen disponendi Ecclesiam habent facultatem. Hæc nanq; constitutio Apostolorum sancta est, cui quicumque contradicit catholicus non est: omnis autem, qui hæresim defendit hæreticus est, nemo autem hanc non esse hæresim dicere potest, quam sancta, & Apostolica Ecclesia in multis Concilijs hæresim nominauit, & simul cum suis auctoribus damnauit, & excommunicauit.

Matth. 10 vers. 37. 1. Cor. 16 vers. 22.

Talis allocutio inter Pontificem & Abbatem, inuidiæ & odij fomitem ministrauit. Inter reliqua autem, quæ tunc

Digitized by Google

contra eumdem Abbatem locutus est, ait: Si non acceleraueris tollere ei Abbatiam, futurum est, vt ipse suis argumentationibus Romanum mihi tollat Pontificatum: qua propter eidem Abbati ab vrbe direxit epistolam, per quam mandat, quod non debet Episcopus simul esse, & Abbas, nec vlterius ferre sedem Apostolicam, aliquem Episcopum tam famosissimę Abbatiæ præesse. Fratribus etiam per Leonem Ostiensem Episcopum, & huius cœnobij monachum, litteras misit, in quibus præcepit, vt vlterius eidē viro obedientiam non exhiberent, sed secundum Deum regulariter sibi Abbatem eligerent, quod si aliter agerent, in omnibus cellis huic cœnobio subditis Abbates proprios ordinaret. Hoc vbi Abbas audiuit, Fratres conuocans, cępit *ostendere* illis dissensionem, quæ inter se, & Pontificem *pro* causis Ecclesiasticis erat, simulq; etiam monuit illos, vt si vellent Abbatem, quem ipse eligeret, & illos, & hunc locum pro suo posse protegeret, atque defenderet. Erat tunc in hoc Monasterio Frater quidam Peregrinus nomine, natione Ligur, sæculari astutia callidus, cui eamdem Abbatiam dare decreuerat. Quod cum Fratres præsciissent, dixerunt Abbati: Quia quamdiu ipse vellet Abbatis iure præesse, omnes illi, vt Patri, & Domino obedirent: sin autem Abbatiam vellet relinquere, electionem, quæ illis præcepto regulæ debebatur nulli omninò contraderent, sed ipsi antiquo more Abbatem sibi eligerent. Hoc vbi ille audiuit: nolo, inquit, vt propter me inter vos, & Romanam Ecclesiam scandalum oriatur, ideoq; virgam pastoralem, quam mihi tradidistis recipite, & mox eam super altare ponens, Fratribusq; absolutionem faciens, ad Episcopatum suum reuersus est, vbi in sancta conuersatione feliciter, vsque ad Oderisij secundi Abbatis tempora viuens, è mundo recessit, decimoquinto Kal. Augusti, sepultus vero est in ciuitate Signina in Ecclesia sanctæ Dei Genitricis, & virginis Mariæ, ad cuius memoriam miracula Dominus patrare non desinit vsque in hodiernum diem.

Leo Episcopus Ostiensis.

Anno Domini 1125.

His diebus defuncto in Tarracinensi Ecclesia Benedicto Episcopo, Gregorius huius cœnobij à pueritia Monachus, & in scripturis sanctis eruditissimus, à Romano Pontifice in

eadem

eadem Ecclesia Episcopus substituitur, similiter etiam in cœnobio sancti martyris Christi Vincentij, Amicus huius Cassinensis Monasterij Decanus Abbas præficitur, & in Romana Ecclesia Oderisius, & Roscemannus Diaconi Cardinales ordinantur. Oderisius fit Cardinalis.

ADDITIO de sancto Brunone.

Beatus Bruno (vt eius acta testantur) natus est in Longobardia in villa Soleria, patre Andrea, & matre Scylla, educatus in Monasterio S. Perpetui Astensis Episcopatus. Inde Senis inter canonicos cooptatus, inde Romam veniens, à Petro cognomento Igneo Episcopo Albanensi susceptus hospitio, anno millesimo septuagesimonono in Concilio Romæ à Gregorio septimo coacto, aduersus Berengarium hæreticum, negãtem veritatem corporis, & sanguinis Christi in sacramento Eucharistiæ, disputauit: postea Signinę est Præfectus, licet inuitus, Ecclesiæ, rogentibus eum ostensis diuinitus visionibus, quæ narrantur in vita ipsius. Sedit in Episcopatu annos quadragintaquatuor, vsque ad annum Domini 1125. iuxta veriorem computationem, & non trigintaquatuor, vt habent lectiones officij eius, Romę impressi 1592. Asseritur enim factus Episcopus à Gregorio septimo, qui obijt anno 1085. á quo vsque ad annum 1125. quo S. Bruno dicitur obijsse, fluxerunt anni quadraginta, sedit ergo plures quam trigintaquatuor annos.

Hic itaq. postquam per aliquot annos commissam sibi Ecclesiam sanctissime gubernasset, Cassinum montem petijt, atque monachalem habitum induit temporibus Oderisij Abbatis. Quod cum resciuisset Pontifex auctoritate Apostolica, vt ad ouium suarum curam redeat, præcepit: arguens illum, quod absque permissione sua ausus esset Monasterium petere, ad quæ Bruno, respondit ea, quæ superius cap. 31. retulit Petrus. Cumq. nulla ratione Pontificem sedare posset, Oderisius tunc Abbas Cassinensis, & Cardinalis, qui Brunonem cucullo induerat monastico, rogauit Apostolicum, vt illum in eodem Monasterio Deo militare permitteret, cuius precibus exoratus Papa quieuit.

Digitized by Google

Verum non fuit ibi eum immorari diutius, sed cum titulo Episcopi Signiensis, legatum eum in Gallias misit cum Boamundo Principe Antiochiæ, vbi vice Romani Pontificis synodum celebrauit, de hac S. Brunonis in Gallijs Legatione frequens est mentio apud Iuonem in suis Epistolis ad diuersos, præcipue Epistola 190. & 191.

In vita vero eiusdem Sancti, vbi de hac ipsa Legatione agitur, hæc in eius reditu contigisse narrantur. Cum autem de Gallia reuerteretur, in itinere latrones insidias posuerũt, volentes ipsum suis facultatibus spoliare. Cum autem Sãctus illis appropinquasset, tanto eius aspectu sunt diuinitus terrore percussi, vt ad pedes eius cum reuerentia procidentes, de malo proposito veniam peterent, ipsiq. in conductu itineris, quantum ipsi placuit, obsequium exhiberent. Præter hanc legationem, alia ad huc ipsum perfunctum esse ab eodem Paschali Papa sibi commissa ad Rogerium Comitem, idem auctor vitæ ipsius affirmat. Denique bonis operibus plenus quieuit in Domino, & ab Ecclesia Romana in sanctorum numerum ascriptus est, cuius festum in Martyrologio descriptum habetur, die decimaoctaua Iulij, quo etiam die apud montem Cassinum sollemniter celebratur.

Martyrologium Romanũ.

CAPVT XLIII.

SIRARDVS huius Monasterij Abbas quadragesimusprimus, sedit annis vndecim, mẽsibus tribus. Hic ex nobilissima Marsorũ Comitum progenie originem ducens, in primis pueritiæ suæ annis, omnipotẽti Deo in hoc Monasterio oblatus, atque à Desiderio Abbate susceptus, & in Monasterio S. Nicolai in Pica Præpositus constitutus. Demum vero ab Oderisio, qui Desiderio in Monasterij successit regimine, huius loci Decanus ordinatus est; sed cum post Ottonis transitum, Bruno ordine, quo supra retulimus, Abbas effectus fuisset, Romanus Pontifex grauiter, vt antea iam diximus, eius ferens electionem, scripsit ei, vt Abbatiam dimitteret, ac Episcopatum suum peteret. Ille schismatis, & discordiæ periculum metuens,

Digitized by Google

tuens, Abbatiam reliquit. Post hæc Fratres in Capitulum conuenientes, Girardus omnium vnanimitate Abbas ordinatus est.

His quoque diebus Rogerius Dux Apuliæ vita decedit, & in loco eius Guilielmus filius eius substituitur. Rogerij Ducis obitus.

CAPVT XLIV.

IVNC temporis Hugo quidam Transalpinus miles, cui de Albaspina cognomen inditum fuerat, istis in partibus apud plerosq; Comites suis armis deseruiens, ditiaq; stipendia lucrans, rebus satis prosperis, dulcissimæ iuuẽtutis voluptatibus vtebatur: Erat enim cum manu promptus, tum etiam sermone facundus. Is cum Raone Rahelis filio Theanensis ciuitatis Comite, ipsa cœnæ Dominicæ sollemnitate, sanctum Pascha celebraturus, ad hoc Monasterium deuotione non modica veniens, decliui montis scabrosa via, equitatura concidens, horribilem nimis crurium fracturam passus est, & non aliter quam in lectulo huc asportari prævaluit; moxq; se ante B. Benedicti corpus poni instantissima prece deposcit, ibiq; magnis clamoribus vociferans, totum diem flendo consumpsit. Cũq; iam sequentis noctis tenebræ diei finem imponerent, Mansionarius Ecclesiæ foras illum deferre famulis quibusdam mandauit. Ille autem magnis sacramentis contestari cœpit, se nullo modo inde, nisi conualescceret, exiturum, & aiebat. Hic hic ante illius corpus, cuius cum ardenti desiderio curiam visitarem, tanto mei corporis vsus sum infortunio, hic inquam, ad illius iniuriam iacens, continuo naturæ satisfaciam, nisi consuetam sibi, protinus mihi tulerit opem; quibus dictis recedentibus cũctis, ipse quoque semisopitus paulisper obticuit. Cum ecce videt sacrosanctum altarium, in quo Benedicti Patris est corpus reconditum, quasi diuinitus aperiri, indeq; venerandæ canitiei virum egredi, illo scilicet habitu, quo in festiuis processionibus Abbates vti consueuerunt: qui propius accedens, & fracturæ locum benigna manu contingens, dixit: Ecce sanus factus es, minitare iam de-

Hugo de Albaspina

B Benedictus Hugonem sanat.

Digitized by Google

fine. Aeger autem continuo sanus surgens, & incolumis, noctem illam in omnipotentis laudibus expēdit. Mane autem facto rem gestam innotuit, gratiarumq; actiones Deo, & Patri Benedicto per magnificas reddidit. Post festum itaq; non minori quam decuit mentis lætitia celebratum, Theanum Hugo redijt, cœlestisq; ignis ardore calescens, mundo mundanisq; omnibus vale dicens, se ipsum quoque secundum diuinum præceptum abnegans, nudus & expeditus secutus est Christum, moxq; ad fontem de Corrigia xenodochium constructus, tam religioso vitæ tramite ad supernam patriam currere cepit, vt calciamentis quidem nullis, vestimentis vero tantum laneis vsus fit. Idem etiam *post quindecim annos rursus huc veniens, quasi adeptæ salutis* rependio, B. Benedicto perpetuo se tradidit seruum, veridicoq; ore superius dicta multoties fatebatur.

Hugo. sæculo renũciat.

Eo etiam die Rao filius Rahelis, remisit super altare B. Benedicti cunctam pertinentiam cellæ nostræ de Theano, & iurauit, quod quietam nobis dimitteret, quemadmodum temporibus Iordani Principis fuerat, reseruans sibi hoc tãummodo, quod homines nostri duobus diebus per hebdomadam suo seruitio deputentur, vsque in quatuor annos, & ipse ob hoc dimitteret de solito censu, quem accipit de casa Flamma, vel alijs, annuatim tarenos centum. Completo ergo termino, cætera omnia quieta dimittat in perpetuum.

CAPVT XLV.

MITTIT de hinc Pontifex nostro Abbati, quatenus præparatis omnibus ad vrbem pergat videlicet, vt proximo mense Martio Abbatiæ consecrationem accipere debeat. Præparatis igitur necessarijs iter accipiens, Romam aduenit, ibiq; consecrationem indeptus, priuilegium ab eo de omnimoda Monasterij huius libertate recepit.

Mense itaq; Martio adueniente, facta est ibi Synodus, in qua cum omnibus Episcopis de negotio sedis Apostolicæ, & Romani Imperij tractaretur. Papa professus est, se non tam sua, quam aliorum concaptiuorum liberatione, cum Imperatore

Digitized by Google

ratore feciſſe, quod fecit; ſeq; omnino catholicum eſſe, firma, ac vera ratione oſtendit. Priuilegium etiam, quod fecit contra omne ius, & fas, neceſſitate feciſſe confeſſus eſt, quidquid vero ſui prædeceſſores ſtatuerũt, & damnauerunt, omnia ſimiliter confirmauit, & damnauit. Hoc Epiſcopi audientes, illud ſcriptum priuilegium (ſi priuilegium vocandum) omnino in perpetuum condemnauerunt.

CAPVT XLVI.

EODEM vero anno Alexius Imperator, cuius ſupra memorauimus, ſtrenuiſſimos de ſuo Imperio viros cũ litteris Romam direxit, per quas ſignificabat, ſe primitus de iniuria, & captiuitate ſummi Pontificis, à Romanorum Imperatore ſibi illata; nimium dolere: deinde gratias agens collaudat illos, qui viriliter contra eum ſtetiſſent, nec illi ad votum ceſſiſſent, atque ob id ſi animos illorum promptiſſimos, ac paratiſſimos inueniret, prout ſibi ab iſtis partibus iam dudum mandatum fuerat, vellet ipſe, vel Ioannes filius eius, ſecundum morem antiquorum, fidelium videliçet Imperatorum, à ſummo Pontifice Romæ coronam accipere. Romani autem ſe omninò paratiſſimos fore ſecundum voluntatem illius per eoſdem Nuntios mandauerunt. Menſe autem Maio elegere de ſuis fermè ſexcentos, & direxerunt Imperatori ad conducendum eum, qui venientes Caſſinum, honorabiliter à noſtro Abbate recepti ſunt, atque cum illis Legatos ad Imperatorem direxit, per quos ſeruitium, & orationem ei ſpopondit. Igitur cum Conſtantinopolim reuerſi fuiſſent, & vna cum Romanis eiſdem Imperatori narraſſent, quod illis noſter Abbas feciſſet, cenſuit Imperator, eum in loco amicorum habendum, ac per huius cœnobij Fratres octo libras ſolidorum michalatorũ, & pallium tria centeſimum B. Benedicto direxit; inſuper etiam eidem Abbati mandauit, vt cum ipſe Romam coronandus veniret obuiam ei vſque Dirachium exiret, atque cum eo vſque ad vrbem in eius ſeruitio permaneret.

Alexius Imperator Legatos Romã mittit.

Digitized by Google

CAPVT XLVII.

HIS diebus Hugo filius Hugonis infantis de castro Feniculi, vna cum Landulfo Beneuentano Archiepiscopo, reddidit B. Benedicto Ecclesiam S. Petri in Russano, & S. Ioannis in pertinentijs de castro Helicuso, & S. Georgij in castro Feniculi, & S. Martini in pertinentijs de castello, qui dicitur Turre Palatium, & S. Ianuarij in pertinentijs ciuitatis Beneuentanæ cum pertinentijs illarum, quas videlicet Pater eius ad diem obitus S. Benedicto tradiderat.

CAPVT XLVIII.

ALIO vero anno præfatus Papa Paschalis iterum ad has partes deueniens, cum nostro Abbate, Synodum celebraturus, Beneuentum perrexit: in qua videlicet, per Sennem Capuanum Archiepiscopum proclamationem fecit de Ecclesia S. Sophiæ in Beneuento, quæ violenter à ditione huius loci subducta fuerat, sed nihil exinde habere iustitiæ potuit; proclamauit etiam super Benedictum Terræ Maioris Abbatem, quod Ecclesiam S. Mariæ in Casali plano, quæ iuris huius loci extiterat, inuasisset. Tunc Pontifex, licet ab Abbate Oderisio olim exinde pulsatus fuisset, missis iterum, atque iterum litteris, appositaetiam interdictione, vel loci, vel ordinis, eumdem Abbatem ad se venire coegit. Data est igitur per biduum iurisperitis licentia disputandi; nouissimè actores Monasterij Terræ maioris probationem possessionis quadragenariæ intenderunt. Cæterum eorum testes non ex visu, & auditu, sed ex fama testimonium profitentes, nec legibus, nec canonibus suscipi potuere. At contra nostri quadragenarię, vel tricenariæ possessionis interruptionem modis talibus astruebant: testes duos notæ religionis monachos, vnum Episcopum, alterum Diaconum protulere, qui se præsentibus supradictam Ecclesiam S. Mariæ de Casali plano, per Desiderium memoriæ felicis Abbatem, locatam Rodulfo Presby-

Digitized by Google

Presbytero asserebant, sicut in locationis descriptione ostẽdebatur, sub censu sex bizantiorum: tres etiam ab eis laici testes probati sunt, qui se vidisse profitentur per annos quadraginta priusquam Ecclesiam illam Terræ maioris Monasterium inuasisset, huius cœnobij monachos ibidem fuisse Præpositos. Legum igitur, Pontifex, auctoritate perspecta, Monasterio Terræ maioris super hoc negotio perpetuum silentium indixit, & demum Ecclesiam de Casali plano cum possessionibus suis, apud nostrum Monasterium, per priuilegium, quietam in perpetuum manere constituit.

Tunc tẽporis, & Robertus Comes de Laurotello quadragesimali tẽpe causa orationis ad hoc Monasterium veniens, vna cũ Oldiberto milite suo, obtulit B. Benedicto, quidquid sibi pertinebat in territorio S. Martini in Pisile. Sequenti vero anno Gulielmus Dux filius Rogerij Ducis ad hũc locum deueniens, per præceptum cõfirmauit in hoc loco, quidquid Robertus, & Rogerius Duces S. Benedicto tradiderunt: confirmans insuper Terram, quam olim in Troiano apud S. Iustam in hoc loco concesserat: adijciens insuper, vt animalia nostra, quæ annualiter in suam terram deuenerint, pascua in solitis locis habeant, & absque sua hominumq; suorum, vel alicuius personæ contrarietate, vel infestatione, seu reditione maneant, & redeant, mille librarum auri pœna indicta. Fecit & aliud præceptum de Castellione de Baroncello, cum pertinentijs suis, vt homines, qui in eo manent, solidi quieti, & liberi sint à se, & à suis ab omni datione, vel censu. Sed & Constantia filia Regis Francorum, cum Boamundo filio suo, eodem anno obtulit in Ecclesia S. Petri Imperialis in ciuitate Tarento, octogintasex familias hominum cum rebus suis, & quidquid eidem loco concessum est per præcepta, & oblationes. Gulielmus Dux.

CAPVT XLIX.

EODEM vero anno Papa Paschalis, cum apud Ceperanum Synodũ celebraret, Archiepiscopus Consentinus proclamationem fecit super Rogerium Comitem Siciliæ, qui eũ de Archiepiscopatu deijciens,

Digitized by Google

ciens, inuitum, & renitentem monachum fieri iusserat. Ad hæc Papa, hoc ad me non attinet, Abbatis Cassinensis est iudicare, & discernere de talibus, cui hanc prærogatiuam prædecessores nostri contulerunt. Dona namq; & vocatio Dei, sicut Apostolus, ait, sine pœnitentia sunt. Illud ergo donum quod omnipotens Deus Beato concessit Benedicto, ac per eum Cassinensi cœnobio nulla potest ratione conuelli. Abbas ergo Cassinensis super re tali respõdeat, tunc Abbas. Non vult Deus coacta seruitia, vnde si contra vestram voluntatem Monasticum institutum arripuistis, vestrum erit, vel relinquere, vel tenere: qua propter sanctæ religionis habitum, quod inuitus sumpsistis, vt ad pedes Domini nostri Apostolici deponatis, præcipimus; demum vestrum erit, vel recipere, vel dimittere. Ille autem continuo ad pedes summi Pontificis vestimenta deponit monastica, sed nullo modo ei ab aliquo persuaderi potuit vlterius resumere. In eodem etiam concilio idem Apostolicus inuestiuit Gulielmũ Ducem de Ducatu Apuliæ, & Calabriæ. Ibi etiam cum Landulfus Beneuentanus Archiepiscopus accusatus fuisset, & se purificare de obiectis non valeret, ad hunc locum fugit, Papæ sententiam audire declinans, sed qualiter rogatu nostræ congregationis, & Pontificij ordinem, & Papæ gratiam rursus habuerit, loco suo scribemus.

CAPVT L.

HOC etiam anno, cum Fratres nostri cœnobij a Sardinia remearent, Piratæ Saracenorum *super* eos irruẽtes in Africam vinctos duxere, *quod vbi* noster Abbas agnouit, pretium pro redemptione eorum illuc transmittere studuit: sed hi, qui deferebant vẽtorum vi in Siciliam appulsi sunt. Igitur dum hæc ad notitiam Rogerij magnifici Comitis peruenissent, amore sanctissimi Patris Benedicti ductus, Nuntios suos ad Regem ciuitatis Calamensis, quæ à Saracenis Alchila dicitur, destinauit: quatenus illos ad hoc Monasterium redire permitteret, si eius frui amore, si eius pace vti desideraret. Annuit protinus Calamensis Rex tantis postulationibus, eosdemq;

Fratres

Digitized by Google

Fratres Legatis ipsius Comitis tradidit. (Iam autem Azzo huius sancti loci Decanus in eadem captione vita decesserat,) qui per Africam Siciliam venientes, honorabiliter ab eodem Comite suscepti, atque ad hunc nostrum Monasterium retransmissi sunt.

CAPVT LI.

OPERAE pretium reor ea, quæ omnipotēs Deus ad iam dicti Decani declaranda ostēdic merita, opusculo præsenti annectere. Hic igitur dum in eadem Prouincia defunctus fuisset, corpus eius in Ecclesia B. Mariæ, ante altarium sepultus est. Factum est autem intempestæ noctis silentio, Saraceni inde transeuntes, dum Luna radios suos emitteret, viderunt eum foris iuxta ostium basilicæ sedentem, librumq; in manu tenētem. Tunc illi obstupefacti, alios Saracenos clamare ceperunt, dicentes; currite citius currite, huc properare studete, nam Presbyter christianorum, qui in isto mense mortuus est, ante ostium Ecclesiæ sedentem conspicimus. Hoc igitur reliqui audientes, portas ciuitatis egressi, illuc tendere festinauerunt. Cumq; ad eum appropinquassent, vir Domini interlimen, ostiumq; basilicæ ingressus, nusquam cōparuit. Quadam vero die, Mansionarius ingressus, Ecclesiam repenit lāpadem, quæ super sepulchrum eius pendebat ardentem. Tunc iratus puerum, qui ei iugiter in Ecclesia seruiebat vocauit, eiq; dixit: Cur lampadem accensam reliquisti? Ad quem puer respondit. Ego quando Ecclesiam clausi lucernas omnes extinxi: hanc autem quis accenderit ignoro. Animaduertens autem vir ille, quod in re erat, lampadem extinxit, Ecclesiam clausit: alioq; die ingressus Ecclesiam, eam ardentem reperit. Hoc igitur dum sæpius fieret, nuntiatum est Regi Saracenorum, qui in re insolita admiratus, & putās à christianis ista cōfingi, destinat Saracenos, qui lampadem extinguerent, oleum inde traherent. Quod dum factum fuisset, alio die Ecclesiam ingressi, lampadem lucentem, atque aquam in morem olei ardentem inuenere. Qui præpete-

De Azone Decano in captiuitate mortuo.

Lāpas ad sepulchrū Azonis celitus accēditur.

pete cursu inde egredientes, ad Regem venerunt, & cuncta, quæ euenerant per ordinem pandunt. Tum Rex lampadem extingui, & Saracenos die, ac nocte Ecclesiam custodire præcepit, ne quis Christianorum ibidem intraret, qui præceptis eius parentes Ecclesiam custodire cępere. Nocte autem aduenięnte Saraceni, qui Ecclesiam obseruabant, oculos in cœlum leuantes, stellam de cœlo super lampadem Ecclesiæ radiantem aspiciunt. Tunc obstupefacti, fores Ecclesiæ reserant, lampademq; lucentem aspiciunt, cursuq; celeri ad Regis tendentes palatium, seriatim, quæ viderant narrare cęperunt. Rex vero talia dum audisset ab ore suorum, dictis derogans fidem, lampadem extingui, & Ecclesiam sicut prius custodire præcepit: exurgensq; ad domum Callife, quæ Ecclesiam liminabat perrexit. Cum iam nox aduenisset eleuatis in cęlum oculis, vidit stellam super lampadem Ecclesiæ radiantem, eamdemq; radio suo accendentem, statimq; Saracenos ad Ecclesiam mittens, lampadem ardentem reuersi nunciarunt. Tunc Rex proponit edictum, vt Christiani liberam in Ecclesiam ingrediendi facultatem haberent.

CAPVT LII.

EODEM quoque tempore Robertus Auersanus Episcopus, præsente Romano Pontifice, promouit litigium contra hoc Monasterium, de Ecclesia S. Agathæ in Auersa. Cumq; diu inter nos, & illos in Romana curia hæc causa sæpius ventilata fuisset. Ex præcepto Romani Pontificis, & Cardinalium, quibus graue videbatur totiens eãdem causam in iudicio audire, vna cum clericis Auersanæ Ecclesię, idem Episcopus eamdem Ecclesiam huic nostro Casinensi cœnobio in perpetuum habendã concessit. Hic Abbas fecit libellum hominibus habitantibus in castro S. Angeli, de terris, & siluis huic Monasterio pertinentibus in loco, qui dicitur Tabulella, iuxta tenorem antecessorum suorum, vnde recepit libras denariorum decem. Huic Abbati Robertus Princeps iureiurando firmauit totam

totam ex integro Abbatiam, & omnem terram, Castra & Monasteria sicut illa tenuit Otto Abbas, octo dies antequã mortuus esset, & omnia, quæ hoc Monasterium retinebat infra Principatum Capuanum. Id ipsum fecit Andreas Cõsul, & Dux Caietanorum de terra S. Benedicti, & nominatim de castro Pontiscurui cum pertinentijs suis.

CAPVT LIII.

IVNC temporis Benedictus Fundanæ Ecclesiæ Episcopus, & huius cœnobij monachus, contendere cępit aduersus hoc Monasterium pro pecunia, quàm Contardus prędecessor suus in hoc loco deposuit, cuius pecuniæ partem idem Episcopus redditam fatebatur, partem vero non. Noster vero Abbas causam se ignorare dicebat, & cum huius rei negotium diuulgatum, ac ventilatum fuisset, quoniam, & de quantitate pecuniæ dubitabat, & vtrum minus esset redditum, quam in depósito fuisset acceptum. Tandem ad hanc venimus conuentionem, quod huius rei gratia noster Abbas concessit eidem Episcopo, vsque ad obitum suum, Monasterium S. Nicolai in Pica, vt haberet inde omnem redditum, quem hoc Monasterium esset habiturum, præter consuetas salutes temporibus suis.

Hic Abbas cum adhuc Præpositurę officio fungeretur, in Ecclesia S. Nicolai in Pica, tempore Patris Desiderij, acquisiuit à Girardo, Richardo, & Leone Fundanis Consulibus Ecclesiam S. Honufrij cum pertinentijs suis, & quoniam supradictus locus in deuexo montis latere constructus, latronum direptionibus semper patebat, illam Girardus diruens in monticulo iuxta posito construxit Monasterium in honorem sancti confessoris Christi Honufrij, atque de Monasterio S. Nicolai in Pica omnium mobilium medietatem auferens, partem etiam Monachorum eiusdem loci ibi trãsmittens, sedecim Fratres illic Christo seruituros aggregauit. Pari etiam modo in Aliphano territorio, Ecclesiam S. Mariæ in Cingla à fundamentis diruens, magnificam, & speciosis-

Monasterij S. Honufrij.

S. Maria in Cingla

simam

simam ad similitudinem huius Ecclesiæ S.Martini, in priori loco renouauit.

Hic Abbas concambiauit cum Grimaldo filio Maionis de Aquino terram in Vlmitu, recipiens aliam petiam terræ in Asprano, cum pertinentijs suis.

CAPVT LIV.

Ann.1115 SVB ijsdem ferè diebus, cum iam ab Incarnatione Domini annus millesimus centesimus, ac quintusdecimus elaberetur *vndecimo* Kalendas Martij, castrum *huius nostri* Monasterij, quod Suium *dicitur*, quodq; à Patris Desiderij tempore ab hoc Monasterio subtractum fuerat, post decessum Richardi de Aquila, qui eumdem castrum tenuerat: captoq; Alexandro, qui vxorem eiusdem Richardi acceperat, Suienses non ferentes insolentiam exactorum eiusdem Alexandri, eundem castrum in manus præfati Abbatis reddiderunt. Rangarda igitur vxor præfati Richardi hoc agnito, Turrem, quæ ad mare dicitur, proditione custodum, in sua accipiens, villam Laurianam, casam Maiorem, S.Benedictum in Suessa, & omnia, quæ in sua ditione ad Cassinense cœnobium pertinebant, ab huius loci potestate subtraxit, & deinceps quidquid aduersi, quidquid incommodi Cassinensi cœnobio excogitare poterat, inferre non desinebat. Abbas autem, non segnis ad hæc, aggregato exercitu Suessanam Terram igne, ferroq; deuastare omnimodis cepit. Richardus etiam tunc Bartholomæi de Caleno filius, propter pugnam, quam cum eadem Rangarda pro Ducatu Caietano habebat, eidem Abbati per sacramentum firmauit totam ex integro Abbatiam, & omnia quæ recuperare posset in Terra Fundana, vel in Terra Guidonis de Castro, vel Comitum de Ciceano, & Capuano Principatu, in Comitatu Aquinensi, Venafrano, Aliphano, ac Theanensi, & nominatim castellum de Suio cum pertinetijs suis; & spetialiter viam per flumen Garilianum eundi, & redeundi cum nauigijs ad portum de Suio, & spetialiter Terras, quæ ab eadem Rangarda sublatæ fuerant, idest curtem

Digitized by Google

tem S. Ioānis ad Currentē, curtem de Lando de mari, casam Maiorem, Laurianam, S. Benedictum de Suesla, & Terras, quas retinebat Gezzolinus. Idipsum fecit, & Robertus Princeps iureiurando confirmans B. Benedicto supradictum castrum de Suio cum pertinentijs suis.

CAPVT LV.

SEQVENTI anno, mense Maio, iam dictus Papa Paschalis Romam egrediens, venit ad hoc Monasteriū, nostrumq; Abbatem secum ducens, Synodum celebraturus, Troiam perrexit, indeq; regrediēs, Ecclesiam S. Vincentij, quam Girardus huius cœnobij monachus, iuxta ortum Vulturni fluminis à fundamentis construxerat, sollemniter dedicauit, in qua etiā noster Abbas duo pallia obtulit. Huius Abbatis tempore Almannus huius sacri cœnobij Monachus defunctus est; cuius vita quantum Deo placuit, exitus illius patefecit. Hic itaq; è Melfia ciuitate, de qua oriundus erat, ad hunc locum perueniens, districtissime satis, & continentissime vixit: omnibus enim noctibus iuxta Ecclesiam S. Andreæ Apostoli in cimiterio Fratrum nudus permanens, & psalmos canens, duris scoparum ictibus carnem suam affligere non desinebat: sub istius autem Abbatis tempore, cum idem vir intempestæ noctis silentio esset defunctus. Nicolaus Cellararius extra Monasteriū manens, eleuatis oculis, vidit tectum domus desuper aperiri, & ex eo maximum globum ignis egredi, atque in cœli alta deferri; statim vero ad Monasterium Nuntium mittens, inuenit ea hora fuisse Almanni obitum, qua globum ignis de Monasterio egredi, eçliq; alta petere vidit. Hanc autem visionem sicut Cellararius à foris, ita & Carbo, vnus ex huius loci Prioribus, qui adhuc superest, in Monasterio positus vidit. Hic vero quamdiu vixit, tribus diebus in hebdomada panem, & aquam comedit, & nunquam nisi certa soluit festiuitate ieiunium.

Ann. 1116 Paschalis Papa Cassinum venit.

Vide capi. 4. lib. 1.

Almānus monachus.

CA-

Digitized by Google

CAPVT LVI.

INTEREA cum homines de ciuitate S. Germani noſtro Abbati ſæpe inquieti, & rebelles exiſterent, ad horum nequitiam refrenandam Girardi animus ingens erigitur, vna cum Oderiſio Præpoſito, & Seniore to Decano, qui poſt Abbates huius cœnobij extitere, alijsq; prudentibus viris communicato consilio, quosq; huius loci fideles in ſuum auxilium euocans, ſeptimodecimo Kalendas Februarias, nocturno tempore monticulum Ianulæ, qui eidem ciuitati imminet, cœpit, atque à ciuibus obſides accipiens, eãdem Ianulæ Arcem, quę à temporibus Aligerni Abbatis deſtituta, ac deſolata fuerat, reſtruere, vir ſtrenuiſsimus, cępit. Primo itaq; in montis ſummitate turrem ſpecioſiſsimam, ac valde maximam extruxit, iuxta quam duas veteres turres dirutas reparauit. Iam vero Abbas cameram cum cappella, & reliquis officinis pulcherrime ſatis conſtruens, ipſius arcis ambitum muro firmiſsimo ſepſit, & ſic demum rebelles, & infidos, quietos manere coegit. Pari etiam modo caſtrum Pontiſcurui, Cardetum, Vitecuſum, ac Suium, muris, turribusq; muniuit.

Ann. 1117 Girardus Ianulæ arcem conſtruit.

CAPVT LVII.

HIS diebus defuncto in Caietana Eccleſia Alberto Epiſcopo, Richardus huius cœnobij à pueritia monachus, eidem Eccleſiæ Epiſcopus datur. Romanus interea Pontifex cum ad Paganorum ſæuitiam edomãdam ſollicitus eſſet, Romanos, Piſanos, aliosq; de diuerſis partibus euocans, ſub remiſsione omnium peccatorum illos ad Inſulas Baleares direxit. Quo dum veniſſent, diu multumq; illas expugnantes, tandem in deditionem acceperunt, centum millibus Saracenorum gladio interemptis.

Hoc præterea tempore Hector, Pandulfus, & Giſulfus filij Pandulfi de Preſenzano, antiqui hoſtis malitia debriati, caſtrum

Digitized by Google

strum huius Monasterij, quod Cominum dicitur, furtiue surripientes, terras huius cœnobij sibi cõtiguas modis omnibus infestare cęperunt. Abbas autem, vt erat magnanimis, exercitum congregans, terram illorum igne, ferroq; consumpsit. Eodem vero anno prædictus Papa vrbem egrediens venit ad hoc Monasterium vbi honorifice nimis receptus, cum ei relatum fuisset de supradictis sacrilegis, qui ante iam fatum castrum Comini inuaserant, inter ipsa missarum sollemnia, tanti mali auctores, nisi resipiscerent, à liminibus Ecclesiæ seperauit. Quid tantis? Videntes sibi Deum in omnibus resistere, eũdem castrum in manu nostri Abbatis reddidere, atque ad hoc Monasterium venientes, cuncta congregatione astante, supradictum castrum supra B. Benedicti altarium refutauere. Lando interea filius Landonis Comitis, more parentum suorum, ab huius loci infestatione nequaquam quiescens, in silua huic Monasterio cõtigua, quæ Tirellæ dicitur, castrum construere cępit. Erat tunc in hoc sancto cœnobio Ioannes Romanæ Ecclesiæ Cãcellarius, & huius Monasterij monachus, cuius superius memoriam feci, qui tantam insolentiam nequaquam ferendam censens, Senioretum Decanum, aliosq; ex Fratribus secum assumens, eumdem Comitem adijt, atque illum ex parte Romani Pontificis obtestare cæpit, vt in possessione B. Benedicti castrum non ędificaret, nisi anathema Apostolicum experiri vellet. Tunc ille, & Pontificis, & B. Benedicti iustitia agnita, de eodem loco confestim recessit.

Ioannes Cancellarius.

CAPVT LIII.

TVNC temporis quidam miles in Apulia, in quodam conflictu, à quodam iniquissimo captus, atque Boia, catenisq; deuinctus, in foueam demersus est. Cumq; per dies plurimos eodem neruo detineretur astrictus, & die, noctuq; sanctissimi Patris Benedicti auxilium anxie flagitaret, quadam nocte ei apparuit dicens; dormis, an vigilas? Et ille: vt cernis plus in meæ mentis archano de morte, quam de somni quiete pertracto. Sed tu quis es, qui ad me venire dignatus es? Et sanctus. Ego sum

Digitized by Google

Frater Benedictus, quem in tuo adiutorio venire rogasti? Nunc vero surge celerius, catenas vero cum quibus ligatus es, quoniam propter itineris longitudinem ad corpus meũ in Cassino ferre minime vales, ad sepulchrum Fratris Ottonis inclusi (qui meam regulam optimè obseruauit) suspẽde, & ob tuam liberationem laudes Deo reddendas ire ne tardes Cassinum. Hæc cum dixisset, continuo miles surgens, inuocato Redemptoris nostri, ac B. Benedicti nomine, confestim catenæ, quæ in pedibus eius erant solutæ sunt, & cõtinuo surgens, quæ sibi iniuncta fuerant omni instantia implere curauit. Demum vero Casinum veniens Deo, Patriq; Benedicto laudes quam maximas retulit.

Otto Monachus.

Arderadus huius loci Ostiarius, dum noctis medio per plana, quæ Casinensi monti subiacent iter ageret, oculos ad sanctissimi Patris Benedicti cœnobium vertens, vidit super eundem locum ad instar solaris splendoris descendisse maximam lucem, quæ prius Ecclesiam, postmodum vero totum Monasterium operiens, vsque ad dimidium ferè horæ spatium mansit, ac sic demum lux, quæ ante oculos eius apparuerat subtracta est.

Sergius monachus.

Eo etiam tempore Sergius huius cœnobij monachus, natione Amalphitanus, dum vita decederet, Gregorium huius loci Presbyterum rogauit, vt eum non dimitteret, qui postulationi eius obtemperans, cum eo permansit. Cum vero vitæ eius appropinquasset iam vltima hora, respiciens vidit Beatissimam Dei Genitricem Mariam ad se venientẽ, illicoq; manus sursum erigẽs, clamare cæpit, Domina mea, Domina mea: quem interrogantes, quid videret, ait: Num quid nam non Beatissimam Virginem Mariam videtis? Hic nempe est. Hæc dum dixisset, animam exhalauit.

CAPVT LIX.

PER hos dies Petrus filius Petri Mayni de ciuitate Aquinensi, obtulit B. Benedicto quidquid sibi pertinere videbatur infra fines supradictæ ciuitatis in valle Opplosa, & Surgili, & Cisternola, & omne quod sibi pertinebat apud Suium, loco qui vocatur casa Maiore.

Adenul-

Digitized by Google

Adenulfus quoque filius Bernardi de Aquino, & ipse ad hoc Monasterium veniens obtulit huic sancto loco, quidquid sibi à paterno, vel materno iure pertinebat in S. Vrbano.

Hoc etiam tempore, Abbas Girardus concessit in vestiario huius sacri cœnobij ob Fratrum vtilitatem, quidquid S. Benedicto pertinebat in Comitatu Termulensi, necnon & Terras, quæ fuere Oldiberti militis, quas Comes Robertus, sicut supra retulimus, huic loco obtulit, anathematis inondatione appositâ, si aliquis successorum suorum hoc à vestiario Fratrum subtrahere vellet. Concessit etiam in Monasterio S. Ioannis de Capua Petram mellariam cum pertinentijs suis. Sciendum sanè, quoniam in Monasterio puellarum S. Ioannis, Abbatissa quidem debet eligi cum necesse est à sanctimonialibus, sicut ego ipse recolo me legisse in priuilegio Abbatis Aligerni, quod apud Capuanum B. Benedicti Monasterium habetur, sed approbari, & confirmari debet iudicio Casinensis Abbatis, cuius etiam auctoritate consecrationem ipsa Abbatissa accipere debet.

CAPVT LX.

SVpradictus autem Pontifex, sociato sibi nostro Abbate, Romam rediens, mediante quadragesima Synodum celebrare disponit; in qua etiam noster Abbas proclamationem fecit de cella S. Sophiæ in Beneuento, sed nullam exinde habere iustitiam valuit. Quo etiam tempore dum Pontius Cluniacensis cœnobij Abbas ad Synodum veniens se Abbatem Abbatum esse iactitaret, interrogatus à Ioanne Cancellario, si Casinenses accepissent regulam à Cluniacensibus, an Cluniacenses à Casinensibus, Pontius respondit, quod non solum Cluniacenses, verum etiam omnes monachi in orbe Romano degentes, regulam Patri Benedicti à Casinensi cœnobio acceperunt: tum Cancellarius, ergo si ex Casinensi cœnobio, tamquam à viuo fonte Monasticæ religionis norma manauit, iure, ac merito Casinensi Abbati hæc prærogatiua à Romanis Pontificibus concessa

Pôtius Abbas Cluceensis.

Ioannes Cancellarius.

Digitized by Google

est, vt ipse solus, qui Benedicti Legislatoris est Vicarius, Abbas Abbatum vocetur.

Romanorum dissidium.

Per idem tempus Romani aduersus iam dictum Pontificem ferali inter se odio dissidebant. Nam pars maxima illorum, qui filium nuper defuncti Præfecti contra volũtatem Papæ elegerant, omnibus nisibus cõtra Petrum Leonis agebant adeo, vt nonnullas eius Turres destruerent, quia pro ipso, & cum ipso non consenserat Põtifex voluntati eorum. His auditis Henricus Imperator, qui defuncta Mattilda, tunc apud Liguriam degebat, gratia disponendarum rerum illius, lætus effectus, quia non bene cum Papa conueniebat, Xenia Imperialia vrbis Præfecto, & Romanis transmisit, aduentum suum illis prænuntians affuturum. Pontifex interim loco cesserat, & Petro Leonis in munitionibus degenti, quoquo modo poterat, subsidia ministrabat.

CAPVT LXI.

Ann. 1117 Heuricus Imperator Romã venit.

ANNO autem Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septimodecimo, idẽ Imperator congregato exercitu Romam aduenit, quod dum Papa Paschalis comperisset, vrbem egrediens venit ad hoc Monasteriũ, atque ab vniuersa huius loci congregatione rogatus. Landulfum Archiepiscopum Beneuentanum, quem supra depositum retulimus, in gradu suo restituit: sicq; per Capuam Beneuẽtum ingressus est. Imperator interea vrbem Romam ingrediens, & Pontificem exinde discessisse prænoscens, Consules, Senatores, ac Proceres partim donis, partim promissis ad se attrahens, Ptolemæo illustrissimo Octauia stirpe progenito, Ptolemæi magnificentissimi Consulis Romanorũ filio, Bertam filiam suam in coniugio tradidit, eiq. dona perplurima cõferens, quidquid auus eius Gregorius, alijq. parentes habuerant, vel retinuerant, prædicto Ptolemæo, & heredibus eius Imperiali auctoritate in perpetuum confirmauit.

Agit interim Papa cum Principe, alijsq. Normannis, quatenus contra Imperatorem conglutinetur, illiq. obsistant, vel

vel certe contra iam dictum Ptolemæum Romanorum Cõsulem generum eius, hominibus supradicti Pontificis armatorum auxilium subministrent. Henricus præterea Imperator in Vrbe Roma persistens, Paschalis diei sollemnitatem cum ingenti gaudio Senatus, Populiq; Romani celebrare studuit, & quia Pontificem ibidem non inuenit, & rationes suas cum rationibus eius internuntijs mediantibus minime conuenire videbat, coactus, feruore æstatis secessit cum suis in hyperboreis regionibus, spondens se temperato aere agiliter Romam redire. Normanni vero Imperatorem ab Vrbe egressum dum agnouissent, elegere de suis fermè trecentos, ac diebus Pentecostes contra Ptolemæum direxerunt. Qui Campaniam ingressi, iuxta Pylium eiusdem Prouinciæ oppidum castrametati sunt, prædam inde hominum, ac iumentorum facientes. Hoc vbi Ptolemæo Consuli nuntiatum est, è vestigio milites, quos Imperator in adiutorium suum reliquerat euocans, per noctem eos exaduerso contra castra illorum dirigere studuit. Normanni interim cognito illorum aduentu, præpete cursu ad castrum Acutum fugientes peruenere, quos Theutonici insequentes, quotquot inuenire poterant neci tradebant: magnamq; stragem de eis fecissent, nisi castrum Normannos recepisset: victoria itaq; Alemanni potiti, Normannos exequitatos, & deprædatos, per vicos, & oppida persequebantur, taliq; ordine Normãni iniurijs affecti, vnus post vnum ad propria remearunt.

CAPVT LXII.

HOC præterea tẽpore terræmotus magni per vniuersam ferè Italiã facti sunt, ita quod muri multarum ciuitatum ruerent, Ecclesiæ à fundamentis subuerterentur, & excelsæ Turres demergerẽtur, & multorum hominum strages fierent. Fontes etiam ferè omnes turbidati sunt, & lampades Ecclesiarum nullo impellente turbine per aerẽ mouebantur. Tunc quoque in ciuitate Veronensi maxima pars ædificiorum corruit. Hiatus etiam in eisdem partibus magni facti sunt, & innumeræ arbores virentibus foliis radicitus eulsæ foras eiectæ sunt, humoq; Terræmotus magni in Italia.

Digitized by Google

humoq; loca illa obtecta; infans etiam contra ætatem locutus, quædam portentosa vaticinatus est, quæ postea euenere. His perturbationibus insistentibus, Simon filius Hugonis de Molisi apud Hiserniam vita decessit. Corpusq; eius ad hoc Monasterium delatum, atque in atrio Ecclesiæ B. Benedicti reconditum est.

CAPVT LXIII.

Robertus Anglorũ Rex.

HIS porrò diebus Robertus Rex Anglorum Legatos ad hoc Monasterium direxit, petens, vt pro se, atque pro statu Regni sui Domini clementiam exorarent, calicemq; aureum quantitatis non modicæ B. Benedicto per eos dirigere studuit. Eo etiam tempore Rogerius filius Landonis Caluensis Comitis ad hunc locum deueniens obtulit B. Benedicto in Sicilia, in loco vbi dicitur Melazzeti, Ecclesiam S. Andreæ iuxta flumen Platonion.

CAPVT LXIV.

PER hos etiam dies Alexius Imperator Nouæ Romæ Cõstantinopoleos, qui multa bona huic sancto cœnobio contulerat, & super omnia latini nominis Monasteria dilexerat, quadragesimoquarto anno Imperij sui, huius vitæ metas exoluit, & Ioanni Porfirogenito filio suo Orientaliũ Romanorum summam reliquit. Similiter & iam dictus Papa Paschalis à Beneuẽto Romam regressus, duodecimo Kalendas Februarias, vita decedit, & Ioannes Cancellarius, huius Cassinensis cœnobij à pueritia monachus, à Clero, Senatu, Populoq; Romano, in Gelasium Papam eligitur.

Paschalis Papæ obitus anno 1118. Gelasij II electio.

Talia dum Henrici Imperatoris venissent ad aures, festinus Romam aduenit, Nuntios ad eundem electum trãsmittere studuit; per quos ei direxit, quod si fidem quam Papæ Paschalis cum Imperatore fecerat obseruaret, & conuentiones, quæ inter Romanum Imperium, & sedem Apostolicam statu-

Digitized by Google

statutæ fuerant firmaret, Imperator confestim fidelitatem eidem electo, & Romanæ Ecclesiæ faceret, sin alias, alium Pontificem in Romana Ecclesia inthronizaret. Videns igitur idem electus rationes suas cum rationibus Imperatoris cõuenire non posse, per fluuium Tyberim mare ingressus, vna cum Episcopis, & Cardinalibus, alijsq, clericis Romanæ Ecclesiæ, necnon & Præfecto Romanæ Vrbis, multisq; alijs nobilibus Romanis aduenit Caietam. Hoc vbi Imperatori nuntiatum est, è vestigio Mauritium Bracarensem Archiepiscopum à Papa Paschali depositum, inuasorem Romanæ Ecclesiæ constituit. Supradictus autem electus Caietæ remorans in quadragesima Presbyter ordinatus, & ab eisdem Episcopis, & Cardinalibus in Papam Gelasium consecratus est.

Tunc temporis Capuanus Princeps Robertus, & Gulielmus Dux ad eumdem Pontificem in eadem ciuitate venientes, fidelitatem fecere. Deinde Capuam veniens, vna cum Episcopis, & Cardinalibus excommunicauit eumdem Imperatorem, vna cum prædicto inuasore, eorumq; complicibus. In festiuitate autem Paschali imposito sibi Romani orbis diademate, cum magna laude, & gloria ad Patris Benedicti Monasterium Capuæ situm venit, celebrataq; missa, sollemniter ad Episcopatum ciuitatis redijt, ornatis plateis, & arcubus Romano more. Post hæc idem Pontifex ad hoc Monasterium veniens, cum immenso honore, ac gaudio ab vniuersa congregatione susceptus est, atque per plurimos dies in hac Terra moratus est. Robertus interea Princeps exercitum congregans ad hoc Monasterium venit, Romam, sicut promiserat Pontifici, cum eo iturus: audiens autem quod Imperator oppidum, quod Turricula dicitur obsideret, Cassini substitit, vbi etiam Nuntios Imperatoris suscipiens, Capuam repedauit. Imperator interea cum oppidanis fœdus iniens Romam redijt, ibiq; diebus Pentecostes ab eodem Hæresiarcha coronatus, Liguriam redijt. Hoc vbi Pontifex supradictus agnouit Romam reuersus est, indeq; egressus ciuitatem Pisanam adijt, Ecclesiamq; inibi S. Mariæ, quæ ad Domum nuncupatur dedicans, primus in eadem Vrbe Archiepiscopatum instituit. In eadem verò ciuitate

Gelasius Cassinum venit.

Gelasius Pisanũ Archiepiscopatum instituit.

Digitized by Google

ſupradicto Pontifice perſiſtente, auctoritate eius, ac Petri Archiepiſcopi ciuitatis illius, oblata eſt B. Benedicto Eccleſia S. Silueſtri in eadem ciuitate Piſana, ab Odemundo, & filijs eius cum pertinentijs ſuis. Huic conceſſioni Lambertus Oſtienſis Epiſcopus, poſt autem Papa Honorius, cum alijs Cardinalibus interfuit. Exinde verò ſupradictus Pontifex diſcedens cum Epiſcopis, & Cardinalibus, Cluniacenſe cœnobium petijt, atque à ſupradicti loci Abbate honorifice nimis receptus, & ibi aliquamdiu remoratus, poſt paucos dies vita deceſſit, atque in eodem Monaſterio decenti eſt ſepultura reconditus.

Gelaſij obitus.

Cardinales igitur, videntes ſe tanto deſtitutos eſſe paſtore, conſilio habito, ne diutius Romana Eccleſia morſibus ſchiſmaticorum pateret, Guidonem Viennenſem Archiepiſcopum, regali ſtirpe progenitum, in rebus ſæcularibus, & Eccleſiaſticis apprime eruditum, ibidem ſibi in Papam Calliſtum præficiunt. Idem præterea Pontifex per aliquantum temporis ibidem remoratus, Roſcemmanumq. Cardinalem, & huius cœnobij monachum ex parte Italorũ, catholicæ dumtaxat parti fauentium, de ſua ordinatione conſenſum vnanimem per litteras excipiens, vna cum Epiſcopis, & Cardinalibus ad Monaſterium B. Mauri in Glãnofolio ſitum, & huic Caſſinenſi cœnobio ſubditum peruenit, rogatusq. à Monachis Caſſinenſibus, qui ſecum venerant, necnon à Girardo iam dicti loci Abbate, eiuſdem confeſſoris Chriſti Mauri Eccleſiam ſollemniter dedicauit, in qua etiam corpora ſanctorum Antonij, & Conſtantini, qui de hoc Caſſinenſi cœnobio ad Gallias cum B. Mauro perrexerant, cum maxima reuerentia poſuit, ſicq. Romam veniens à Clero, Senatu, Populoq. Romano honorifice ſatis ſuſceptus eſt.

Calliſti II electio.

Antonius & Conſtãtinus ſancti Mauri ſocij.

ADDITIO de Gelaſio ſecundo.

IN præfatione Bibliothecæ Cluniacenſis impreſſæ Pariſijs Anno 1614. hæc de Gelaſio ſecundo habentur. Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo decimonono, Pontificatus ſui anno primo, & die quinto, cum apud Matiſconem

Digitized by Google

tisconem proxima quadrageſima, Concilium Remis celebrandum adornaret, ibidem correptus graui morbo, decubuit: ſe Cluniacum lectica citius deferri iuſsit, accitis ad ſe Cardinalibus, orationem habuit, & omnibus Eccleſiæ ſacramentis ſuſceptis, iuxta normam monaſticam, ſtrato terræ corpore, quarto Kalendas Februarij, ſanctiſsime quieuit: rebus ijs, quarum cauſa venerat, plane infectis. Viſitur monumentum eius inter crucem, & aram, quæ eſt poſt chorum magnæ baſilicæ, marmoreum quidem illud, ſed ex lapide candido, opere Tuſco conſtructum. Vacauit ſedes biduo. Vir omni laude dignus, ſi vita ſanctiſsima, ſi mores integri, ſi denique ſacra doctrina ſpectentur. Petrus Pictauienſis (cuius res ei notæ erant) epitaphium ei poſtea ſcripſit: quod Lector videre poterit inter ipſius Pictauienſis verſus, operibus Petri venerabilis præpoſitos, in eadem Bibliotheca col. 617. & 618.

CAPVT LXV.

IO igitur tempore, cum iam ab Incarnatione Domini Annus viceſimus centeſimus, atque milleſimus volueretur, tam magni terræmotus in hac Terra facti ſũt, vt in Comino palatium dirueret, in Cucuruzzo Eccleſiam cum curia ſubuerteret, apud Bantram, Eccleſiam, Domos, & campanaria ad terram deijceret, multiq. ſub ipſa ruina interirent, & nunc quidem nouem, nunc decem & ſeptem, nũc viginti, & eo amplius, idq. per dies ſingulos ſentiremus. Ann. 1120. Terræmotus magni

Quo tempore Pater Benedictus cuidam Hiſpano apud Termulas, tribus vicibus viſibiliter in quodam triuio apparens, dixit: Vade dic Abbati, vt omnes, qui in ditionis ſuæ Terra habitant, diſcalciatis pedibus ad Monaſterium meum in Caſſino conſtructum, omnipotentem Deum rogaturi, cõuenire faciat, & ipſe vna cum Fratribus per omnes Monaſterij Eccleſias litanias faciant diſcalciatis pedibus. Increuere enim peccata hominum, & delicta eorum multiplicata ſunt valde, forſitan ignoſcet Deus delictis illorum, ac perficiet vota, & ſupplicationes ad eum. Percontatus quis nam Beatus Benedictus cuidam Hiſpano apparet.

Digitized by Google

nam esset, Fratrem Benedictum se esse respondit: Ille autem exurgens venit ad Abbatem, & quid viderit, vel audierit seriatim pãdit. Igitur cum iuxta Patris Benedicti præceptum sursum ad Monasterium omnes Deum rogaturi conuenirẽt, Diabolus claudi specie assumpta in deuexo montis latere illis factus est obuiam, dicens: Gloriosæ Virginis Mariæ Ecclesiam, maximamq; ciuitatis partem terræmotu dirutam esse, illi autẽ falsitati eius aurem accomodantes, & id quod cęperant ocius dimittentes, ad ciuitatem reuersi sunt, quodum venissent videntes illusionem diabolicam, alio die litaniam, quam stulte dimiserant discalciatis pedibus *implere* studuerũt. Igitur prima noctis vigilia magno *vltra modum* terræmotu facto, Fratres è stratis suis surgentes, *discalciatis* pedibus, flentes, & eiulantes ad Patrem confugiunt Benedictum, atque ante eius sacratissimum corpus preces ad Deum fundentes, per omnia Monasterij altaria litanias decantare cæperunt. Fidelis Dominus in verbis suis, qui inuocantes se, & de sua misericordia præsumentes exaudire promisit, nam supplicatio litaniæ à Fratribus explicita, ne vnus quidem lapis vlterius de hoc loco motus est. Hæc dum ad notitiam vicinorum circummanentium peruenissent, omnes ferè, qui in Principatu manebant, nudis vestigijs huc; B. Benedictum venere, omnipotentis Dei clementiam supplices postulantes, vt tanti Patris interuentu illis misereri dignaretur. Nec sunt frustrati sua æstimatione: nam confestim tremor terræ quieuit.

B. Benedicti meritis cessant terræmotus.

Hoc interea anno Robertus Capuanorum Princeps, cuius supra meminimus vita decedit, & Richardus filius eius à Capuanis in Principatũ substituitur: quo paulo post mortuo Robertus patruus eius illi in Principatu succedit.

CAPVT LXVI.

HVIVS Abbatis tempore in Campania Prouincia insigne miraculum factum est. In Comino, namq;, in castro, quod in honore sanctorum septẽ Fratrum constructum est, nobilis cuiusdam militis filius fuit, nomine Albericus, qui puer decimo anno nati-

Alberici pueri visio.

uitatis

tiuitatis suæ inchoante, languore correptus ad extrema perductus est, quo tempore nouem diebus, totidemq; noctibus immobilis, ac sine sensu, & velut mortuus iacuit, in quo spatio à B. Petro Apostolo, & duobus Angelis per loca pœnarum deportatus, ductus est ad os infernalis barathri, demum verò ductus ad Paradisum, vidit mansiones Sãctorum, & à B. Petro Apostolo sufficienter instructus, de veteri testamento, de pœnis peccatorum, & de perenni gloria Sanctorum, vitæ redditus est. Huius igitur visionem nosse, qui cupit rei seriem à Guidone huius Cassinensis cœnobij Monacho compositam relegat, quã, quia per omnium ferè ora voluitur, referre omisimus. Exinde vero idem Albericus, relictis, & spretis sæculi pompis, hoc Cassinense cœnobium petijt, atque à Patre Girardo gratanter nimis susceptus, & sanctæ cõuersationis habitu indutus, Christo vero Regi militaturus cum cæteris Fratribus est aggregatus. Tanta vero vsque in hodiernum abstinentia, tanta morum grauitate pollet, vt pœnas peccatorum perspexisse, & pertimuisse, & gloriam Sanctorum illum vidisse nemo dubitet. Non enim carnes, non adipem, non vinum ab illo tempore vsque nunc, Deo annuente, sumpsit, calciamentis nullo penitus tempore vtitur, & sic in tanta cordis, ac corporis contritione, & humilitate, vsque in hodiernum in hoc Cassinensi cœnobio perseuerat, vt multa illum, quæ alios latèrent, vel metuenda, vel desideranda vidisse, etiam si lingua taceret, vita loqueretur.

Albericus fit Monachus.

His porrò temporibus Petrus Diaconus, Anno Dominicæ Incarnationis quintodecimo centesimo, atque millesimo, primo ætatis suæ lustro, à parentibus suis B. Benedicto oblatus, & à iam dicto Girardo Abbate susceptus, & habitu sanctæ conuersationis indutus, atque sub eodem Abbate per annos bis quatuor eruditus, vicesimoprimo anno ætatis suæ, scripsit ad Oderisium secundum supradicti Girardi successorem, passionem beatissimi martyris Marci, & sociorum eius: vitam egregij confessoris Fulconis; passionem sanctissimi martyris Placidi discipuli B. Patris Benedicti, & vitam S. Apollinaris Abbatis ad Reuerendissimum Raynaldum patrem: vitam sanctorum Guinizonis, & Ianuarij ad Richardum

De Petro Diacono Cassinensi Ann. 1115

Præfati Petri lucubrationes

chardum Monachum Cassinensem: vitam S. Constantij Episcopi, & confessoris ad Guarinum Episcopum Aquinensem: vitam S. Seueri Episcopi Cassinensis ad Senioretum Abbatem, Rythmum de nouissimis diebus. Destructionem, & restaurationem ciuitatis Atinæ, & inuentionem corporis B. martyris Marci descripsit: vitam S. Dariæ vxoris S. Nicandri: scripsit etiam sermones multos: librum illustrium virorum cœnobij Cassinensis ad Pãdulfum Theanensem Episcopum. Miracula Cassinensium Monachorum, quæ scripta ad huc minime erant descripsit. Ortus, & vitas iustorum cœnobij Casinensis. Chronicon cœnobij Casinensis à renouatione Ecclesiæ B. Martini à Desiderio facta *vsque ad* hunc diem. Solinum de miraculis breuiauit. De generibus lapidum pretiosorum ad Conradum Imperatorem librum exarauit. Expositionem super regula S. Benedicti componens in quatuor libros diuisit. Scholias in vetus testamentũ. Epistolas plures ad diuersos: vitam sancti Papæ Leonis exarauit. Fecit & prologum in librum priuilegiorũ huius Monasterij. Hymnos duos in laudem S. Iustæ virginis, & martyris dictauit. Miracula sanctorum martyrum Marci, Nicandri, & Marciani exarauit. Hymnos sex in eorum laude composuit. Cantus B. martyris Marci dictauit. Exhortatorium ad Monachos, in quo ostendit, quid custodire, quid cauere debeant. De septem vitijs, & virtutibus. De septem petitionibus. De Rebecca, & Isaac. De Rege Ozia, & Sacerdotibus. De Moyse, & via trium dierum, ac tribus temporibus. De visione Isaiæ. Librum salutationum, exhortationum, & opprobriorum. De terra repromissionis Itinerarium ex omnibus veteribus libris collegit: multaq; alia scripsit, quæ longum esset recensere.

Chronicon Casinense.

CAPVT LXVII.

SVB iam dicto Abbate Girardo, Gũnarius Sardorum nobilissimus, parentum suorum Baresonis, & Torchitorij Regum vestigia sequens, cum licentia Archiepiscopi sui, obtulit B. Benedicto Ecclesiam S. Petri in Nurci, & S. Nicolai, ac S. Ioannis, & S. Petri in Nugulbi

Digitized by Google

bi, & S.Heliæ, ac S.Ioannis in Setin, cum omnibus pertinentijs earumdem Ecclesiarum ad vtilitatem vestimentorum nostrorum. Id ipsum fecit, & Furatus de Gytil cum voluntate eiusdem Archiepiscopi, & Episcopi sui Boni de Ecclesia S.Nicolai in Solio, & S.Mariæ cum pertinentijs suis. Sed & Comita Sardorum nobilissimus, tunc tẽporis ad hoc Monasterium veniens, chartam fecit huic loco de Ecclesia S. Michaelis in Ferrucesi cum attinentijs suis. Pari etiam modo Marianus de Zori obtulit in hoc loco Ecclesiam S.Georgij in Banarcata, cum omnibus, quæ tunc temporis habere videbatur. Huius exemplo ducta Muscunionia chartam fecit de domo sua in Solio cum seruis, & ancillis, & omnibus rebus suis. Susanna etiam illam ad bonum æmulata obtulit B.Benedicto domum suam in Yseano, & in Mulana, & in Cortina, & in Mirra, & in Amendula cum seruis, & ancillis, & omnibus suis. Vera quoque filia Gunnarij de Thori, cõcessit similiter in hoc loco domum suam in Coquina cum seruis, & omnibus, quæ habere videbatur. Id ipsum & Constantinus de Ceruia fecit oblationis chartulam de Ecclesia S.Petri in Symbrano cum omnibus pertinentijs suis.

CAPVT LXVIII.

Callistus Papa venit Cassinum.

TVNC temporis præfatus Papa Callistus vrbem egressus, venit ad hoc Monasteriũ, & à prædicto nostro Abbate cum ingẽti honore susceptus, die illo missam sollemniter celebrauit, atque in hac Terra per duos ferè menses est remoratus. Quem videlicet Pontificem, noster Abbas honorifice nimis sustentauit, & in omnibus necessitatibus eius strenue satis deseruire curauit. Inde vero Beneuentum veniens, in Apuliam vsque descendit, ac more antecessorum suorum à Duce Gulielmo fidelitate recepta, Romam reuersus est. Dehinc verò exercitum congregans, Mauritium Hæresiarcham in ciuitate Sutrina obsidens, cæpit, & in Arce huius Monasterij, quam idem Abbas à fundamentis construxerat, exilio relegauit. Hic autem Reuerendissimus Pontifex dum Beneuenti resideret, roga-

Digitized by Google

Calliſti priuilegiũ

rogatus ab eodem Abbate noſtro, vel Fratribus, Eccleſias S.Petri, & S.Nicolai de Nugulbi, S.Heliæ in Setin, & S.Petri in Nurci, quas vir illuſtriſſimus Gunnarius, de quo ſupra retulimus B.Petro obtulerat, & poſtmodum eiuſdem Pontificis iuſſu B.Benedicto conceſſerat, per Apoſtolicæ ſedis priuilegium congregationi noſtræ in perpetuum confirmauit, vt de ipſarum Eccleſiarum redditibus, prout facultas miniſtrauerit, indumenta ſemper huic noſtro conuentui præparentur. Saluo nimirum cenſu quatuor ſolidorum Papienſis monetæ ſingulis annis Lateranenſi ſacro palatio perſoluendo. Adijciens inſuper, vt poſſeſſiones, & dona *omnia, quæ* ſupradictus Gunnarius B. Benedicto contulit, *vel collaturus* eſt, omnia ſimiliter in neceſſitate veſtimentorum in perpetuum conſeruentur: & ſi quis eiuſdem Gunnarij oblationes auferre, vel minuere, aut à conſtituta veſtimentorum præparatione huius ſancti Caſſinenſis conuentus ſubtrahere, vel mutare præſumpſiſſet, anathemate plecteretur. Idem præterea illuſtri viro Gunnario, vxoriq; eius Helenæ litteras direxit, gratias agens ſimul, & monens, ac in remiſſionẽ peccatorum illis iniungens, vt in eo, quod cæpiſſent conſtãtius permanerent, Romana enim ſedes, & Eccleſias, & donum, quod noſtro cœnobio fecerant ſua auctoritate firmauerat. Pari etiam modo litteras Vulterano Epiſcopo deſtinauit mandans; quoniam ſpecialiter hoc Caſſinenſe cœnobium ad protectionem Romanæ ſpectaret Eccleſiæ, vt donum, quod B.Benedicto ab illuſtri viro Gunnario, & vxore eius factum fuerat, pro B.Benedicti reuerentia, quietum, & ab omnium infeſtatione liberum faceret permanere, *quia* Apoſtolica ſedes donum illud ſcripti ſui auctoritate firmaſſet, & Eccleſias, quas Gunnarius cum vxore ſua Helena B.Petro obtulerant, huic noſtro cœnobio ex Apoſtolicæ ſedis liberalitate conceſsiſſet. Nollet ergo, vt per quorumlibet violentiam ſubtraherentur, vel infeſtarentur, ſed omnia quiete, & libere ad Caſsinenſium vtilitatẽ conſeruarentur.

CAPVT LXIX.

FACTVM eſt autem dum idem venerabilis Papa apud Beneuentum maneret, Otto Capuanus Archiepiſcopus conque-

Digitized by Google

cõquestus est Capuanam Ecclesiam spoliatam tribus Ecclesijs, quæ essent iuris S. Stephani, quas hæc Casinensis Ecclesia possideret, scilicet S. Benedicti Pizzuli, S. Angeli ad Odaldiscos, & S. Ruffi, quarũ sibi possessiones restitui per Romanam curiam postulabat. Ad hæc noster Abbas respondit: Casinensem Ecclesiam, eiusq; ministros Capuanam Ecclesiam non expoliasse, asserens se de prænominatis rebus, pro quibus impetebatur multiplici ratione munitum, tam instrumentorum, quàm legitima, & inconcussa temporis detentione: ostendens insuper quod appellatio, quæ à parte Archiepiscopi facta fuerat, neque canonica esset, neque legitima, idq; pluribus, & euidentibus rationibus asserebat. Cumq; inter vtramque partem diu super hoc decertatum fuisset, Apostolicus præcepit, vt rationes, quas noster Abbas habebat ostenderet. Tridui igitur dilatione concessa, iterum nostra, illiusq; pars curiam adeuntes, de eisdem quæstionibus causa denuo ventilata est. Verum vbi à parte Archiepiscopi nulla ratione, neque canonica, neque legitima posset ostendi, quod Casinense Monasterium prædictarum Ecclesiarum possessionem ei restituere, cum constaret Capuanam Ecclesiam à Casinensi non fuisse expoliatam, atque in hoc prolixius immoratum esset, iussit tandem prædictus Papa sibi rationes nostri cœnobij ostendi. Quibus exhibitis, & diligenter à Cardinalibus, clericisq; Romanis studiose relectis, & perspectis, qualiter illas Richardus Princeps, & Iordanus filius eius huic cœnobio concesserant, & præcepto suo firmauerant: Pontifex accepto consilio, tum pro multimodis rationibus instrumentorum scilicet & temporum, tum pro priuilegijs Romanorum Pontificum, huic nostro cœnobio concessis, præcepit prædictarum Ecclesiarum possessiones apud hoc Monasterium, prout tunc fuerant, remanere.

CAPVT LXX.

HOC præterea tempore in eiusdem Apostolici præsentia, prædictus noster Abbas proclamationem fecit de Ecclesia S. Mariæ in Cingla, quam à iure huius cœnobij Raynulfus

S. Maria in Cingla

nulsus Comes violenter abstulerat, & Ecclesiæ S. Mariæ de Capua subiugauerat. Tunc Pontifex Abbatissæ S. Mariæ de Capua litteras dirigere studuit, præcipiens, vt quinta feria post octauas Pentecosten, se sedi Apostolicæ præsentaret, & ius Ecclesiæ suæ, præsentibus Episcopis, & Cardinalibus, Romano Pontifici ostenderet. Illa autem muliebri furore exæstuans, ad Pontificis curiam nequaquam ire, eiusq; præceptis nullo pacto se obedire respondit: quod dum supradicto Papæ nuntiatum fuisset, litteras ad eam direxit mandans, quod in nostri Abbatis quærimonia super Cinglensi Ecclesia subterfugium quærere iam videretur, nam *secundis* transactis terminis, ad iudicium minime veniisset, *neque* personas pro se rationabiles direxisset. In his tamen omnibus Romana Ecclesia hactenus sibi, & Monasterio suo peperciſſe, sed diutius causæ huius discussionem protendere non valeret, omni ergo occasione sepposita, Pontificis conspectui se repræsentaret, vel tales pro se personas dirigeret, quæ vice sua negotium illud sufficienter valerent pertractare. Alioquin Romana Ecclesia Casinensi cœnobio de Cinglensi Ecclesia restitutionem, cooperante Domino, faceret. Tali igitur Abbatissa conuentione perterrita, accedit ad Comitem Raynulfum, rogat, obsecrat, vt pro se Romano Pontifici litteras mittat. Annuit illius voluntati Comes, & vt ab Abbatissa rogatus fuerat, supradicto Papæ litteras mittit. Relectis igitur supradicti Comitis litteris Pontifex, eius petitioni assensum præbuit, & terminum ei dedit mandans eidem Comiti, vt nullum super hoc impedimentum faceret, quin negotium illud suo tempore decideretur. Nisi enim Abbatissa termino constituto sedi se Apostolicæ repræsentaret, vel personas pro se idoneas mitteret, ipse Casinensi cœnobio restitutionem de Cinglensi Ecclesia faceret. Adueniente autem termino, Abbas noster Romam perrexit, iustitiam nostri cœnobij recipere cupiens, simul etiam, & munimina nostra secum deferens. Abbatissa verò Nuntium destinare, vel pro se ire omnino negauit.

Tùm Papa cum Episcopis, & Cardinalibus consilio habito eidem Abbatissæ litteras misit. Quas cum illa contempsisset, & Ecclesiam Cinglensem omnibus mobilibus spoliasset,

Digitized by Google

set, Romanus Pontifex Apostolicæ sedis iniuriam non amplius ferens, mandat Comiti Raynulfo, vt infra viginti dies postquam Apostolicas litteras accepisset, Cassinense Monasterium de Cinglensi Ecclesia in integrum reinuestiret, neque interim eiusdem Ecclesiæ bona diripi à quibuslibet, vel auferri permitteret. Quod si ipse quoque Apostolici mandati contemptor existeret, qui spoliationis huius causa, & principium extitisset, in persona, & in totam terram ipsius excommunicationis sententiam, auxiliante Domino, proferret. Suscipiēs igitur Apostolicas litteras Comes, Abbatissam euocat, quid sibi à Papa mãdatum sit oer ordinem pandit. Illa verò facibus succensa fœmineis Principem, & Comitem, vniuersosq; illorum satellites, rogat, poscit, obsecrat, vt Comitem flagitent, vt contra Papæ sententiam tueri Abbatissam studeat, vtq; in tanto articulo temporis subueniat modis, ac nisibus, quibus valet exorat. Remuneratus itaq; Abbatissæ pecunia Comes, illam contra Papæ sententiam, pro suo posse tueri promittit. Quod dum supradicto Pontifici relatum fuisset, mandat Comiti, quia cum ipse B. Petri, & Papæ fidelis esset, Romana Ecclesia vera eum dilectione diligeret, & inter alios strenuos, & illustres viros personam ipsius præcipuè dilectionis brachijs amplexaretur, & nisi per eum remaneret, id ipsum deinceps facere præoptaret: propter quod tunc vsque Ecclesia nihil egisset in quo grauari à sede Apostolica videretur. Præciperet ergo, vt omni penitus dilatione, & occasione postposita, Cassinensem Abbatem de Cinglensi Ecclesia, & de possessionibus eius faceret reuestiri. Quod si contra hoc ire præsumpsisset, ipse eidem Comiti diuina officia, & omnium Ecclesiarum introitum interdiceret, & ad viginti dierum terminum constitutum, personam ipsius excommunicaret, donec Casinensem Abbatem de Cinglensi cella plenarie reuestiret. Pari etiam modo litteras Ottoni Archiepiscopo Capuano direxit, præcipiens vt Alferadam Abbatissam, vt depositam, & excommunicatam haberet, & in eodē B. Mariæ Monasterio nullum diuinum officium celebrare permitteret, datam à Romano Pontifice interdictionis, & excommunicationis sententiam per suam Parrochiam nuntiari, &

Digitized by Google

teneri faceret; clericis vero,& laicis omnimodo prohibuit, ne contra ſuum interdictum Eccleſiam ipſam ingredi, aut cum excommunicatis participare vllatenus præſumerent. Comes interea Raynulfus ægreferens ſe pro fœminea ſuperbia excommunicatum, & ab omnibus diuinis myſterijs ſeparatum, Apoſtolici voluntatem ſe impleturum ſpopondit, ſi Caſſinenſium Fratrum munimina perſpicere poſſet. Relictis igitur in præſentia Papæ Calliſti, & omnium Epiſcoporum, & Cardinalium antiquis, & authenticis noſtri cœnobij chartulis: idem Comes coram Ioanne Cardinali *tituli* S.Euſebij.& Hermanno Romanæ Eccleſiæ Subdiacono,*reddidit* B. Benedicto totum ex integro prædictũ *S.Mariæ Mo*naſterium cum omnibus pertinentijs ſuis, quæ tempore patris ſui tenuit, chartulamq; renuntiationis, & reſtitutionis exinde conſcribi faciens, illamq; propria manu roborans, ſuper altare B.Benedicti poſuit, violatoribus illius decifionis mille librarum auri pœnam indicens.

CAPVT LXXI.

HOC interea anno Sparanus Abbas de Monaſterio S.Martini in Arci, ad hunc locum veniens, obtulit B Benedicto eãdem Eccleſiam S.Martini cum pertinentijs ſuis. Id ipſum fecit, & Rao de Banterone cum Auriſtella vxore ſua de Eccleſia S.Petri ſita in finibus Coſentiæ, in loco qui vocatur Guarano, & Eccleſia S. Martini, loco qui dicitur Cupplatu cum omnibus pertinentijs illarum. Similiter etiam Milo, & Litulfus filij *Bernardi* de Aquino, & Milo filius Milonis ad hoc Monaſterium venientes, obtulere B. Benedicto nouem familias hominum, ſibi pertinentium in oppido, quod Peſmontis dicitur, & in villa ſanctæ Luciæ.

CAPVT LXXII.

TVNC temporis, cum Fratres Monaſterij Capuani quemdam ægrotum iam ferè morti proximum monaſticum habitum induiſſent, clerici Capuanæ Eccleſiæ cum armata

Digitized by Google

armata manu illuc conuenientes, eum iam defunctum reperiunt, & stimulis nequitiæ debriati, monastico habitu illum spoliantes, eadem indumenta, quibusq; ambulantibus conculcanda in platea proiecerunt. Quod vbi Papa Calliſtus agnouit, Capuano Archiepiscopo præcepit, vt inauditam, & nouam tantæ temeritatis præsumptionem, sic per Dei gratiam corrigeret, ne aliquatenus talia agere præsumerent, neque idem Archiepiscopus in hoc Dominum, & Romanam Ecclesiam offenderet, & quia Cassinense Monasterium Romanæ Ecclesiæ iuris esse sciret, loca ei pertinentia, nec per se, nec per suos vllatenus inquietaret. Ab hoc etiam venerabili Papa, prædictus Abbas priuilegium de omnimoda loci istius libertate recepit, adijciens insuper, vt si qui huius nostri Monasterij, vel cellarum eius possessiones, aut res violenter auferrent, postquam Episcopi ipsorum à nostro Abbate commoniti, iustitiam de eis facere omninò noluerint: Abbas super eosdem raptores, secundo, tertioue commonitos, canonicam excommunicationem proferat. Calliſti Papæ priuilegium.

Quo etiam anno peccatis exigentibus, Capuana ciuitas igni tradita est, & tota ferè ciuitate consumpta, S. Benedicti Monasterio ignis vndiq; minabatur. Fratres autem humanis rebus diffidentes, & in solo Dei adiutorio sperantes, corporale calicis sumentes, extra Monasterium in medio ignis posuerunt. Mirum immodum reuersus ignis, vltra propius accedere non audebat. Ciuibus etiã omnibus quædam manus à Monasterio ignem propellens visa est: corporale vero prorsus ab ignis iniuria illæsum mansit, præter qđ causa testimonij eius in medio foramẽ paruum factum est. Capuanæ Ciuitatis incẽdium. Miraculũ.

CAPVT LXXIII.

HIC interea Abbas, cum apud Beneuentum in Apostolici seruitio permaneret, & certo certius brachium S. Apostoli, & Euangelistæ Matthæi in eadem ciuitate reconditum esse didicisset: ad se iam dicti brachij custodes conuocans, qualiter, vel quo ordine eiusdem S. Apostoli brachium habuissent percontari studiosissime De brachio sãcti Apostoli, & Euãgelistæ Matthæi.

Digitized by Google

ſiſſime cæpit; Qui dum retuliſſent, qualiter illud ſecum Robertus Dux detuliſſet in expeditione, quam contra Alexium Imperatorẽ habuerat, ac demum cappellanis ſuis ad mortem reliquerat, ipſiq; poſtmodum in die obitus ſui ſibi dimiſerant, Abbas monere illos attentius cæpit, vt tanta pignora Caſſinenſi cœnobio conferrent. Illi autem ocius ſe hæc adimplere fatentur, ſi Abbas illos quacumque hora ad conuerſionem venire vellent in hoc Monaſterio reciperet. Quod cum Abbas libentiſſime ſe impleturum ſpopondiſſet, illi confeſtim ſanctas reliquias ad hunc locum ferendas eidem Abbati contradunt. Suſcipiens igitur idem Abbas ſanctas reliquias, diuq; deoſculans, per huius noſtræ congregationis Fratres ad hoc Monaſterium tranſmittere ſtuduit. Ad cuius aduentum omnes, qui hanc terram inhabitabant, cum ingenti deuotione, & gaudio obuiam proceſſerunt; ſanè cum hæc ad huius noſtræ congregationis notitiam peruenisſent, inæſtimabili exultatione repleti, ac ſollemnibus veſtimentis induti, cum lampadibus, & thimiamatibus, vſque ad portam veterem exierunt, ac terræ proſtrati, ſanctũ Euangeliſtam adorauerunt, ſurgentesq; cum maxima reuerentia deoſculati ſunt, & cum hymnis, & laudibus, illud in Monaſterium introducentes, atque argentea capſa, turrium inſtar aptata, ſanctum brachium redudentes, in argentea
Ann. 1122 trabe ante B. Benedicti altarium ſuſpenderunt. Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo viceſimoſecundo.

ADDITIO.

De ſancto Berardo Monacho & Epiſcopo Aprutino.

HOc eodem anno decimoquarto Kalendas Ianuarij (vt refert Baronius tom. 12. Annal.) Calliſti Papæ ſecundi anno quarto, migrauit ex hac vita S. Bernardus (ſiue Berardus) Epiſcopus Aprutinus ſeptimo ſui Epiſcopatus anno, huius temporis lucerna ſuper candelabrum poſita ardẽs, & lucens in Eccleſia Dei. Hic enim ex monacho Benedictino ad Epiſcopatum inuitus aſſumptus, egregia claruit ſanctitate, illuſtratusq. eſt miraculis, vt eius res geſtæ tunc ſcriptæ declarant. Hæc Baronius. Cui adſtipulantur acta eiuſdem ſancti à Reuerendiſſimo Patre Vincentio de Monte ſancto Epiſcopo

Digitized by Google

Episcopo Aprutino, ex scriptis antiquitus reconditis & conseruatis in scrinio Cathedralis Ecclesiæ Aprutinæ, in lucem edita, impressaq. Venetijs apud Ioannem Antonium Rampazettum, anno millesimo sexcentesimoprimo. Fuit autem S. Berardus ex illustri genere Comitū Pallæ aureæ, qui cum toto suę pueritiæ tempore Christo adhæsisset, in Monasterio montis Cassini almifici Patris Benedicti habitum suscepit. In quo priores (regularium mandatorum obseruantia) transcendere videbatur. Et cum seipsum alijs imperfectiorem existimaret, æmulabatur in dies (vt ait Apostolus) charismata meliora. Quamobrem ad Monasterium S. Ioannis in Venere (in quo tunc dictæ sacræ Religionis vigebat obseruantia) superiorum beneplacito transiuit. Ibiq. virtutibus, ac vitæ sanctitate adeo resplenduit, vt eius fama non solum ad adiacentes Prouincias, verum etiam ad exteras nationes aduolauerit. Interea mortuo Vberto Aprutinorum Episcopo, conueniētibus in vnum Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, vniuersisq. ferè clericis, & proceribus Aprutinis (iuxta morem dictę Ecclesię) vnanimiter eum in Episcopum elegerunt, electione autem prædicta per summum Pontificem confirmata, de Monasterio illum (licet nimis reluctantem) extrahentes, ad Episcopalem pertraxerunt sedem. In qua ita se gessit, vt suę professionis obseruantiam minime præteriret, (& dēptis corporis necessitatibus) pastorali curæ totum vitæ suæ tempus daret. Pater erat præcipue pauperum, & miserabilium, afflictorumq. solatium. Cumq. singulari cordis simplicitate, pietate, ac charitate pastoris functus esset officio, anno Domini millesimo centesimo vigesimosecundo, sui vero Præsulatus anno septimo, decimoquarto Kalendas Ianuarij, á Domino vocatus, cœlos aduolauit.

Erat Paschalis secundus.

Antequam Cassinum proficisceretur, suis bonis dotauit Monasterium S. Saluatoris de Castellis Ordinis S. Benedicti, in eodem Pallæ aureæ Comitatu situm, quod destructum fuerat, & à Bernardo, & Benedicto Abbatibus cęperat renouari & restaurari. Extat de his diploma Paschalis secundi in fauorem præfati Monasterij S. Saluatoris, sub datum Beneuenti per manus Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, duodecimo Kal. Maij, Indictione decima, Incarnationis Do-

Monasterium S. Saluatoris de Castellis.

Digitized by Google

minicę, Anno milleſimo centeſimo decimoſeptimo, Pontificatus eiuſdem Paſchalis ſecundi anno decimooctauo, tenoris ſequentis.

Paſchalis Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto nobis in Chriſto filio Amico Abbati venerabilis Monaſterij Eccleſiæ S. Saluatoris de caſtro Caſtellorum nullius Diœceſis, vallis Siciliane, in Prouincia Aprutij, Fratribusq. & ſuis omnibus ſucceſſoribus regulariter promouendis in perpetuum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Diuinis præceptis, & Apoſtolicis monitis informamur, vt pro Eccleſiarum omnium ſtatu impigro vigilemus affectu. Noſtris quidem diebus tam pro tua, quàm pro tuorum prædeceſſorum Bernardi, & Benedicti Abbatum induſtria, Monaſterium ipſum S. Saluatoris in dicta Prouincia vallis Siciliane renouatum, & reſtauratum extitit: ac bonis mobilibus, & ſtabilibus, feudalibus, & burgenſaticis, montaneis, montibus, ſiluis, paſcuis, herbagijs, molendinis, aquis, aquarumq. decurſibus, colle&is S. Mariæ, vaſſallis, vaſſallorumq. redditibus, fructibus, cenſibus, & prouentibus omnibus hæreditario iure relictis, & donatis pro dote, & dotis nomine à venerabili Fratre noſtro Berardo, nunc Epiſcopo Aprutino, de Comitibus Pallę aureæ; & per eumdem dotatum ornatum, & communitum, ac per nos præſtante Domino, dedicatum, & approbatum. Hoc igitur venerabile cœnobium iuxta petitionem tuam, & Fratrum tuorum, præſentis noſtri decreti pagina communimus: vti (ſicut à prædeceſſoribus noſtris ſtatutum fuiſſe dignoſcitur) ſemper Apoſtolicæ ſedi ſubditum, abſque vllo medio, ſub eius perpetua protectione futuris temporibus iugiter ſeruetur, tam in capite, quàm in membris acquiſitis, & acquirendis. Itaq. nulli Epiſcoporum, & præcipuè Pennenſi, liceat ſpiritu prauitatis dictum Monaſterium temerè perturbare, ſeu eius poſſeſſiones auferre, minuere, vel vexationibus fatigare; ſeu Abbatem, Sacerdotes, & Monachos ſuæ ditioni ſubijcere, contra id, quod ab origine ordinis ſtatutum eſſe dignoſcitur. Imò priuilegia, & libertates eidem Monaſterio à nobis, & Apoſtolica ſede indulta, ac eius conſuetudines rationabiles, & antiquas firmas, & liberas volumus ab vniuerſis perpetuis temporibus obſeruari, ita quod conceſſa eidem valeat perpetua

Digitized by Google

petua tranquillitate gaudere. Ergo tibi dilecto in Chriſto filio Amico Abbati (quem nuper præſtante Domino in noſtra Romana curia Presbyterum Cardinalem fecimus, & conſecrauimus) Monaſterium, & Eccleſiam ipſam cum iuribus, rationibus, & actionibus ſuis conferimus, & aſsignamus, tuisq. ſucceſſoribus regulariter promouendis in perpetuum, cum omnibus Eccleſijs, Præpoſituris, Dignitatibus, Grangijs Cappellis, Hoſpitalibus, rebus, & bonis alijs omnibus, prout inferius continetur, videlicet Eccleſia S. Petri de Aquauiua, S. Ioannis, & S. Ruffina in Faiano, Præpoſitura S. Andreę ad Collem græcum cum omnibus ſuis. Præpoſitura S. Luciæ ad Collem aureum cum omnibus ſuis, S. Marię de Riuo nigro, S. Andreę de Coſtis, S. Lucię de Benedictis, S. Siluestri de Coſſeto, S. Marię de Mortaro, S. Maximi de Palla aurea, & Cappella intus caſtrum Pallę aureę, S. Euſanij de Batutis, S. Laurentij in Coſtauerte, S. Angeli de Pennino, cum toto tenimento circumcirca, à Riuo Caſtellarij vſque ad Collem S. Michaelis, & flumen Conocbię cum omnibus ſuis, S. Marię de Receepto cum Turri, & planitię ipſius recepti, vſque vbi iunguntur riuula cum flumine, cum omnibus ſuis, S. Martini, S. Andreę, S. Marię de Pratis, S. Marię ad Lucum, in pertinentijs caſtri Biffari cum omnibus ſuis, S. Marię de Podio, S. Aegidij, & S. Leonardi cum omnibus ſuis, S. Marię de Montanea Sigellę cum Hoſpitali eius, ſita in confinibus Caſtri montis, cum herbagijs, paſcuis, ſiluis, montibus, & omnibus alijs circumcirca dictam Eccleſiam, prout ex dote tenet, & poſsidet, cum tenimentis ſuis antiquis confinibus limitatis, videlicet Confine primo vſque ad ſcalatam, Confine ſecundo vſque ad fontem fiſtulę, Confine tertio vſque ad Vetecam, Confine quarto vſque ad Aram poli, cum arboribus fructiferis, & infructiferis, vineis, oliuetis, & alijs bonis tam in ciuitate Pennæ, & dicto Caſtro montis, quam in caſtro Caſtilionis Raimundatij, & alibi vbiq. locorum. Eccleſia Saluatoris in caſtro S. Georgij ad actum pium, cum turri dicti caſtri, & alijs poſſeſsionibus, & terris donatis, & relictis eidem Monaſterio per quondam nobilem Aitonem Pium regulari eiuſdem Monaſterij habitu vita functum, pro quinta parte eiuſdem caſtri: S. Flauiani, & S. Laurentij de

Digitized by Google

Biſento, S. Flauiani, & S. Mariæ de Bulgaris de Baſciano, cum Caſtris, Caſalibus, villis, cellis, grangÿs, montaneis, ſiluis, fagis, nemoribus, paſcuis, fidis, & diffidis, collectis, vaſſallis, molendinis, aquis, aquarumq. decurſibus, & alÿs omnibus iuribus, & actionibus, bonis feudalibus, & burgenſaticis ad Monaſterium ipſum conceſsione Pontificum, liberalitate Regum, & Principum oblatione fidelium, ſeu quibuſuis alÿs iuſtis modis in præſentiarum tenere, & poſsidere dignoſcitur, ſeu impoſterum acquiri contigerit, firma tibi, tuisq. ſucceſſoribus in dicto Monaſterio, & illibata permaneant, perpetuis temporibus annexata decernentes. Obeunte autem te eiuſdem loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibidem qualibet ſubreptionis aſtutia, vel violentia præponatur, niſi quem Fratres de communi conſenſu, vel Fratrum pars conſilÿ ſanior, ſecundum Dei timorem, & B. Benedicti regulam, de ſuo, vel de alieno collegio elegerint. Chriſma, olcum ſanctum, extremæ vntionis, conſecrationem altarium, munus benedictionis Abbatum, ordinationes monachorum, & cetera huiuſmodi à quocumque malueritis catholico, communionem S. R. E. habente, accipietis Epiſcopo. Interdicimus ne quis Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ex eodem Monaſterio Abbatem, Monachum, vel Sacerdotem aliquem ad ſuam Synodum prouocare, vel excommunicare præſumat, nec miſſarum ſollemnia ibidem celebrare, niſi ab Abbate fuerit inuitatus. Clericos, & laicos regularem veſtri ordinis habitum poſtulantes ſuſcipiendi, nullius contradictio vos inhibeat. Liceat inſuper Monaſterio, & locis veſtris ſignificare horas operis Dei, tam in die, quàm in nocte quandocumque volueritis. Concedimus quoque tibi tuisq. ſucceſſoribus iudicare non ſolum tui Monaſterÿ monachos, ſed etiam omnes clericos, & laicos in cunctis locis eiuſdem Monaſterÿ iuriſdictione ſubiectis, habitantes. Auctoritatem inſuper caſus omnes abſoluendi, præter illos, pro quibus eſſet merito ſedes Apoſtolica conſulenda. Sepulturam quoque & cetera obſequiarum iura, tam in capite, quàm in membris libera dicti Monaſterÿ eſſe concedimus. Ad hæc pro ſpeciali ipſius Eccleſiæ dilectione, quam noſtris manibus ſuperna dignatio voluit conſecrari, & dedicari ad honorem altiſsimi Dei, & Domi-

Digitized by Google

Domini nostri Iesu Christi (cuius reliquias ibidem recondimus) mitræ, crocia, chirothecarum, ac sandaliorum in præcipuis festis vsum inter missarum sollemnia in conciliorum confessu, quocumque interueneris inuitatus, aut requisitus : calicum consecrationem, linteaminum, & cæterarum missalium vestium benedictionem, ex Apostolicæ sedis gratia, & benignitate, tibi tuisq. successoribus in dicto Monasterio concedimus, & perpetuo confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c.

Plura quidem continentur in eo diplomate, sed nos hęc tantum describenda duximus, tum propter honorem S. Berardi, qui illud dotauit, tum vero propter dignitatem ipsius Monasterij, cui nos (quamuis indigni) concessione sanctę sedis Apostolicę præsumus.

CAPVT LXXIV.

EODEM quoque anno, quidam Claudus de territorio Turonensi, orationis gratia montem statuerat adire Garganum. Cumq; Aquinatem deuenisset ad vrbem, intempestæ noctis silentio quiescenti ei, Beatissimus Pater Benedictus apparuit, dicens : Surge velociter, & castrum pete Cassinum, ibiq; ante corporis mei præsentiam sanitatem sine dubio percipies. Tum Claudus. Quis es tu, qui tanta nobis, taliaq; promittis ? Et Legislator ad hæc : omni dubitatione sepulta noueris me esse Fratrem Benedictum Cassinensis cœnobij Fundatorem. Et his dictis disparuit: Claudus vero confestim exurgens, rem gestam, socijs per ordinem pandit. Illi vero visioni fidem derogantes, vt diuersi diuersa sentire. Alij namq; dicebāt, fallacibus somnijs credere nullum debere, nam multos errare fecerunt somnia. Nonnulli autem, quorum fides sanior, ac deuotior erat, cēsebant à Benedicto Patre sanctissimo promissum beneficium expetendum. Tunc Claudus exurgēs ad montem celeri gradu, ac nisu, quo poterat ascendit Cassinum. Cumq; in Ecclesiam Benedicti Patris corpore, & nomine consecratam ingressus

Ann. 1123

S. Benedictus claudum sanat

ingressus fuisset, & ante columnam argenteam, in qua cereus magnus ponitur peruenisset, Benedicti confestim suffragantibus meritis cœpit in pristinum Claudus restitui gradum.

Tunc Andreas Mansionarius, qui eo die Ecclesiæ curam gerebat, Claudum votiferantem audiens, ad eum celeri cursu peruenit, videnscq; callos, qui in membrorum contractione exorti fuerant, disruptos, & sanguinem ex coniuntione profluentem, ad Fratres, vt rei gestæ ordinem promeret, concito gradu perrexit. Claudus vero Ecclesiam egrediens insciis Fratribus concito gradu ad socios, qui *eum* apud ciuitatem S. Germani expectabant, lætissimus *redijt*. Illi autem tanta perspicientes mirabilia, Girardum Abbatem adeunt, ac rem gestam per ordinem pandunt. Venerabilis autem Abbas ob eius sanitatem lætissimus redditus, omnipotenti Deo gratias reddidit, eumq; Casinum ad Patris Benedicti corpus remisit.

Post hæc vero quidam Senatorum ab vrbe Romana egredientes ad montem peruenere Casinum, videntesq; eum Claudum, quem prius ante Lateranense palatium iacere cognouerant, inquirebant qualiter, quouè modo sanatus fuisset. Qui dum seriatim suam erectionem retulisset, eius dictis Senatores nequaquam assensum præbentes, eius artus nudantes, & callos in frustra diuisos videntes, omnipotenti Deo, & Patri Benedicto laudes retulere quam maximas. Ad huius vero perpetuæ rei indicium eiusdem Claudi Cambutas ante fores Ecclesiæ iam dicti Patris Benedicti suspenderunt.

Lib. 3. capit. 47.

Aliud miraculum.

Operæ pretium reor annectere celebre, totoq; orbi famosum miraculum, quod tunc Dominus ad eiusdem Patris sanctissimi artus ostendit: ipsa namq; resurrectionis Dominicæ die, dum quidam Etruscus cum socijs suis mutus, cæcus, & surdus ad Patris Benedicti sanctas exuuias peruenisset, salutem recepit in omnibus membris.

CAPVT LXXV.

HIS porrò diebus Pandulfus, cui cognomen de Sexto inditum est, antiqui serpentis nequitia debriatus, socio

Digitized by Google

to sibi Odaldo quodam sui sceleris complice, terras nostri Monasterij sibi contiguas infestare non desinebat: contra quem noster Abbas exercitum congregans, omnem illorum terram igni, ferroq; consumpsit. Pandulfus autem, sera pœnitudine ductus, ad hoc Monasterium venit, & iureiurando refutauit S. Benedicto, & eidem Abbati per chartam castrũ Vitecusum cum pertinentijs suis, vnde pugna illa exorta fuerat. Idipsum etiam fecit, & Odaldus de Castro, quod dicitur Aquafundata, obligando se, vna cum Pandulfo, & heredes suos huic Monasterio, vt si ipsi, vel heredes sui aliquo tempore litem, aut calumniam per se, vel per aliquam submissam personam exinde S. Benedicto facere tentauerint componerent auri optimi libras centum.

His quoque diebus Rao filius Raelis, collecta latrocinantium manu, castra B. Benedicti Suium, & Mortulam depradatus est. Quod dum Papa Calliſtus audisset, Pandulfo Teanensi Episcopo, qui de hoc nostro cœnobio, sub Papa Paschali, eidem Ecclesiæ Episcopus datus fuerat, præcepit, vt supradictum Raonem exinde conueniret, quatenus totam terram restitueret, & talequid in B. Benedicti bonis, quæ sub protectione Romanæ consistebant Ecclesiæ, vlterius facere non præsumeret. Si vero super hoc eidem Episcopo, imò Romanæ Ecclesiæ, obtemperare nollet, idem Episcopus canonicam de eo iustitiam faceret, quia quidquid inde dictante iustitia fecisset, Papa, auctore Domino, & ratum haberet, & confirmaret.

Tunc etiam Domnus Pontius Cluniacensis Abbas, ob maximæ deuotionis reuerentiam, quam Patri Benedicto habebat, cum duodecim suæ Ecclesiæ Fratribus, hoc Casinense cœnobium petijt, Abbatisq; nostri Girardi vestigijs prouolutus, officinas Monasterij dum perlustrasset, dixit: Mallem prius esse Decanus Casinensis, quam Abbas Cluniacensis. Demum vero Fratrum vestigijs prouolutus, illorum se orationibus commendans, Ierosolymam petijt, B. Benedicto spondens, post suum regressum pastoralem curam relinquere, & Deo attentius in hoc sancto Casinensi cœnobio deseruire. Pontius Abbas Cluniacensis Casinum venit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT LXXVI.

Monasteriũ S. Mauri in Glãnofolio.

PER idem tempus cum possessiones Monasterij B. Mauri, quod in Glannofolio situm est, à quibusdam diriperentur, Girardus eiusdem cœnobij Abbas Girardo Abbati nostro litteras misit, rogans, vt Papam Callistum hac de re exorare studeret, quod & fecit. Cuius postulationibus Pontifex inclinatus, Glannofolienſi Abbati, & Fratribus Apostolicas litteras, Episcopis Germaniæ directas, misit: mandans, vt possessiones Monasterij B. Mauri, quod ad ius pertinebat cœnobij Cassinensis, quæ præreptione iniusta à Comite Andegauensi, & ab alijs quibusq; inuasæ fuerant, ex integro restituerentur. Eodem etiam tempore Girardus Abbas noster concessit in vestiario Fratrum Ecclesiã S. Mariæ de Casali plano, & Monasterium S. Benedicti in Pettinari, & Ecclesiam S. Nicolai in castro S. Martini cum omnibus pertinentijs earumdem Ecclesiarum.

CAPVT LXXVII.

IDEM verò Abbas, cum ad grandæuam iam dierum suorum peruenisset ætatẽ, Anniuersario Oderisij Abbatis die, dum pro eo in cappella S. Sebastiani defunctorum officium decantaret, post finitam primam vigiliam, cum imposuisset antiphonam, Anima mea Deo viuit, supradictus Abbas Oderisius eidem Abbati Girardo, post altare eiusdem Ecclesiæ, visibiliter apparuit, atque vt ad se veniret manu innuit. Hoc Girardus Abbas, vt vidit, in faciem proruens, flere inconsolabiliter cæpit: completoq; officio, ad cameram suam flens, & eiulans redijt. Percontatus autem à Fratribus, cur fleret, causam aperuit, seq; in proximo moriturum esse prædixit: nec multo post idem Abbas languore tactus, sextodecimo Kalendas Fe-
Ann. 1123 bruarij mortem perdidit, & vitam inuenit. Sepultus vero est in capitulo Fratrum ad caput Abbatis Desiderij.

CA-

Digitized by Google

CAPVT LXXVIII.



DERISIVS Abbas à B. Benedicto quadrageſimus ſecundus, ſedit annis tribus, menſibus quatuor, diebus quindecim. Hic ex Sãgrorum Comitum proſapia ſuæ originis lineam ducens, ſub ſanctæ memoriæ Oderiſio in hoc loco ſuſceptus, & habitu monaſtico indutus, & liberalibus diſciplinis apprime eruditus eſt. Qui à prædeceſſore ſuo Girardo huius Monaſterij Præpoſitus ordinatus, cum prudentia, & ſapientia multa polleret à venerabili Papa Paſchali Diaconus in Lateranenſi Eccleſia eſt conſtitutus. Girardo autem Abbate viam vniuerſæ carnis ingreſſo, Fratres (vt in talibus conſuetudo eſt) in vnum conueniunt, & quoniam noſtra congregatio plurimis erat tunc diſſenſionibus ſciſſa, vnuſquiſque Abbatem ad ſuam voluntatem eligere proponebat: nouiſſime tandem vna ſententia eumdem Oderiſium Abbatem eligentes, ſupradicto Papæ Calliſto, ocius litteras dirigunt, Girardi deceſſum, & Oderiſij electionem notificantes. Pontifex autem eius electione agnita, Apoſtolicas litteras Fratribus huius cœnobij dirigens, eiusq; electionem confirmans, mandat, vt illi in omnibus parere ſtuderent. Menſe itaq; Martio adueniente, præparatis his, quæ itineri neceſſaria erant, prout à Pontifice ei directum fuerat, Romam conſecrandus aduenit. Ibi ab eodem Papa, qui tunc forte Synodum celebrabat, honorifice ſatis conſecratus, & à Cardinalibus, nobilibusq; Romanis in magna eſt gloria habitus.

Electus anno 1123.

In qua etiam Synodo Epiſcopi, & Archiepiſcopi aduerſus monachos proclamationem fecerunt dicentes: nil aliud ſupereſſe, niſi vt ſublatis virgis, & annulis deſeruirent monachis: illi enim Eccleſias, villas, caſtra, decimationes viuorum, & mortuorum oblationes retinent; & rurſum hæc ſæpius ante Pontificem conquerentes: Decidit pudor, canonicorum honeſtas obliterata eſt, clericorum religio ceciderit, dum monachi contempto cœleſti deſiderio, iura Epiſcoporum inſatiabiliter concupiſcunt, & omnes, quæ ſua

Epiſcoporũ aduerſus monachos querela.

ſunt

sunt quærunt, & qui mundum cum suis concupiscentijs reliquerũt, his quæ in mundo sunt inhiare non desinunt. Et quibus per B. Benedictum à curis mundialibus vltro quiescendi locus offertur, ad tollenda ea, quæ Episcoporum sunt oportune, importune fatigantur. Cumq; super huius rei negotium diuersi, diuersa sentirent, tandem ex commissione nostri Abbatis surgens in medium quidam ex nostris dixit.

Fratres Cassini degentes, die, ac nocte omnipotentis Dei clementiam pro totius orbis salute supplicare non cessant, quid igitur acturi sunt, si concessiones Romanorum Pontificum violantur? Non enim ita Cassinenses Abbates *Romanæ* Ecclesiæ obsecuti sunt, vt ea, quæ S. Benedicto *Imperatores*, Reges, Duces, ac Principes, atque Romani Pontifices obtulerunt, nos vestri Apostolatus tempore perdere, & exhereditari mereamur. Cumq; hæc, & alia multa proferret, quidam Episcopus Liguriæ, dixit. Licet Coepiscoporum religiositas conquestum contra monachos fecerit, non tamen sine causa prædecessores nostri Monasteria ditauerunt. A principio namq; nascentis Ecclesiæ, duo ordines fuisse notissimum est, vnus qui laboraret in verbo, & doctrina, alius qui orationi vacaret, vnus qui actiuæ, alius, qui contemplatiuæ deseruiret. Vnde non immerito monachos nos potius diligere, quam insequi conuenit.

Callisti Papæ sententia.

Ad hæc Papa Callistus, imperato silentio, dixit. Cassinensis Ecclesia per Iesum Christum fundata est, cuius imperio Pater Benedictus ad eumdem locum deueniens, illumq; ab idolorum sordibus emundans, sanctæ Regulæ descriptione, & miraculorum prodigijs, & sui corporis sepultura, toti orbi spectabilem reddidit, & totius Monastici Ordinis caput effecit: atque idem venerabilis locus à Romanis Pontificibus restauratus, & Romanæ Ecclesiæ filiorum vnicum in aduersis solatium, & in prosperis infatigata requies perseuerat. Et nos ergo sanctorum prędecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigijs insistentes: Cassinense cœnobium cum omnibus attinentijs suis, ab omnium mortalium iugo quietum semper, & liberum manere, & sub solius S.R.E. iure, defensionęq; perpetua manere decernimus. Cætera vero Monasteria in eo ordine, quo antiquitus fuerunt manere iubemus.

Digitized by Google

bemus. Supradictus autem Abbas explicitis Romæ suis negotijs ad hoc Monasterium redijt, atque ab vniuersis Fratribus honorifica est, & sollemni processione receptus.

CAPVT LXXIX.

INTEREA homines de S. Angelo in Todici, qui omnium tribulationum, & persecutionum, in hoc loco venientium semper caput, & auctores fuerunt, sociatis sibi, his qui castrum S. Victoris incolebant, contra eumdem Abbatem conspirant, & iurisiurãdi nexibus se mutuo obligant, vt nequaquam huic Cassinensi cœnobio, Abbatiq; fidelitatem faciant, nisi ad suum velle relaxationes illis, & placita tribuat. Quod dum Abbati nuntiatum fuisset, è vestigio exercitum congregans, illorũ adiacentia quæq; deuastare modis omnibus cæpit. Illi autem videntes euenisse, quod non sperabant, pœnitudine ducti, & solotenus Abbatis vestigijs prostrati, se deliquisse, se impie gessisse testantur, atque sibi Abbatis veniam de perpetrato scelere instantissime rogant. Annuit illorum postulationibus Abbas, commissa dimittit, sicq; non parua quantitate pecuniæ ab eis extorta, & fidelitate recepta, infidos, & peruersos, quietos, & fideles manere coegit.

Hoc interea tempore anno Dominicę Incarnationis millesimo cẽtesimo vicesimotertio, pridie nonas Aprilis, quarta vigilia noctis, cum Fratres nocturnalem synaxim decãtarẽt, stellæ de cęlo innumerabiles cadere, & quasi pluere visæ sunt, vbiq; per totum orbem terrarum. Tunc temporis Pandulfus Comes de Sexto, cuius supra meminimus, ad hoc Monasterium veniens, iureiurando firmauit eidem Abbati totã ex integro Abbatiam, & nominatim castrum Vicecusum cum pertinentijs suis, vnde, vt supra retulimus, litigium cum Girardo Abbate habuerat. Ann. 1123 Stellæ cadere visæ sunt.

CAPVT LXIX.

HIS quoque diebus Sauinus vir nobilissimus, Dalmatino genere ortus, direxit in hoc Monasterium duos cyphos

scyphos argenteos librarum circiter nouem, rogans, & multa prece depoſcens, vt de noſtris Fratribus idem Abbas, ad monaſticum ordinem demonſtrandum, in Dalmatiam mitteret: pollicens non minimum proficuum per hoc loco iſti venturum. Abbas autem nihil moratus, tres de hoc Monaſterio ibidem Fratres direxit, diuinarum ſcripturarum codices, & Eccleſiaſticum apparatum illis abundantiſſime tribuens. Suſceptis itaq; Sauinus eiſdem Fratribus, permittente ſupradicto Papa Calliſto, ac concedente Rago eorum Archiepiſcopo, obtulit B. Benedicto Eccleſiam S. Mariæ in loco, qui dicitur Rabiata, prope ciuitatem Raguſam, *cum portu*, & piſcatione ſua, cum ſeruis, & ancillis, & *cum* omnibus omninò pertinentijs, & finibus ſuis.

Oderiſius Monach. in Dalmatiã mittit.

Sequenti tempore Papa Calliſtus ad hoc Monaſterium veniens, Gotfridum Comitem Ciccanenſem, qui Monaſterium S. Petri in Inſoleta ab huius loci ditione ſubduxerat, vſque ad dignam ſatisfationem à liminibus Eccleſiæ ſeparauit, ſicq; Patri Benedicto, & Fratribus ſe commendans attentius, Beneuentum perrexit.

Calliſtus Papa Caſinum venit.

His porrò diebus in Sardinia Homodei, & Albertus Epiſcopi, in Dalmatia vero Petronius, & Adenulfus Abbates ab hoc Monaſterio dati ſunt. Eo etiam tempore iam dictus Abbas Oderiſius portas æreas pulcherrimas in ingreſſu huius noſtræ Eccleſiæ fieri iuſſit.

CAPVT LXXXI.

LAMBERTVS præterea Oſtienſis Epiſcopus, poſt autem Papa Honorius, tunc temporis ad hoc Monaſterium veniens, eumdem Abbatem rogare cæpit, vt hoſpitium ſibi, & ſuis in Monaſterio S. Mariæ in Palladio concederet, quemadmodum Leo prædeceſſor ſuus à parte noſtri Monaſterij habuerat. Abbas autem perſpiciẽs, illum hoc ex iure ſui prædeceſſoris quærere, ſimulq; præcauens, ne hac occaſione locum illum Eccleſia noſtra amitteret, id ſe agere poſſe negauit. Epiſcopus autem indignatione ſimul, & ira repletus receſſit, læſionis, & contrarietatis contra eumdem Abbatem tempus expectans.

Leo Oſtiẽſis Epiſcopus.

CA-

Digitized by Google

CAPVT LXXXII.

PER idem tempus Richardus cognomento Pignardus Picani castri Dominus, Richardi de Caleno promissionibus illectus, euocans ad se Leonem Fundanum Cõsulem, & Petrum filium eius, post datum ei prandium in domo sua, dum esset cum eo in securitate per sacramentum, compater quoque eius, & amicus, ritu proditoris Iudæ, hostiliter eum cum suis omnibus capiens, Richardo de Caleno, (quemadmodum inter se occulte coniurauerant) tradidit. Hoc dum ad notitiam Papæ Calliſti peruenisset, & de tam nefaria, ac flagitiosa proditione plurimum commotus, eidem Abbati mandauit, quatenus supradictum Richardum modis, ac nisibus, quibus valeret impugnare studeret.

Accidit forte, vt tunc quidam ex nostris (quia res ita exigebat) Fundanam ciuitatem peteret, qui in ipso itinere ab eiusdē Richardi hominibus captus, ac de equo deiectus, & dehonestationibus quamplurimis affectus, negotio pro quo abierat infecto, ad Abbatem rediret. Tali igitur Abbas occasione accepta, cum Octauiano prædicti Leonis fratre confœderatur, & vallatus militum turmis, Picani castri attinentias deuastare modis omnibus cæpit; sed cum per integrum ferè annum eumdem castrum deuastasset, & afflixisset: Richardus certo certius agnoscens, Papam Calliſtũ cum exercitu super se esse venturum, ignorantibus cunctis, cum fratribus suis occulte de castro recessit. Quod dum Abbati relatum fuisset ingenti coadunato exercitu ad eumdem castrum accedit, & recipientibus eum eiusdem castri incolis, arcem diu, multumq; expugnans, eamdem in deditionem accepit, Anno Dominicæ Incaruationis millesimo cẽtesimo vicesimoquarto. Oppido vero Oderisius Abbas, vt optabat, potitus, Papæ Calliſto per litteras hæc notificare curauit, qui Deo omnipotenti super hoc gratias referens, per annulum, qnod manu gestabat, B. Benedictum absque vllo consorte, vel participante, de eodem castro inuestiuit. Ann. 1124

Richardus præterea Caleni Dominus agnito, quod no-

Digitized by Google

ſter Abbas ſupradictum caſtrũ obtineret, tactus dolore cordis, Capuam properat, & Principis prouolutus veſtigijs rogat, vt ſibi opem ferendo ſubueniat, quatenus caſtrum recipere valeat. Annuit propinqui ſui poſtulationibus Princeps, & exercitum congregans, ad expugnandam, & depredandam hanc terram erigitur. Abbas autem ipſe militum vallatus agminibus, ad caſtrum Bantrenſe deueniens, terram B. Benedicti illum ingredi non ſinebat. Ob id itaque Princeps Papæ Calliſti litteris commonitus, & per ſacramentum, quod Romanæ Eccleſiæ fecerat adiuratus, vt terram B. Benedicti non deuaſtaret, ſin alias excommunicationi ſubiaceat, Abbatem ad ſe euocat, & trecentas ab eo libras accipiens, principale de ſupradicto caſtro præceptum huic noſtro cœnobio fecit, ſicq; Capuanam eſt regreſſus ad vrbem. Per idem tempus Comitiſſa Adelaſia, vna cum Hildebrando Comite, ex iuſſione ſupradicti Papæ Calliſti, reddidit B. Benedicto Eccleſiam S. Martini in Arimino, & S. Columbani cum pertinentijs ſuis, centum librarum auri pœna appoſita.

CAPVT LXXXIII.

Ann. 1124. Honorij ſecundi Papæ electio.

IS diebus defuncto Romæ iam dicto Papa Calliſto, Cardinales diuiduntur, & alij Lambertum Oſtienſem Epiſcopum, de quo ſupra mentionem fecimus, in Papam Honorium: alij Theobaldum Cardinalem tituli S. Anaſtaſiæ ſibi, in Cæleſtinum Papam præficiunt: verum quia fortior, & potior pars cum Honorio erat, hi qui iam dicto Theobaldo fauebant, rerum euentum videntes, pœnitudine ducti, ad eũdem Honorium reuerſi ſunt. Mandat dehinc idem Papa noſtro Abbati, nauem Petri periclitari in fluctibus, monẽs vti ſubueniat, vt pecuniæ ſubſidium mittat, proteſtans illos, qui ſe in tanto articulo adiuuarent, habituros vt filios, qui non vt priuignos. Commotus ad talia Abbas fatetur, quod ipſe, qui tunc de adiutorij ope ferenda pulſabatur, intereſſe debuiſſet electioni, vt qui particeps erat tribulationum, conſors

consors esse deberet, & consolationum. Interrogãtibus Fratribus de prædicto Pontifice, cuius filius esset? Quis, qualis & quantus? Abbas respondit, ignorare se cuius filius esset, vnum tamen pro certo scire, quia plenus esset litteris à capite vsque ad pedes. Hæc ergo causa inter eumdem Pontificem, & Abbatem perpetuum discordiæ malum, & perenne odium suscitauit.

CAPVT LXXXIV.

IVNC temporis Leo Fundanus Consul, vna cum Petro filio suo, à captione, qua à Richardo Caleni Domino detinebatur solutus, venit ad hoc Monasterium: susceptus itaq; honorifice ab eodem Abbate, post celebratum resurrectionis Dominicæ festum, rogatus à supradicto Leone, & iam dicto filio eius, quinquaginta libras eis donauit, & quinquaginta accomodauit, ea ratione, vt easdem quinquaginta libras vsque ad vnum annum Cassinensi cœnobio redderent in auro, & argento, siue in pannis sericis, & in alijs rebus, quæ monachis apta essent ad recipiendum, & pro suprascripta pecunia, quam eis idem Abbas donauit, & accomodauit ante iam dictus Leo cum Petro filio suo, quietas dimisit B. Benedicto, & Cassinensi cœnobio omnes obedientias, quæ à quibusq; hominibus in terra sua huic Monasterio oblata sunt: scilicet Ecclesiam S. Magni cum pertinentijs suis, & partem de piscaria Fundani lacus, Monasterium S. Honufrij, S. Heliæ in Ambrise, S. Martini de Nola, S. Martini in Tirille, & quidquid in terra sua à quibusq; hominibus B. Benedicto oblata sunt, vt secure, & quiete Casinensis Ecclesia, eiusq; Abbates teneãt, & possideant, & liberam habeant facultatem in eisdem Ecclesijs ordinandi Præpositos, & faciendi prout ipsis placuerit, sine omni illorum contradictione, vel molestatione.

CAPVT LXXXV.

INTEREA cum Aquinenses Comites ferali aduersus Landulfum de S. Ioanne odio desæuirent, contra eum-

Digitized by Google

dem Abbatẽ conqueri cæperunt, quod Landulfum illis præferret, illi pecuniam, terras, & domos tribueret, se vero contemni, & pro nihilo haberi. Sed cum ad ista Abbas non præberet auditum, iuncti quibusdam ex nostris, eum Papæ Honorio accusare cæperunt, illum Apostolicæ sedis inimicum, prodigum, & dilapidatorem rerum Monasterij astruentes.

Richardus porrò Caleni Dominus à nostri Monasterij infestatione, nequaquam quiescens, congregato exercitu insperate terram istam ingressus, castra huic Monasterio pertinentia S. Apollinarium videlicet, S. Ambrosium, & S. Stephanum, & partem de castello S. Georgij igni, ferroq; consumpsit, indeq; digrediens, Monasterium S. Nicolai in Pica, ex toto deprædauit, sicq; ad sua redijt.

CAPVT LXXXVI.

Honorius Papa Casinum venit.

IN EODEM anno Papa Honorius vrbẽ egrediens, ascendit ad hoc Monasterium, atque à supradicto Abbate, & Fratribus honorifica satis processione receptus, super altare B. Benedicti missam sollemniter celebrans, sero iam ad ciuitatem redijt: demum vero Mauritium hæresiarcham de Ianula, in qua eum Papa Calistus exiliauerat, abstrahens, apud Fumonem exilio relegauit. Ibi itaq; in plenario laicorum conuentu, eumdem Abbatem Papa Honorius euocans, ingenti eum increpatione redarguit, militem illum non Abbatem, dilapidatorem, & prodigum substantiæ Monasterij esse inclamitans, confestimq; ciuitatem egrediens Beneuentum perrexit.

CAPVT LXXXVII.

Henrici quinti obitus.

HOC præterea tempore, Henrico quinto Imperatore defuncto, Consules, Præfecti, Dictatores, Duces, & Principes in vnum conuenientes, de Imperatoris electione tractare cæperũt, visum demum omnibus est, vt electionem ipsam in arbitrio Archiepiscopi Maguntini, & Lotharij Ducis Saxoniæ ponerent, vt quem illi

Digitized by Google

illi vtilem Romano Imperio esse astruerent, hũc proculdubio eligerent vniuersi. Archiepiscopus autem ferali zelo aduersus cognationem Henrici Imperatoris desæuiens, & de Imperiali culmine Fridericum,& Cõradum nepotes eius propellere cupiens, ob illorum odium, supradictum Lotharium armis experientissimum, religione,& prudentia multa pollentem,qui perplura annorum curricula Leuticos expugnans, sub Romano Imperio redegerat, vtilem atque idoneum ad Imperiale fastigium accipiendum iudicauit: sicq; huius calliditate,Romanum Imperium à Theutonicis ad Saxones translatum est. His quoque diebus Rodulfus Consentinorum Archiepiscopus obtulit B. Benedicto Ecclesiam S. Petri in Pruda cum pertinentijs suis; idipsum fecit, & Augustinus Narnien sis Episcopus,vna cum Comite, de Ecclesia S.Nicolai in Guaytanello, & de Ecclesia S. Luciæ cum portu suo, & cum omnibus in integrum pertinentijs suis.

Lotharij Imperatoris electio

CAPVT LXXXVIII.

HONORIO interea Papa à Beneuento ad vrbem regresso, Adenulfus Comes lethali odio eundem Abbatem insequens, eidem Pontifici litteras misit, æmulum Pontificij honoris, Cassinensem Abbatem inclamitans. Papa eius dictis fidem accomodans decernit eum à Cassinensi Abbatia remouere, & è vestigio Gregorium Tarracinensem Episcopum, & huius cœnobij monachum, qui sub Papa Paschali,ex hac nostra Ecclesia eidem ciuitati Episcopus datus fuerat, ad eum direxit, mandans Abbati, vt Romam veniret, & de his, quæ sibi obijciebant, iuxta canonum sanctionem, satisfacere studeret. Renuente igitur illo vrbem adire, nisi Pontifex suam gratiam ei reddidisset, ter eum Papa, occasione accepta, vocauit: sed cum ille ob hoc, quia Papam aduersum se commotum sciebat, ire distulisset, in hebdomada quinta quadragesimalis ieiunij, idem Pontifex sententiam depositionis in eum vibrauit, vno tantum repertus in crimine,quod vocatus ad curiam, ire distulisset: dicente Pontifice; & si in nullo alio culpandus est, eius tamen superbia crimen est damnationi sufficiens,

Honorius Oderisiũ deponit. Ann. 1126

Digitized by Google

sufficiens, quia omnia peccata remittuntur hominibus, superbis autem Deus resistit.

Sacro autem palmarum die adueniente, idem Oderisius consiliatorum suorum verbis deceptus, & in Abbatis cathedra resedit, & pastoralem baculum manu gestauit, & vniuersa Abbatis officia, sicut & antequam deponeretur, exercuit. Hæc ergo causa, Papam magis iratum reddidit, ac in Resurrectionis Dominicæ sollemnitate, eũdem Oderisium, & omnes fautores eius à liminibus Ecclesiæ separauit, obedientes vero à communione Ecclesiastica extorres esse præcepit. Hinc ergo seditio, & dissensio inter monachos, & populum ciuitatis grauissima exorta est.

Accidit autẽ tunc, vt quosdam pedites supradictus Oderisius cum armis suis ad castrum Ianulæ custodiendum trãsmitteret. Ciues vero propter excidium S. Germani inclamantes, eosdem pedites capiunt, armisq; sublatis, illos de ciuitate proijciunt. Oderisius autem euentum rei agnoscẽs ciuitatem egressus, ad Pontemcurum exercitum congregaturus perrexit, minitans eamdem ciuitatem cum suis habitatoribus perdere. Illi autem consilio inito montem ascẽdunt, Decanum, & reliquos Fratres conueniunt, rogant, vt eidem Oderisio litteras destinent, vt ad ciuitatem redeat, & si quam aduersus illos querelam haberet, legalem inde iustitiam sumeret. Hæc quidem dictis, factis vero aliter, quippe qui disposuerant in ipso itineris biuio interficere eum. Decanus vero habito consilio statuit, vt ad ciuitatem redeant, atque de suis duodecim sapientiores, & meliores eligant, & cum eis die altero ad hoc Monasterium veniant, vt vna cum illis, Fratres exinde salubre consilium sumant. Recedentibus interea illis, Decanus nocturno silentio Oderisio nuntium destinat, acta, & dicta seriatim enuntiat, vtq; ad eos redeat instanter exorat; ille autem ciuium noscens versutiam, ad eos se tunc redire posse denegauit. Illucescente autem die, ciues vti statutum fuerat montem subeunt, vnus post vnum Monasterium intrant, & ãd capitulum conuenientes, quæ alio die inter monachos, & laicos de pacis compositione statutum fuerat, replicare cæperunt. Cumq; inter eos de eadem re se longior sermo protraheret, vnus ex ciuibus

Germanẽsiũ nequitia.

Digitized by Google

ciuibus surgens in medium ait: Cur frustra sermonem longius trahitis? Certissime scitote, nos Monasterium non egressuros, nisi depositio Oderisio, alium nostro consilio substituatis Abbatem. Quod cum Fratres nulla ratione, nullo pacto se hoc facturos dixissent, illi è vestigio Monasterij munitiones fraude occupauerunt, sicq. in vnum summi Archimandritæ conuenientes, per Archipresbyterum suum in eumdem Oderisium sententiam depositionis, & excommunicationis promulgant, confestimq. ad Ianulæ Arcem pergentes, & illos, qui in ea residebãt pecunia corrumpẽtes, ad suam voluntatem inflectunt, eamdemq. munitionem ab his, qui illam custodiebãt accipientes, diruunt, monachosq. contradicentes, ante portas Ecclesiæ B. Benedicti gladijs percussérunt, & per diuina, & humana omnia iurare cæperunt, quod nisi confestim Abbatem ad suam voluntatem eligerent, alios gladio trucidarent, alios de Monasterio pellerent, alios ad Papam vinctos transmitterent. Quid tantis? Fratres in discriminis articulo se constitutos videntes, ad Oderisium nuntios dirigunt, mandant, vt ad Monasterium redeat, & aut laicis satisfaciat, aut ad voluntatem illorum Abbatiam dimittat. Quod cum Oderisius minime se facturum dixisset, Fratres, necessitate coacti, laicorum voluntatem se facturos promittunt. Taliter Oderisius ab æmulis suis est proiectus, & à propria sede depulsus: vir certe magnanimis, scientia clarus, eloquentiæ decore ornatus. Nam inter tantas persecutiones constitutus, sermones de præcipuis festiuitatibus, lucidos satis, & disertos composuit. Ab illo autem tempore, non defuerunt huic Cassinensi cœnobio variæ, ac ingentes ærumnæ. Iam vero qualiter Nicolai electio, & eiectio facta sit describamus.

Germanẽses occidunt quosdam monachos.

CAPVT LXXXIX.

NICOLAVS natione Tusculanus sedit anno vno mense vno, diebus sedecim. Hic à sanctæ memoriæ Oderisio primo in hoc Casinensi cœnobio receptus, & monachus factus, atque à Girardo Abbate Rector apud Suium ordinatus, post ab Oderisio secun-

Digitized by Google

do Decanus huius loci est constitutus, quam cum per mensem ferè administrasset, à Fratribus huius cœnobij est in Abbatem electus; quidam verò ex prioribus, nimis hæc indigne ferentes, cæteris ignorantibus clanculo ad Papam Honorium litteras dirigunt, seditiosè illum, & nequaquam canonice electum esse affirmantes. Pontifex autem cum Nicolaum ad huc electum esse nesciret, Gregorium Cardinalem tituli Apostolorum ad hoc Monasterium dirigens, mandat quatenus eiusdem Gregorij consilio, Senioretum Capuani Monasterij Præpositum in pastorem, & Abbatem Cassinenses fratres vnanimiter eligerent, de quo, & Deus honoraretur, & religionis status, in famoso Cassinẽsi Monasterio, per eius industriam roboratus, bona Ecclesiæ, tam spiritualia, quàm temporalia in melius augerentur; ipse namq; si oportunum esset, Monasterium manu tenere, defendere, & adiuuare paratus esset. Veniens autem prædictus Cardinalis ad Monasterium, Fratres conuocat, & quod Papa præceperat seriatim enuntiat, quod dum Fratres audissent, murmur inter eos ingens repente exoritur, dicentes non debere Cassinensis Abbatis electionem in alterius potestate transire, & nimis indignum, & inconueniens esse, vt Cassinensis Ecclesia, quæ sub antecessoribus suis libera semper extiterat, ad suæ confusionis opprobrium Cardinalibus subijceretur.

Tunc Gregorius, imperato silentio, Fratribus dixit. Indubiè noueritis me non pro Papæ Honorij huc lucro, & honore Romanæ Ecclesiæ venisse, sed pro salute animarum vestrarum, cum Christi auxilio, si permittitis, prouidenda. Romana enim Ecclesia, vestro auxilio, & laude non indiget, quæ laudis præconium in Petro ex ipsius ore meruit Redẽptoris. Quæ autem Ecclesia, vel Abbatia à Romanæ sedis iugo extranea reperitur, cuius arbitrio ipsum cœlum ligatur, & soluitur? omnes namq; Ecclesiæ à Pontificibus, Imperatoribus, & Regibus, vel quibusq; fidelibus fundatæ sũt, Romanam vero sedem, solus filius Dei fundauit, & super Petri Apostoli fidem erexit, cui etiam terreni, simul, & cœlestis Imperij iura commisit, & illud verbum, quod condidit cœlum & terram, Romanam fundauit Ecclesiam. Et vt cæteris omissis ad ea, de quibus nunc sermo agitur veniamus,

Digitized by Google

mus, sicut Apostolorum Princeps Petrus & Paulus Romanam Ecclesiam suo sanguine consecrarunt, ita Cassinense cœnobium per B. Benedictum, qui Romæ edoctus fuerat, & per ciues Romanos, Maurum, & Placidum habuit fundamẽtum. Illud quoque vobis notissimum esse non ambigimus, qualiter eo destructo à Longobardis, Cassinensis cœnobij Fratres iuxta Lateranense palatium per centum quadraginta annorum curricula habitauerint, & demum Cassinensem Ecclesiam, Romani Pontifices Gregorius, & Zacharias restruxerunt: quæ rursum à Saracenis cremata, iterum à sancto Papa Agapito in Monastico est ordine reformata. Cum ergo huius cœnobij Fundatores, ex Romanæ Ecclesiæ prodierint disciplina, eiusq; restauratores Romani Pontifices fuerint, conueniens est, iuxta sanctorum Patrum statuta, vt Ecclesia Romana mater, & domina, Cassinensis vero filia, & subdita iure dicatur. Reuoluite Cassinensis cœnobij munimina, eiusdem libros perscrutamini, & id vnde nũc sermo agitur, poteritis inuenire: si verò non potestis, mendacij arguite, sin autem potestis, nolite veritati resistere, nolite Romanæ Ecclesiæ repugnare, nolite eius iussionibus contraire, sed ex cuius vberibus fidei salutem suxistis, eius iussionibus studete in omnibus obtemperare. Tunc Fratres Apostolici voluntatem, se impleturos fatentur, sicq; discessum à capitulo est. Oderisius verò cognita Nicolai insperata electione, agiliter ad Roccam, quæ Bantra dicitur peruenit, pecuniam opportune importune dispensat, & milites vndecumque congregans igni, ferroq; castra, quæ eidem Nicolao fauebant, demolire solotenus cæpit.

CAPVT XC.

HOC interea anno, Goffridus filius Richardi de Aquila, vna cum Richardo Caleni Domino, & Raone Raelis filio, castrum Suium, diu multumq; expugnans, incolarum fraude, & proditione, illud obtinuit. Nicolaus vero hoc agnito, Robertum filium Iordani Principis in suum auxilium euocat, è vestigioq; ad hoc Monasterium dirigens, ad se deferri præcepit Aquimanilia

milia argentea librarum nouem, & vnciarum totidem, quæ Sauinus ſicut ſupra retulimus B. Benedicto direxerat: Aquimanilia argentea Stephani Papæ. Altare aureum cum gemmis ſpecioſis, calicem aureum librarum quatuor, calicem magnum ſaxonicum, quę Theodoricus Saxonum Rex B. Benedicto olim tranſmiſerat, Epiſtolarium aureum Deſiderij Abbatis, textum Euangelij Henrici Imperatoris cum gemmis pretioſis, alium textum Euangelij, thuribula argentea nouem, coronas argenteas totidem, penſantes ſingulæ, aliæ nouem aliæ duodecim libras, quas Otto Imperator, ac Hugo Marchio, alijq; fideles S. Benedicto obtulerunt, calicem librarum nouem, alios calices quinque, concam librarum ſeptem, candelabrorum paria tria, coronas quatuor, habentes per vnamquamque decem & octo libras, concas duas librarum octo, cucumellum librarum ſex, textum Euangelij, ſcutellam magnam. Hæc inquam omnia de iſta Eccleſia abſtrahens, caſtrum non recollegit, & indiſſolubile odium Monachorum aduerſus ſe ſuſcitauit.

CAPVT XCI.

Rurſus furunt Germanenſes.

STATVENTIBVS interea ciuibus, iterum Monaſterium capere, quemdam ex prioribus adeunt, Decaniam, & non paruam pecuniæ ſummam illi promittunt, ſi eorum tam nefando negotio cooperator pro ſuo poſſe exiſteret; quod dum ille Fratribus referaſſet, è veſtigio fideles quosq; in Monaſterij munitiones immittunt. Ciues autem rem geſtam ignorantes, nocte aduenientes, inſidias iuxta Monaſterium locant, ſed cum agnouiſſent ſua patefacta conſilia, confuſione; & mœſtitia repleti, ad ſua reuerſi ſunt.

Tunc temporis Adenulfus quidam caſtri Spinij Dominus anxians, & exæſtuans, qualiter hoc Monaſterium infeſtare; quoquomodo poſſet, locutus primo cum Richardo Caleni Domino, & Gotfrido Sueſſano, cordis ſui intima pandit, & vt eorum adminiculo, & iuuamine conceptam parturire, & ad effectum malitiam poſſet perducere, inſtanter exorat. Illi autem

Digitized by Google

autem lætissimi redditi, rogant vti meditata opera expleat, auxilium suum ei non defuturum. Hoc enim sibi salutiferũ, hoc delectabile, hoc iucundum esse fatentur. Euocat interea idem Adenulfus illos, qui arcem Castri noui custodiebant, pecuniam spondet, egregios illos, & felices facturos promittit, si supradicti Castri noui arcem sibi traderent. Aſt proditores tantis promissionibus illecti, intempestæ noctis silentio cum quibusdam latrunculis eum euocantes, monacho, & cæteris oppidanis ignorantibus, supradictam arcem contradunt. Quod dum Nicolao nũtiatum fuisset, quid ageret, vel quid diceret nesciebat. Tandem cum quibusdam, dextro genu claudicantibus, communicato consilio, vt supradictum castrum recolligere posset, Picanum oppidum, quod Oderisius prædecessor suus acquisierat, & Papa Calistus per annulum confirmauerat, & Iordanus Princeps sacramento, & præcepto concesserat, in Normannorum ditione remisit, taliq; ordine iam dictum Castrum nouum recollegit. Reddidit etiam tunc supranominatus Goffridus turrem, quæ dicitur ad mare, Monasterium S. Benedicti in Sueſſa, curtem de Lauriana, casam Maiorem, curtem de Lando de mari, & S. Ioannem ad currentes, cum vniuersis, quæ ad iam dictas curtes, & obedientias pertinebant.

CAPVT XCII.

Quorumdã Hispanorum oblatio.

HIS quoque diebus, duo Fratres ex Hiſpania Philippus, & Philibertus, cœlesti desiderio tacti, ad Patris Benedicti limina valde deuoti venerunt, atque Ecclesiam, quam dudum ipsi in Hiſpania in ſolo proprio iuxta ciuitatem Lucruniũ, loco qui ad Granium appellatur, constructam habebant in hoc sancto loco obtulere.

Oderisius interea cernens Romanum Pontificem sibi in omnibus aduersari, pœnitentia ductus, Romam adijt, & Papæ prostratus vestigijs, Cassinensem Abbatiã in manu eiusdem Apostolici refutauit, arcem vero Trentensem in huius cœnobij iura remisit. Tunc temporis Rao filius Raelis ad hoc Monasterium veniens per scriptum renuntiauit B. Benedicto,

Digitized by Google

nedicto, omnes lites, querimonias, & calumnias, quas aduersus hoc Monasterium habuerat de hominibus, qui fuere de ciuitate Theano, & eo tempore in hac terra residebant. Per idem tempus Iordanus secundus Princeps ad hunc locũ deueniens iureiurando firmauit eidem Abbati totam ex integro Abbatiam secundum morem antecessorum suorum.

CAPVT XCIIII.

PER idem tempus Pandulfus filius Landonis Aquinẽsis Comitis in silua *huius Monasterij*, quæ Tirilla dicitur, *castrum* construere cæpit. Quod vbi Papæ Honorio nuntiatum est, per Apostolicas litteras ei interdicendo direxit, ne in possessione B. Benedicti castrum ædificaret; sed Deum in eodem contemnens Pontifice, intentione sacrilega idem castrum ob huius loci oppugnationem, sicut hodie cernitur, à nouo construxit. Nicolaus autem cæpta eius præpedire cupiens in montem, qui Timmari appellatur castrum contra eum erexit.

Honorius deponit Nicolaum Ann. 1127

Tantas porrò Cassinensis cœnobij perturbationes, tantaq; infortunia Papæ Honorij dum peruenissent ad aures, eumdem Nicolaum Cassinensis Abbatiæ à regimine sequestrauit, omnesq; ei fauentes, vel adhærentes à liminibus Ecclesiæ separauit: litterasq; ad hoc Monasterium direxit, mandans, quatenus instanti animo, & diligenti studio laborent, vt in nobili, & famoso B. Benedicti Monasterio antiqua possit reformari religio. Proinde, si in manu, & consilio suo Monasterij Cassinensis dispositionem, & ordinationem libere, & absque contradictione aliqua posuissent, quantotius ad Cassinense Monasterium venire festinaret, & ob honorem, salutem, & reformationem cœnobij, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, præstante Domino studeret laborare. Fratres verò, qui eumdem Nicolaum, pro thesauri Ecclesiastici dilapidatione, & terræ amissione, valde exosum habebant, Nicolao ad hoc Monasterium venienti portas claudunt, illicoq; Nuntios ad Papam Honorium destinantes,

Digitized by Google

tantes, quæ gesserant per ordinem pandunt: se, & Monasterium in eius potestate ex toto tradentes. Ille vero super huius rei negotio lætissimus redditus, Matthæum Episcopum Albanensem ad hoc Monasterium direxit, Fratribus mandans, vt quem vtilem ille, & idoneum tanto officio, ex Romanæ sedis auctoritate astrueret, hunc ipsi absque aliqua procrastinatione eligerent. Hoc vbi supradictus Pandulfus agnouit insperate super castrum, quod idem Nicolaus construxerat veniens, illud ad solum vsque prostrauit, & Nicolai quidem talis rerum exitus extitit.

CAPVT XCIV.

SENIORETVS huius cœnobij Abbas à B. Benedicto quadragesimus quartus, sedit annis nouem, mensibus sex, diebus decem & nouem. Hic ab ipsis infantiæ annis B. Benedicto oblatus, atque à sanctæ memoriæ Oderisio Monachus factus, & in disciplinis regularibus studiosissime in omnibus educatus, & enutritus, primo ad Monasterium S. Mariæ in Luco, deinde ad Monasterium S. Nicolai in Pica regendum, Præpositus est transmissus: qui ad huius cœnobij Abbatiam taliter est electus. Cum satis strenue per sex annorum curricula huius sancti cœnobij Decaniam administrasset, ac deinde Capuani Monasterij Præposituram satis prouide gubernasset (electo iussu Papæ Honorij Nicolao) de eadem Capuani Monasterij Præpositura, ad huius Abbatiam eligitur. Enimuero dum ex parte supradicti Pontificis Matthæus Episcopus Albanensis, vt diximus, hac de causa ad hunc locum venisset, nunc singulatim, nunc communiter cũ illis pertractaret, demum congregationi voluntatem Apostolici pandit. Tunc ex consulto mandatur illi, vt quanta potest instantia ad hoc Monasterium venire studeat, quatenus de Cassinensis Abbatis electione in commune simul ab omnibus tractaretur. Qui cum imperata implere satageret à Goffrido de Aquila, qui partibus Nicolai fauebat, capitur, & apud Suium, custodiæ mancipatur. Quod dum Fratribus

Vocatus Senioretus à Cassinensibus

Senioretus capitur.

Digitized by Google

tribus relatum fuisset, æstuare cæperunt, quid agerent; & sicut est consuetudinis, diuersi diuersa sentiebant, & alij Oderisium reducere, alij pro suo velle Abbatem eligere disponebant. Tunc præfatus Albanensis Episcopus Matthæus in capitulum veniens, cæpit de ipsa Abbatis electione tractare, & si præceptis Apostolicis parere vellent interrogare. Fratres autem cum hoc in eius posuissent deliberatione, secq; per omnia Romano Pontifici obedire velle dixissent, & quem cum Fratrum consilio nominaret, ipsi Abbatem eligere promisissent: tunc proprio illum nomine vocans, interrogat senes, deinde iuuenes, vtrum illis talis electio placeat. Cumq; omnes, tum voce, tum capitum inflexione hunc se velle respondissent, mox omnium vnanimitate, cum absens esset (ex præcepto, vt ante iam diximus Apostolici) quarto idus Iulias elegerunt eum in Abbatem. Quamuis nonnulli, & ex maxima parte timore ducti, hoc ægre ferrent, ob hanc scilicet causam, quia tempore Decanatus sui, nimium austerus, & rigidus in huius Monasterij ordine extitisset.

Albanensis Episcopus Senioretum eligendum proponit.

Dimissus itaq; Senioretus à Goffrido, ad hoc Monasteriũ venit, atque eius electio à Fratribus confirmata, illum in Patris Benedicti cathedra honorifice locauere. Suscepta itaq; Abbatia Senioretus, cepit omnibus perinde modis studere, quatenus nouiter adimpleret, id ad quod Abbas à Romano Pontifice factus fuerat. Angebatur itaq; nimium interdum eius animus, tum pro nostri Ordinis emendatione, tum pro Fratrum sustentatione, & terræ recuperatione. Interea oppidani, occasione accepta, ad suum velle relaxationes, ac placita exquirebant, & licet vi, recipiebant. Exabbas igitur noster Nicolaus, fauente, & iuuante se Goffrido de Aquila, quamdam huius terræ partem, videlicet Mortulam, S. Andream Vallem frigidam, atque Castellum nouũ, retinens, terram, quæ huic loco residua erat, infestare non desinebat: ob quam rem Iordanus Princeps ab eodem Abbate euocatus, extemplo cum non parua militum manu venit, atque super Castrum nouum, quo nepos supradicti Nicolai residebat tendens, adiacentia quæq; igni, ferroq; demoliri præcepit. Ille autem perspiciens oppidanos diffluere à se, & ad Abbatem clam nuntios destinasse, protinus eidem

Senioreti studium optimum.

Abbati

Digitized by Google

Abbati dirigere studuit, quod si eum cum omnibus suis secure exire permitteret, sine dilatione, castrum illi continuo redderet. Quo impetrato, in Abbatis manibus confestim eumdem reddidit castrum.

CAPVT XCV.

INTEREA Apostolicus vrbem egrediēs, venit ad hoc Monasterium, à quo idem Abbas in hac Ecclesia Abbatiæ consecrationem suscepit. Postea verò cæpit ab eo sacramentum vehementer exquirere, atque vt Romanæ Ecclesiæ fidelitatem faceret omnino insistere. Et Fratres modis omnibus reniti, & contradicere, & hoc Cassinenses Abbates numquam feciſſe dicebant. Quibus Pontifex è diuerso respondebat, quia quod omnes fere Episcopi, Archiepiscopi, & Abbates faciunt, Cassinensis Abbas agere debet, è diuerso nostri dicebant: Ideo ab illis Romana Ecclesia fidelitatem extorsisse, pro eo quod sæpius in hæresim lapsi, contra Romanam Ecclesiam sensissent: Cassinensis vero Ecclesia, numquam in hæresim decidit, numquam contra sedem Apostolicam sensit: qua ratione Papa accepta conticuit: exinde vero Pontifex, ex hoc loco discedens Beneuentum ingressus est. Sed de his hactenus.

Honorius Cassinum venit, & Senioretū nonsecrat

CAPVT XCVI.

DVX igitur Gulielmus cum iam annis ferè sedecim Ducatum rexisset mortuus est, atque in ipso omnis Roberti Guiscardi familia, quæ ex ipso descenderat finita est. Defuncto itaq; Duce Rogerius hæres, & filius quōdam Rogerij Siciliæ Comitis, fratris prædicti Roberti Guiscardi Ducis, Ducatum occupat, contra quem Apostolicus cum expeditione properat: demum facta concordia, eidem confirmauit Ducatum. Iis porrò diebus Iordano Principe obeunte Robertus eius filius eidem

Digitized by Google

dem ſucceſſit in Principatu, qui huic Monaſterio priuilegiũ fecit de hominibus caſæ Gentianę, de ſcadentijs, de modijs terræ viginti in territorio S. Mauri ad Caſale, de piſcatione in mari, & flumine in omni territorio Caſtelli ad mare, de his quę dederunt, Iordanus ſecundus pater eius, Richardus ſecundus, & Robertus patrui, Iordanus auus, & Richardus proauus ſui, & de venientibus ad habitandum in Terra S. Benedicti, vel aliquid Monaſterio largiendum, pęna librarum auri centum appoſita. Robertus etiam Comes de Moliſio fecit priuilegium huic loco de medietate caſtri Serræ, quod eſt ſub iure Larinenſis Epiſcopatus, *pęna librarum auri centum appoſita.*

Præterea Rogerius Dux, fecit priuilegium S. Benedicto, de his, quæ obtulerunt Robertus Dux, & Sicelgayta vxor eius. Rogerius, & Guilielmus filij in Apulia, Calabria, Principatu, Salerno, & Amalfia, de conceſſionibus Principum, Baronum, & aliorum fidelium, pęna librarum auri trecentarum appoſita, anno Domini milleſimo centeſimo trigeſimo, per manum Guarnerij Mazarienſis Decani.

Ann. 1130

CAPVT XCVII.

Papæ Honorij obitus.

Innocentius II.

INTEREA Papa Honorio vita decedẽte, electi ſunt Gregorius Diaconus Cardinalis S. Angeli in Papam Innocentium ſecundum, & Petrus Presbyter Cardinalis S. Calliſti in Anacletum. Innocentius vero per aliquantum temporis ſpatium, in vrbe permanẽs cum Epiſcopis, & Cardinalibus, qui ſuæ parti fauebant, ad ciuitatem Piſanam perrexit, Conradum Sabinenſem Epiſcopum, Vicarium in vrbe relinquens. Petrus præterea Cardinalis Rogerio Duci Apuliæ coronam tribuens, & per priuileginm Capuanum Principatum, & Ducatum Neapolitanum, cum Apulia, Calabria, & Sicilia illi confirmans, Regemq; conſtituens, ad ſuam partem attraxit, præcipiens, vt Epiſcopi, & Abbates, qui in ſuæ ditionis terra manebant, ei hominium facerent.

Per idem tempus Robertus Princeps, cuius ſupra memi-

nius, ex

Digitized by Google

simus, fecit priuilegium huic loco, sicut antea fecerat, & de relaxatione quinquaginta tarenorum, & Gualdo, & de portu molendini, quod est in fluuio Vulturni loco Cazoli, cum portu ex vtraque parte fluminis. Post hæc prædictus Princeps abijt Pisas, & Rex Rogerius venit super Principatum, ob quam rem hic Princeps à Pisis stipatus nauali exercitu, Neapolim venit, Auersani se eius Imperio subdunt, contra quem Rex Rogerius veniens, eum fugauit, Auersam in cinerem redegit, Alfuso filio Capuanum tradidit Principatum. Tunc temporis Hubertus Pisanus Archiepiscopus Apostolicæ sedis Legatus, fecit priuilegium huic Monasterio de S. Georgio de Baray, & S. Maria de Gennor.

Innocentius igitur Alemannorum, & Lotharingorum Terram ingressus, iuxta Leodium à Lothario Rege excipitur, virgam, & annulum ei iuxta morem antiquum confirmans, necnon & Terram Comitissæ Mattildæ ei contradēs. Deinde Lotharius Rex venit Romam, & accipiens coronam ab Innocentio, reuersus est. Et dum in conspectu eius totus, vt ita dicam, Romanus orbis pacatus quiesceret, & sub eius ditione calcati iacerent, à Papa Innocentio Pisis remorante, frequentibus litteris monitus, vt Romani Imperij coronam ab hostium iugo defenderet, & Ecclesiam scissam ad pacem, concordiam, & vnitatem, Cæsar strenuissimus, & clementissimus, reduceret. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trigesimoquinto, immensum valde nimis totius Romani Imperij exercitum congregans, vna cum Richiza Augusta vxore sua, intrauit Italiam. Ingens interea pauor, & hebetudo mentis corripuit Ausoniam, & quid dicerent, vel facerent vnus ab alio inquirebat.

Lotharius ab Innocētio Romæ coronatur.

Ann. 1135

CAPVT XCVIII.

INTER hæc Regis Rogerij Cancellarius Guarinus nomine, Canzolino, qui tunc Capuæ præerat, mandat, quatenus Cassinensi Abbati, vt ad se veniat, destinet, venientem protinus capiat. Abbas autem talia dum persensisset, abnuit, ac se minime tunc illò posse ire remittit. Cancellarius vero magis, ac magis in suspitionem ve-

Digitized by Google

niens, mandat Abbati, vt sibi Capuam venienti cum festinatione occurrat, quatenus de Regni negotijs, cum ipsius Terræ Baronibus, insimul tractent. Casu itaq; tunc accidente, Abbas grauiter infirmatus est, & ob hanc rem ire ad eũ distulit. Sanitati autem redditus duos fratres ante natiuitatem Domini, Cancellario apud Beneuentum constituto, direxit, infirmitatis magnitudinem pandens. Cui cancellarius remisit, vt post celebratam festiuitatem ad eum Capuam pergeret, alias autem ipse ad eum veniret. In festo autem Euangelistæ Ioannis prædicti fratres reuersi, rumorẽ, quem hauserant pandunt. Nam inter eundum, & *redeundum per amicos*, & fideles Monasterij de hac re *interrogantes*, *nil* aliud, quam vt illum capere vellet, audierunt. Abbas autem quid in tali re faceret ignorans, simulat infirmitatem. Cancellarius vero iuncto sibi Capuano electo, & Canzolino, Caffinum, vt dispoſuerat, venit.

Aquinensis interea electus inuidiæ stimulis incitatus, & veneno nequitiæ debriatus, Regis Cancellario per quemdam scutiferum mandat, quod Caffinensis Abbas non pro ipsis, sed contra ipsos ad suscipiendum Imperatorem Lotharium, & Papam Innocentium se præparet. Quod si illum veritatem dicere minimè crederent, Caffinense Monasterium ab eo expeterent, si daret, scirent illum esse mentitum, si non, veritatem illum dicere certissime crederent. Epistolarum vero portitor, sciens quid in ipsis continebatur epistolis, ad Monasterium venit, & id quod in re erat Abbati per ordinem pandit. Abbas autem à scutifero Epistolam accipiens, & relegens, omnia prout idem retulerat inuenit. Cancellario itaq; cum Capuano electo, & Canzolino *apud* S. Germanum aduenientes: Guarinus electus Aquinensis, pro eadem re ad illos aduenit. Cumq; Abbati *in* dolo mandarent, vt omni sepoſita occasione, ob regni negotia ordinanda, ad illos descenderet, remisit, se ad eos ob infirmitatem ire non posse; misit tamen Monasterij Priores ad Cancellarium, qui in eius præsentia Aquinensem electum de prædicta causa reprobarent, atque illum falsissimũ omnino ostenderent. Cumq; electus hoc se feciſſe negaret, ostendunt Epistolam, pandunt per ordinem omnia. Tunc ille confusus ne-

sciebat,

Digitized by Google

sciebat, quid euidenti rationi responderet. Cęperunt autem hi, qui ex parte Regis erant, cæpta omittere, ac simulato animo, & ira, Cassinensibus faceta verba proferre (vtpote qui electo Aquinensi fauebant) atque se ob hanc rem, neque veniſſe, neque id credere iureiurando affirmabant. Sed poſt paululum, qui dolorem conceperant, peperere iniquitatem, cum protinus earumdem litterarum portitorem apprehendentes, & diuerſis ſupplicijs excruciantes, oculis priuauerunt. Electus vero timore ductus, ac minantium ciuium furore perterritus, Canzolino illum de ciuitate educente, Aquinum rediit.

Altera autem die in ipſis Epiphaniorum vigilijs ad Monaſterium aſcendentes, poſt ſalutationem ex more factam, ac nonnulla inter ſe colloquia, cæteris exeuntibus, cæperũt Abbatem ſuper mandatum Regis, de datione Monaſterij requirere, atque vt ſibi ſtatim in præſentiarum (quod eſt à ſæculis inauditum) traderetur, omnino præcipere. Ipſe vero cum viginti, aut quantis ex Fratribus vellet, cum omni theſauro Eccleſiaſtico, & cuncta ſuppellectili Monaſterij, ad arcem quæ Bantra dicitur demigraret, reliqui vero per obedientias diuiderentur: in Monaſterio quatuor Sacerdotes, cum tribus aut quatuor Fratribus dimitteret, qui diuinum officium ad Patris Benedicti corpus peragerent: afferentes ſe hoc pro nulla alia cauſa facere velle, niſi quod Caſſinenſis Eccleſia magnam per totum orbem Romanum haberet famam eſſe in omnibus locupletem, atque præ omnibus Italiæ Eccleſijs in auro, & argento, alijſq; pluribus opibus pollere. Quod ſi omnia hæc Lotharius Imperator, vel alij inimici Regis obtinere valerent, multa detrimenta, & damna, per hoc in Regno eius euenirent. Dicebant autem hæ mentientes, quia vt poſt in propatulo claruit, illum inter eundum comprehendere, & ſupradicta omnia ſurripere diſpoſuerant: ſicq; iam Monaſterium, & cuncta ſecurè detinerent. Poſt hanc ergo tam inauditam, tamq; nefandam iuſſionem, abſque communi Caſſinenſium Fratrum conſilio Abbas hoc ſe agere poſſe negauit. Accepta itaq; conſiliandi licentia, hi qui ex parte Regis erant egreſſi ſunt foras. Ann. 1136

Dehinc Abbas, Monaſterij priores conuocans, quam ob

Digitized by Google

causam Cancellarius venerat pandit. Quid cuiq; super hoc videretur interrogat, atque quid in tali negotio opus sit, consilio cum eis communi pertractat. Omnium tamen vna nime votum, vna sententia fuit, quatenus Cassinense Monasterium, nullo pacto nulla ratione in laicorum potestate traderetur. Promittentes se, vsque ad mortem pro tanti loci defensione certare paratos esse. Ante se canum, muricipum, & equorum carnes comedere, quam Cassinense cœnobium in aliorum potestatem, atque dominium venire permitterent. Quoniam quidem si caput incolume permanere constaret, reliqua membra, si quid incommodi, si quid aduersi eueniret, salutem sperarent: Si autem caput periret, cætera etiam membra, licet sana viderentur, cum capite pariter in interitum irent. Hoc communi consilio deliberato, Cancellario aduenienti cum Canzolino, Abbas taliter orsus est loqui. Super Cassinensis cœnobij negotijs, vnde nos requirere voluistis, tam pro rei magnitudine, quàm etiam, & pro ipsius temporis breuitate, neque consiliari, neque quid vobis respondere possemus inuenimus: vnde rogamus quatenus nobis terminum detis, quousque cunctos nostræ congregationis Fratres, qui per obedientias positi sunt, conuocemus: sicq; cum eis, quid nobis agendum sit, communi consilio pertractemus.

Optima Cassinensium Monachorũ deliberatio.

Tunc Cancellarius amaritudinis felle succensus respondit dicens: Quod consilium hic est? aut quod consilium vultis habere? hic non est consilium, non erit dilatio aliqua, nisi vt iussionem Regis impleatis: Nam ego vobis consiliãdi terminum non do, sed omnino ex parte illius impero, atque præcipio, quatenus extemplo, quid de hac re statuistis respõdere curetis. Cui Abbas respondit. Hoc profecto, quod dicitis implere minime possumus, & maxime, quia si hoc Rex præcepit, vel qua ex causa, hæc fieri mandauit ignoramus. Ad quem Cancellarius, tale confestim dedit responsum. Ego sum os, & lingua Regis, per me loquitur, & sua iura disponit. Qua vero ex causa fieri mandauit, hæc est. Lotharius cum suo Papa Innocentio veniet, & in hoc volumus vos probando tentare, si nobiscum debetis in fidelitate Regis permanere, ac pro eius conseruanda corona contra Lotha-

Digitized by Google

Lotharium decertare. Ad quem Abbas. Parati sumus, inquit, hoc cum necesse fuerit adimplere, & sacramento inde vos, in præsenti per nostros fideles firmare; insuper promittimus nos contra inimicos Regis strenuè præparare, & pro posse Cassinense cœnobium, contra Imperatorem defendere, & manutenere. Cui cum Cancellarius dixisset, cum quibus Cassinense cœnobium contra Imperatorem defensurus esset. Abbas respondit, cum opportunum fuerit, de ciuitate S. Germani, & omni Terra S. Benedicti fortiores, & robustiores quosq; eligentes, hic habere studebimus, sicq; cum vestro consilio, & vestris militibus in adiutorium (si res ita exigeret) venientibus, Cassinensem Ecclesiam contra Imperatorem, & contra milites eius defendere, & manutenere curabimus, ita vt per Cassinense cœnobium, nulla Rex detrimenta, vel damna patiatur. Exclamans protinus Cancellarius dixit cum magna indignatione. Ecce Regis fideles, videte, cum quibus putat se Cassinensis Abbas Imperatori resistere, cum effœminatis videlicet, infidis, & periuris, & qui numquam B. Benedicto fidem seruauerunt. Qui Brunonem, Oderisium, & Nicolaum de Abbatia expulerũt, qui Cassinense cœnobium contra fas, & ius cæperunt, qui castrum Ianulæ destruxerunt, monachosq; contradicentes, ante B. Benedicti altarium gladijs percusserunt. Cæpit autem & multa cum suis contra Abbatem dicere, & monachos, & laicos deturpando iniuriare, multis & varijs opprobrijs dehonestare, fallaces, & callidos declamare, cumq; ad hæc omnium ora in silentio essent, recessit tandem cum magna indignatione, & ira: præcipiens, ac dicens, vt per totum ipsum diem de eadem re responsum sibi reddere omnino deberent.

Recedente itaq; eo omnes Priores in vnum cum Abbate conueniunt, causam inter se conferunt, trahunt longa suspiria, & quid agere debeant nesciunt. Angustiæ illis erant vndiq; & quid eligerent nesciebant, dicentes: si Monasterium in manibus laicorum damus, incurrimus in mortem animæ, & corporis, si autem non damus non effugiemus manus illorum, sed melius est nobis incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei nostri, & videre mala gentis

Digitized by Google

noſtræ, & ſanctorum. Hoc vnum omnes à minimo vſque ad maximum dicebant, in hoc omnium diffinita ſententia erat, vt quamdiu poſſent, numquam Caſſinenſe cœnobium pro vita amittenda in laicorum traderent poteſtatem. Viſum demum omnibus eſt, vt ad eumdem Cancellarium nuntios deſtinarent, qui eum ſuppliciter exorarent, quatenus illis ſpatium daret quouſque de tanta re, ſicut deceret, conſiliari, eiq; reſpondere valerent. Cancellarius autem dum Monaſterium cum ſatellitibus ſuis deambulans circuiret, ad dormitorium veniens iuſſit metiri altitudinem *muri, quatenus illius exemplo ſcalas ad cœnobij captionem aptare valerent.* Quod videns vnus ex Fratribus nuntiauit *Abbati.*

CAPVT XCIX.

Viſio cuidam Ioanni monacho oſtenſa.

EO etiam tempore quidam Frater, Ioannes nomine, dum naturæ debitum ſolueret, & iam ſine motu, & voce iaceret, ſubito in ſe rediēs, retulit ſe vidiſſe Patrem Benedictum cum multitudine monachorum defunctorum in Eccleſia ſtantem, & Regem Rogerium eādem Eccleſiam ingredientem, omnemq; Caſſinenſis Eccleſiæ theſaurum aſportantem. Qui cum ad gradus maioris Eccleſiæ peruenisſet, mortui, qui in Eccleſia eminus erant, irruentes interficiebant eum. Hæc cum dixiſſet adiunxit, vt certius ſciatis me vera proferre, noueritis me ſtatim è mundo receſſurū, quod ſi poſt hæc vlterius vixero, indubitanter, quæ protuli falſa fuiſſe noſcatis. His dictis obdormiuit. Hæc quidem Frater. Nos verò præfatam viſionem pertractantes, atque in memoriam retinentes, iam penè totam impletam eſſe videmus, quando ferè omnem huius loci theſaurum Rogerij Regis factione ſublatum eſſe videmus. Acta ſunt autem hæc omnia vigiliarum Epiphaniarum die.

Anno 1136

CAPVT C.

Monachi nudis pe-

POST hæc ab Abbate, & Fratribus ſtatutum eſt, vt duodecim ex Monaſterij ſenioribus, diſcalciatis pedibus ad ciuitatem.

Digitized by Google

ciuitatem pergerent, vbi iam dictus Cãcellarius,& Capuanus electus morabantur, suppliciter flagitantes, vt spatium darent in quo Fratres, qui in obedientijs erant congregarentur, quatenus cum eis in vnum communicato consilio congruum responsum, de re suprascripta, proferre valerẽt. Quod dum factum fuisset cum luctu, & gemitu vsque ad ianuam Monasterij illos est omnis congregatio subsecuta; illis autem recedentibus, Fratres ad Ecclesiam B. Benedicti reuersi sunt,vbi quantæ lacrymæ effusæ sint referre quis valeat? omnes enim in terram se prosternentes, & capita in pauimento Ecclesiæ percutientes, Domini misericordiam, cum luctu, & voce cordis implorabant, vt locum istum respiceret. Demum vero ad B.Benedictum conuersi,ac si præsentem eum viderent. Pater sanctissime tu præsentiorem te discipulis tuis post carnis recessum, quam si viueres pollicitus es, te esse futurum,vnde per Patrem,& Filium,& Spiritum sanctum te adiuramus, vt quemadmodum pollicitus es, & nos, & locum istum protegas,& ab omnibus malis defendas. Post hæc viuificæ crucis lignum, & brachium sancti Apostoli,& Euangelistæ Matthæi, & sancti confessoris Christi Mauri Fratres sumentes, cum litanijs per Ecclesias intra Monasterium sitas pergere statuere. Cumq; in Ecclesia B. Martini, vota Domino supplicationis, & laudis persoluerent, post finita suffragia exeuntes inde, ad Ecclesiam Beati Protomartyris Stephani diuertere, vbi cum vnus è Fratribus ad portas basilicę aperiendas præcessisset,inuenit eas obseratas, Frater enim, qui eamdem tenebat Ecclesiam, vnus erat ex duodecim illis, qui ad Cancellarium ierant,& clauem Ecclesię oblitus dimittere,secum detulerat.Regresso autem illo, qui ad Ecclesiam aperiendam præcesserat, quod in re erat denuntiat,& vt reuerterentur, qui primi incedebant dicebat: iterum alij, atque alij currentes, similiter clausas ianuas inuenere, & Fratribus nuntiare curarũt. Frater autem, qui crucem ferebat, nesciens,quid ageret, se sequentes hortatus ad ianuas peruenit Ecclesiæ, & mox tactis seris, diuinitus sunt apertæ: vnde aliquantulum lætificati, gratias Deo peregerunt, atque cum omni deuotione, & cordis contritione ibi litaniarum suffragijs peractis, ad

dibus Cãcellarium adeunt.

Monachi Dei misericordiam implorant

Miraculũ

Patris Benedicti Ecclesiam, sunt reuersi; sicq; missas ipsius Dei cum luctu, & tristitia peregerunt. Et tunc adimpletum est in illis, quod per Prophetam dicitur: Dies festi vestri conuertentur in luctum. At Fratres, qui missi fuerant ad Cancellarium, cum ad locum, in quo Pater Benedictus semel per annum cum Sorore sua locutus fuerat, peruenissent, Decanus, & qui cum eo ob eamdem rem ante descenderãt, cognito illorum aduentu, ad Monasterium remiserunt dicentes, quod pro tali facto Cancellarius magis prouocaretur ad iram, quam flecteretur ad misericordiam.

Amos 8. verf. 10.

Nota hũc locum.

Cancellarius autem postquam audiuit, quod *Fratres eum* B. Mauri brachio per sanctorum Ecclesias *Dei omnipotẽtis* clemẽtiam supplicarent, in superbiam eleuatus, cæpit multa contra monachos minitare dicens, se incisuros illis, & labrum, & nares, & vestes illorum medias, vsque ad nates, & sicut alter Nicanor verba blasphemiæ in Deum, & Sanctos eius proferre dicens. Quod spes, quam monachi in Benedicto, & in Mauro habebant, cassa esset, illisq; magis perniciem, quam salubritatem conferret. Vehementiq; post hæc indignatione permotus, litteras habitantibus in Campania, Samnio, Apulia, Lucania, & Calabria direxit, mandans vt quam citissime possent, cum diuersis bellorum machinis, ad Cassinense Monasterium obsidendum, & capiendum venirent. Abbas autem agnoscens, quod Cancellarius de sua morte, & cœnobij captione cogitaret, cum paucis communicato consilio, Legatos ad Landulfum de S. Ioanne, qui tũc Imperatori fauebat, direxit: mandans, vt veniret, & Cassinense Monasterium sub cura sua susciperet, & contra eos, qui illud capere quærebant defenderet: verum quia hoc per diem agi non poterat, per noctem impletum est, atque ex vtraque parte factis sacramentis, tertia die post festiuitatem Epiphaniæ, feria sexta, milites Landulfi iam dicti in Monasterium inducti, & munitiones contraditæ sunt. Landulfus verò post hæc Cassinum deueniens, Abbati & Fratribus constantiam, & inimicis perturbationem maximam contulit.

Cancellarius autem agnoscens Landulfum Cassinum venisse, ciuitatem Aquinum, quo commorabatur relinquens, atque

atque per sanctum Angelum in Maiolisi Lirim fluuium trā-siens, Minianum perrexit, vbi infirmitate grauissima tactus, Notario præcepit, vt litteras scriberet, quatenus omnes, qui in Regno Regis Rogerij morabātur ad Cassinense Monaste-rium capiendum venirent, quod dum ille implere satage-ret, subitanea morte defunctus est.

Post hæc Abbas cum Fratribus statuit, vt per triduum Dei omnipotentis clementiam supplicarent, quatenus pa-cem, & quietem Cassinensi cœnobio largiflua pietate con-cederet; & quia silentium illis diebus, propter tumultum, & perturbationem, tenere non poterant, decreuerunt, vt tri-bus diebus post completorium, vnum per noctem Psalterium in Ecclesia cantaretur; sed antequam eamdem triduanam inchoarent, Abbas in capitulo surgens, iuxta Monasterij consuetudinem veniam petijt, & confessionem de suis ex-cessibus fecit. Similiter & omnes Fratres post illum, se in Patris Benedicti Regula deliquisse confessi sunt, sicq; Ab-bas indulgentiam illis conferens, de omnibus excommuni-cationibus in Cassinensi cœnobio factis, in quibus aliquan-do offenderant, eos absoluit.

ADNOTATIO.

CArdinalis Baronius tom. 12. Annal. anno 1136. super his, quæ à Petro hoc capite referuntur, hæc ait. At dicet aliquis, si schismatici erant hi, quomodo miraculo illo aperte sunt eis spontaneè fores Ecclesiæ? Dicam breuiter: Non si-mul, ac Abbas, vel Episcopus aliquis schismaticus est, necesse est omnes sibi subditos pariter esse schismaticos, sed illos tan-tum, qui certo sciunt suum errare Præsulem, cæteros autem non peccare, qui persuasibilibus rationibus, putant ipsum recta incedere via, & se verum sequi Pastorem, nec tanta inest ipsis doctrina, vel adeo explorata rerum gestarum co-gnitio, nec facultas exquirendi, cuius potiora sint iura, bosq. sua ipsorum conscientia reddi crimine liberos, sicut & tunc euenisse putamus: nimirum, quod & si Abbas, & ex Præfe-ctis aliquis apud Deum, & eius Ecclesiam rei fuerint patra-ti sceleris, simpliciores tamen his subditi, bona fide, & con-scientia Pag. 245.

Digitized by Google

ſcientia pura curiſa gerentes, diuinis tantum rebus vacantes, omnis curioſitatis expertes, nullo modo (vt canones docent) rei fuerint tanti criminis, quorum numerum haud exiguum fuiſſe, iure poſſumus exiſtimare.

Hæc quidem optime dicta ſunt à ſapientiſſimo Cardinali: verum vnde ipſe habuerit, vel Senioretum Abbatem, vel Caſſinenſes Monachos, eo tempore fuiſſe ſchiſmaticos, ego penitus ignoro; & quidem Senioretus numquam legitur à vero, & legitimo Eccleſiæ catholicæ Pontifice ſe aliquando ſeparaſſe, ſed poſt eius obitum Rainaldus Calamentanus, Abbas tumultuaria electione factus, cum ſuæ factionis monachis, filio Petri Leonis Antipapæ, cuius Subdiaconus erat, adhæſit, ſicq. ipſe cum ſuis ſchiſmaticis facti ſunt: vt docet auctor infra cap. 104. Reſtituendus ergo Senioreto Abbati bonor ſibi debitus, nec inter ſchiſmaticos, ſed inter veros, & legitimos Eccleſiæ catholicæ filios annumerandus, cum nullibi appareat ſchiſmate ſe ipſum polluiſſe, ſed ſemper in obedientia Innocentij ſecundi perſeueraſſe. Immo quia nec ipſe, nec Monachi Caſſinenſes ſchiſmaticis adhærere voluerunt, vniuerſa mala, quæ hic referuntur, ſunt perpeſſi.

CAPVT CI.

S. Benedictus Bono Monacho apparet.

IS porrò diebus quidam Frater, Bonus nomine, dũ in Eccleſia B. Protomartyris Stephani poſt matutinalem ſynaxim fatigatus obdormiſſet, B. Benedictus in viſione ei apparens dixit. Multa incommoda, & perturbationes, & rerum maximum detrimẽtum pro hoc facto habebitis; ſed confidite in Domino, & in potentia virtutis eius, quia adhuc domus mea reintegrabitur, & in ſuum ſtatum reducetur, Beatiſſimum vero Maurum, vt omni inſtantia precum ſupplicetis, præcipio, ipſius fine dubio interuentu, ab inſtanti periculo, & perturbatione liberabimini, & his dictis diſparuit. Euigilans autem Frater, Abbati & Fratribus, quæ viderat, & audierat per ordinem pandit, vnde in communi Fratrum capitulo ſtatutum eſt, vt omnibus Dominicis diebus ad introitum Eccleſiæ, poſt antiphonam

Digitized by Google

tiphonam B. Benedicti adderetur, & antiphona B. Mauri. Similiter, & in omnibus festis, in quibus collecta facienda est, sicut in quotidianis diebus antiphona, & oratio eius diceretur. Interea tota Terra à fidelitate Abbatis, præter castrum Cassinum, recessit; de quo facto homines de castro S. Angeli, causa, & initium exiterunt. Ipsi enim primitus inimicos Monasterij intra castrum susçipientes, Cassinense cœnobium oppugnare cœperunt. Post hæc Bertulfus Mansionarius, natione Cymber, & Adenulfus cognomento Marsicanus, huius rei gratia ad Imperatorem Lotharium diriguntur. Dehinc omnes obedientiæ per Campaniam, Picenum, Samnium, Lucaniam, atque Calabriam captæ, atque à iure cœnobij Cassinensis subductæ sunt.

Cancellarius vero, qui tanti mali caput, & auctor fuit septimodecimo die, postquam huc in vigilijs Epiphaniæ peruenit, apud Salernum ad extrema perueniens clamabat, Benedicte, & Maure cur me interficitis? cumq; hæc crebro repeteret, vita decessit. Cancellarij interitus. Anno 1136.

CAPVT CII.

IN eodem tempore quidam Fraeer Crescentius nomine, natione Romanus, vidit in visione, quemdam lacum, nimiæ magnitudinis, & ignei coloris, cuius vndæ ad cœlum ferri videbantur, in quibus vndis, vidit eiusdem Cancellarij animam in aeris alta eleuari, & rursum ad ima demergi. Iuxta quem lacum, cum duos Monachos stare vidisset, interrogatus ab eis cuius esset anima, quam tantis tormentis affici videbat, se Frater nescire respondit. Ad quem qui videbatur senex, hæc est, inquit, anima Guarini Cancellarij, quæ idcirco talia patitur, propter perturbationem, & tribulationem, quam Cassinensi Monasterio excitauit. Quem Frater cum quis esset, qui talia promeret interrogasset. Fratrem Benedictum se esse respondit. Frater autem à somno exurgens, ita se vidisse, & audisse, Deum, & Sanctos eius testes inuocans, affirmabat. Cancellarij æterna damnatio.

Inter

Inter hæc quidam ex noſtris, contra voluntatem Abbatis, de pace, & concordia tractare cæperunt, cum ijs, qui ex parte Regis erant, mediante Richardo Epiſcopo Caietano. Demum vero, ad id ventum eſt, vt ex parte Fratrum, facto ab obedientialibus ſacramento, & à cuncta congregatione promiſſione de pacta conuentione, atque ex illa parte factis ſacramentis, pax fieret: ficq; commotio illa, & perturbatio, ſubito quieuit, ſed ad tempus.

CAPVT CIII.

Senioretus obijt anno 1136.

TERTIA vero die, poſtquam hæc facta ſunt, ſupradictus Abbas languore depreſſus, vitam finiuit, quinta feria, nonis Februarij. Per totam vero noctem, qua vita deceſſit. Decanus cum Fratribus tractare cæpit, qualiter antequam mors eius diuulgaretur, homines Landulfi ſuperius nominati, qui Monaſterium tenebant foras expellerentur. Remuneratis igitur illis, qui in capite eorum erant, & à Regis Baliuis ſecuritate accepta, vt inde cum ſuis omnibus exirent, mediante iam die omnes de Monaſterio, cum armis recedentes, ad ſua reuerſi ſunt, qua ex re factum eſt, vt vſque ad illam horam, mors Abbatis palam neſciretur. Hora autem nona iam propinquante, celebrato officio ipſius, ſepulturæ traditus eſt, ad dexteram partem introeuntium in cimiterium, iuxta gradus, vbi quatuor diſcipuli B. Benedicti requieſcunt.

CAPVT CIV.

SED vt ad id redeam vnde digreſſus ſum, cum ad huc Abbatis feretrum in Eccleſia eſſet, deſtinati ſunt à Canzolino, Capuani Principatus Camerario, milites, vt nullus eo abſente de Abbatis electione tractare præſumeret. Dilatum itaq; eſt, & contradicentibus, ac mærentibus monachis, vſque ad ipſius aduentum protelatum, cumq; illuc adueniſſet, cum ei oſtenderentur,

Digitized by Google

tur, de electione Abbatis Patris Benedicti iussio, & priuilegiorum constitutio: Respondit, quod nil ad præsens istiusmodi valeret ostensio, sed differte vsque ad Domini mei Rogerij Regis notitiam: sin autem, tradite arcem Bantrensem, & eligite quem vultis, ita tamen, vt prius fidelitatem Regi faciat; quod cum Fratres se non implere dixissent, ipse exercitum congregans, vniuersa Cassinensis cœnobij castra ab eius ditione subduxit.

Iam ferè sex dies in tali fluctuatione transierant, cum ad festum virginis Christi Scholasticæ, Fratres vndiq; ad Monasterium conuenientes, & de electione Abbatis inter se tractantes, diuiduntur in partes, & vna quidem Raynaldum Calamentanum, qui post Abbas extitit. Alia Raynaldum Etrurien sem eligere disponebant; sed cum inter se plurima conferrent, visum demum Prioribus est, vt electio differretur, vsquequo ad Regem Rogerium, Romanumq; Pontificem, tunc Pisis remorantem, Nuntios destinarent, per quos Cassinensis cœnobij fortunam notificare, & super tali negotio illorum consilium præstolari valerent; sed cum ad hoc alteram partem flectere nullo modo possent, contradicentibus, & renuentibus alijs, qui supradictum Raynaldum Calamentanum eligere disposuerant, eumdem Raynaldum apprehendentes, in Patris Benedicti cathedra illum locantes, sibi in Abbatem constituunt. Reliqui vero nimis hæc indigne ferentes, clam ad Berthulfum Mansionarium, & ad Adenulfum Cassinensis cœnobij Fratres, quos Abbas Senioretus Legatos direxerat ad Imperatorem Lotharium, Nuntium cum litteris destinant: per quas, & Senioretum de hoc mundo migrasse, & eumdem Raynaldum contra voluntatem suam seditiose, & non canonice electum esse notificabant: postulantes, vt Imperatorem atque Pontificē ex parte totius congregationis rogarent, vt ex suis aliquem in Cassinensi cœnobio Abbatem constituerent, & in Raynaldi electione nullatenus præberent assensum, prius se Monasterium destruere, prius inde egredi, quam illum sibi Abbatem constitui proclamātes. Quod dum Raynaldus certo certius agnouisset, clam cum Canzolino, alijsq; fidelibus Regis pacisscitur, eiq, fidelitatem faciens, Abbatiam illi confirmant: ficq;

Raynaldi Calamentani tumultuaria electio,

Raynaldi schismatici adhæret.

Digitized by Google

ficq; sacramentum à colonis Monasterij accipiens, à filio Petri Leonis cuius Subdiaconus erat, in Cassinensi Abbatia firmatur. Cumq; Nuntius, qui litteras ferebat Rauennam, vbi tunc Imperator morabatur peruenisset, à supradictis Fratribus Imperatori Lothario cum litteris præsentatur. Pandunt quæ Cassinensi Ecclesiæ, camotæ scilicet Romani Imperij accidissent, qualiter Senioretus defunctus, & Raynaldus, qui fidelitatem Regi Rogerio fuerat; Abbas contra voluntatem multorum electus fuisset: & quia nonnulli ex Fratribus de Monasterio egredientes in manus inimicorum incidissent, & plurimas perpessi essent calamitates. Post vero deflebant periclitari suos familiares, confundi Cassinense cœnobium, & quemadmodum ipsi omnia dimisissent, pro Romani Imperij fidelitate, in quo solo spem suam post Deũ, & Patrem Benedictum Cassinensis Ecclesia posuisset.

Lotharius autem Imperator misericordia motus, necnon & memor, qualiter sub antecessorum suorum tuitione Cassinensis Ecclesia fuisset, multo magis tamen propter odium Regis Rogerij, quem Romano Imperio inimicissimum esse iudicauerat, propensior erat apud prædictos Fratres, & iuxta tenorem edicti, quod Pipinus, & Carolus Magnus statuerant, illos inter cappellanos Romani Imperij, iuxta morem antiquum constituit. Cumq; Duces, Principes, ac Marchiones Imperij congregasset, beneficia prædecessorum suorum Cassinensi cœnobio concessa intimabat, & supradictum Raynaldum accusans, manifestum hostem Romani Imperij pronuntiat, quoniam Abbatiam ab inimico Romani Imperij sibi confirmatam acceperat, neglecto, & contepto Imperatore, à quo Cassinensis Ecclesia ciuitates, castra, & omnes possessiones acceperat.

CAPVT CV.

Innocentius Papa conatur reducere Cassinenses

EO tempore Henricus Dux Baioariæ gener Imperatoris, ab eodem Imperatore transmissus, vna cum Papa Innocentio intrauit Campaniam. Igitur cum in planitiæ, quæ Cassini contigua est, castra posuissent, Richardum supradicti Pontificis cappellanum,

&

Digitized by Google

& Cassinensis cœnobij Monachum ad Monasterium destinant, mandantes quod si illos vellent recipere, & Papæ Innocentio obedientiam exhibere, ipsi pro suo posse, illos, vt filios, vt fratres, vt socios diligerent; & Cassinense Monasterium sub Imperatoris tutela, & defensione semper haberent. Sed cum huic rei Raynaldus aurem non accomodaret, & fratres illum de Monasterio exturbare, si facultas daretur, per omnia vellent, idem Raynaldus Fratres in capitulum conuocans, suadebat, vt in Regis Rogerij fidelitate manerent, vt filio Petri Leonis obedientiam conseruarent. Adiutorium illis non defuturum. Postremò fatetur se ab illis Abbatiam accepisse, non ab alio. Ad illorum libitum, si vellent, Abbatiam dimitteret, si non, retineret. Et hæc quidem ore non corde proferebat, iam enim occulte miserat ad Gregorium filium Adenulfi de S. Ioanne, vt cum suo exercitu per Tirillanam siluam. Cassinum veniret, quatenus eius ope, & auxilio fultus, Monasterium contra Papam, Ducem, & Monachos retinere valeret. Quo dum venisset cum eodē electo sacramento confœderatur, & Monasterij munitiones ab ipso accipiens, & assultum, cum suis militibus Pontificis Nuntios inuadit: quos cum in fugam vertisset suis audaciā permaximam tribuit. Apocrisarij autem Pontificis dum ad ciuitatem, quæ monti adiacet peruenissent, ciues sub Imperatoris fidelitate sacramento constringunt, & sic ad castra redeunt. Raynaldus autem cum Gregorio intra Monasterium conclusus sata extra Monasterium incidebat, & omnia destruebat, ne quid ad alimentum hominum, vel iumentorum relinqueretur.

Raynaldus i schismate perseuerat.

Iam ferè vndecim dies transierant, cum Dux videns Monasterij Cassinensis bona dilapidari, simul & pugnæ tempus transire, consilio habito, Raynaldum euocat, & calicem aureum, necnon & obsides pro quadringentis libris accipiens, Abbatiam ex parte Imperatoris (si in eius fidelitate permaneret) illi confirmat; & eum à se, suisq; securum reddens, Imperatoris vexillum in B. Benedicti Ecclesiam induci, ac demum in arcem, quæ Ecclesiæ imminet, cum ingenti laude imponi præcepit.

Alia vero die castra mouens cum ingenti exercitu supra ciuitatem

Digitized by Google

ciuitatem Capuanam deuenit, ibi itaq; Rao Raelis filius, & Goffridus de Aquila venientes, & se, ac suos Pontificis, ac Principis Roberti, & Henrici Ducis Imperio subdunt. Capuani autem cernentes Barones cateruatim ad Papam, & Ducem confluere, solo prostrati veniam poscunt. Quo facto totus, vt ita dicam, Capuanus Principatus Rogerij iussa linquentes, Papæ vestigijs aduoluuntur, omnia imperata se facturos spondentes: multi namq; propter amicitiam, quam cum Roberto Principe habuerant, confluebant ad eos, nonnulli propter illorum gloriam, & remunerationem beneficiorum, quam se ab ipsis accepturos *sperabant*: plures vero propter spem quam in eis, tanquam *in proprijs* Dominis habebant.

Henricus interea gener Imperatoris vna cum Papa Innocentio, Roberto Principi Capuanum Principatum restituẽtes, cum ingenti exercitu ad pontem S. Valentini iuxta Beneuentum castra locauit. Mãdat post hæc Dux in ciuitatem ex parte Apostolici Nũtios, vt nisi anathema Apostolicum, & Imperialẽ vellent incurrere iram, Beneuentum in eorum manu remitterent, & nundinas foris vrbem pararent. Contradicentibus autem illis, qui in vrbe ex parte filij Petri Leonis erant, Nuntij Papæ Innocentij infecto negotio de ciuitate excluſi sunt: nam Rogeriani milites, qui tunc in ciuitate erant, minimè pactis consenserunt, moxq; quingẽtorum militum, & triginta millia peditum congregantes exercitum, foris ciuitatem contra illos pugnaturi, conueniunt: ob quam rem Pontifex in iracundiam versus, Beneuentanos à liminibus Ecclesiæ separauit, Ducemq; cum exercitu contra eos congredi præcepit: sed cum scutiferi Ducis in prima acie terga vertissent: Dux euentum fortunę alteratum perpendens, præcepit militibus, vt fluuium transuadentes, montem, in quo ciuitas sita erat, ascenderent, & ab aurea porta ciuitatem inuaderent. Seditio tamen in vrbe de rebus præsentibus erat, quibusdam dicentibus Papæ Innocentio reddendam ciuitatem, debere iuxta patrium morem B. Petro, & eius Vicario deseruire: alij vero nequaquam, sed repugnare persuadebant; milites interea fluuium transuadantes ad ciuitatem tendebant. Beneuentani autem,

Innocentius Beneuentanos excommunicat.

Digitized by Google

sem, hostes contra se venire dum perspexissent, è pugna se subducentes, fugæ præsidium sumunt. Hi autem, qui ex parte Ducis erant illos instantius insequentes, ciuitatem cum eis ingressi sunt, atque hoc modo Beneuentum in deditionem acceperunt. Vrbe vero potiti, Troiam Apuliæ vrbem applicuere, quam absque pugna à ciuibus accipientes, oppida quæq; adiacentia cum Gargano, atque Siponto in suum dominium vertunt. Beneuentum capitur.

CAPVT CVI.

LOTHARIVS interea Imperator eo tempore Rauennam egrediens, Vmbriam, Aemiliam, Flaminiam, Picenumq; Prouincias sub suo iure redegit, ciuitates contradicentes, ad solum vsque prostrauit. Cumq; ad Monasterium S. Martini in Salinis peruenisset, Transmundus Præpositus S. Liberatoris illũ adiens, eumq; ex parte Cassinensis congregationis efflagitãs, quidquid B. Benedicto in partibus illis ablatum fuerat, reddi præcepit. Inde vero castra mouens, supra Barium, quæ totius Apuliæ caput est, tentoria fixit, & à ciuibus vrbis susceptus, arcem quam Rex Rogerius magnifice construxerat, oppugnare modis omnibus cæpit. Diu itaq; illam vallo, diuersisq; bellorum machinis oppugnans, plurimis ex vtraque parte interemptis, tandem eum magno labore illam obtinens, ad solum vsque deduxit, vniuersasq; Apuliæ vrbes, sub Romani Imperij iura redegit, sicq; peractis omnibus, Ducem ordinaturus, Melphiam Apuliæ vrbem perrexit: quo dum venisset, exercitum dirigens, Salernum obsidere præcepit.

His porrò diebus Berthulfus, & Ioannes Cassinenſis cœnobij Fratres proclamationem fecerunt contra Sipontinos, ante eumdem Imperatorem, qui siluam Monasterij, quę subditione hospitalis sita erat, in suum dominium retorserant. Horum itaq; Imperator precibus inclinatus, sigillum suum illis concessit, ex parte sua præcipiens, nisi Imperialem vellent incurrere iram, ex tunc, & deinceps siluam illam sub

Digitized by Google

Cassinensi Monasterio quietam manere permitterent, mille bizantiorum pœna appositâ, si hoc remouere tentassent.

CAPVT CVII.

Lotharius Raynaldo litteras mittit.

SENIORETO itaque vita decedente, Raynaldo, qui ei successit Imperator litteras destinauit, mandans, quod semper moris sui fuit manutenere, & amplecti eos, qui ad Romanum spectarent Imperium, nec eos vnquam deserere, qui fiduciam in se posuissent: vnde procul dubio sciret, quod Ecclesiæ Cassinensis ius, quousque viueret tueretur, nec alienæ potestati submitteret, quod sui iuris esset, & quod ad Imperialem spectabat dignitatem. Quia vero in festo Apostolorum Petri, & Pauli curiam pro statuendo Duce, apud Melphiam condixisset, omnesq; Terræ Barones eo conuocasset, mandaret, vt assumptis secum sapientioribus Fratribus, omnibus postpositis, ad eum veniret, omniaq; priuilegia secum deferret, ius Ecclesiæ suæ ostensurus, volens beneficijs super hoc obtinere, vt apud Cassinensem Ecclesiam memoriale suum semper remaneret. Si ad festum præfatum venire posset, veniret, sin autem quantocius posset.

Aliam quoque sacram Ottoni Decano, & Fratribus direxit, notificans, quia nollet, quantum Deus permitteret, in aliquo terminum antecessorum suorum Imperatorum excedere, & ius Ecclesiæ Cassinensis ad exemplum illorum in nullo minui pateretur, semper enim Cassinensis Ecclesia in vigore sanctæ religionis permansit, omnibusq; forma bonæ conuersationis fuit: vnde nosse illos vellet, quia Abbatem suum, ad se venire fecisset, & pro consilio Principum ita Cassinensis Ecclesiæ causam diffinire, vt nihil libertatis suæ tempore suo amitteret. Sed cum Abbas ad eum adhuc ire distulisset, iterum aliam direxit epistolam, per quam mandauit, vt ad se veniret, commonens illum, quod si timore alicuius coactus, ab vnitate Ecclesiæ exorbitasset, ad eũ, quem tota Ecclesia patrem recognouit, rediret.

Electus

Digitized by Google

Electus ergo non sine titubatione, & pauore, ad iter se præparauit, ac Fratres, qui secum irent designauit. Dicebant autem amici, & inimici non impune ei prouenturas amicitias, quas cum inimicis Imperatoris habuisset. Ob quam rem, amici quidem desperabant, inimici vero, licet in prospectu contristarentur, in abscondito lætabantur, spectantes meliora sibi, rerum mutatione ventura, quod postea rei probauit euentus. Sed cum in suspicione quosdam Fratres haberet, Monasterium, & castra eius amicis, & propinquis suis commendauit. At vbi legati Imperatoris, legationis suæ causam in conspectu omnium protulerunt, Pars trepidare, quod in Regno, & sub potestate Regis Rogerij positi, nequaquam cum inimico illius pacem faceret, vel ad eum ire debere censebant. Alia vero, quæ & sanior videbatur, ad Imperatorem ire, eius in omnibus præceptis obedire dicebant. Tandem Abbas coactus, in natiuitate S. Ioannis Baptistę, iter arripuit: ducens secum ex Casinensi congregatione quosdam ex sapientioribus monachis. Necnon Ioannem ciuitatis S. Germani Archipresbyterum. Aliosq; nonnullos nobiles sapientesq; laicos de Terra S. Benedicti.

Eo itaq; die, quo ciuitatem S. Germani egressus est, Theanensem deuenerunt ad vrbem, ibiq; quatuor diebus, aliquid noui de Imperatore præstolantes mansere: indeq; progressi Capuam deuenere, benignum, vtpote in propria domo in Monasterio S. Benedicti, quod in eadem situm est ciuitate, hospitium se habituros fore arbitrantes. Verum (vti postea rei probauit euentus) omninò eos sua fefellit spes. Nam Innocentius Papa secundus, litteras per omnia Casinensis Ecclesiæ adiacentia Monasteria, ne supradicto electo, vel Fratribus obedirent, mandauerat. Ad quod cum peruenissent pulsantibus illis Monasterij ianuam, Fratres egressi, talia illis responsa dedere. Nequaquam Domini ausi sumus, vobis aliquid contradicere, cum luce clarius constet hoc Monasterium Casinensi Ecclesiæ, & vobis subditum semper fuisse; sed quia iureiurando Apostolicis Nuntijs, ne vobis hospitium daremus, coacti promisimus, nobis egressis, quæq. vobis sunt de rebus Monasterij necessaria tollite. His electus auditis, ad S. Vincentij Ecclesiam, quæ in eadem

Raynaldus Capuam peruenit.

ciuitate constructa est, suos abire præcepit, quo dum peruenisset, tametsi & ipsis, ne illos reciperent esset indictum, tamen quia præ verecundia illos iam ingressos minime eijcere poterant, affluenter, de quibus abundabant, eis seruiere. Reliqua verò omnia, quæ erant necessaria, abundanter Abbatissa Monasterij S. Ioannis transmisit.

Altera die, cæptum iter arripientes, per furcas Caudinas Beneuentum applicuere, indeq. moti per Afrigentum, perq. Roccam Gesualdi ad castrum, cui Guardia Lombardorum nomen est, applicuere: vbi quondam Leo Papa *sanctissimus*, cum Normannis præliaturus sanguinem *minuerat*, *& per* aliquot dies ibi requieuerat. Nolentes igitur præ paruitate, & deformitate castellum ingredi, foris ad Monasterium sancti Papæ Leonis diuerterunt, ibiq. satis benigne honorabiliterq., in quantum videri poterat, sunt recepti.

Raynallo parantur insidiæ.

Sed quia humana fragilitas, ad malum magis, quam ad bonum semper extenditur, illius loci homines supradictum electum, cum suis Fratribus, Giliberto de Baldana, & Roberto de Murra, qui exercitui Rogerij Regis præerant tradere conati sunt. Tamen omnipotentis Dei dispositio (quæ multo aliter fieri disposuerat) consilium confudit eorum. Quædam namq. sanctimonialis in eadem Ecclesia commanens, cum consilij illius esset conscia, Petrum Cassinensem Bibliothecarium (*huius historiæ scriptorem*) ad se venire fecit, eiq. quæq. ab illis erant consilio inuenta aperuit: Quo Petrus, audito, electo, cæterisq. quæ illi erant reuelata aperuit, castellumq. quod valde erat proximum, petendum admonuit, quod electus, & quidam ex Fratribus despexere, seq. nullo modo eo die Monasterium egressuros affirmauerunt. At præfatus Petrus periculosum sibi esse, si ibi nocte maneret perpendens, Anfredum Monachum allocutus ad castellum cum suis rebus festinare cæpit; nonnulli vero ex Monachis, quæ illi fecerant aduertentes, & ipsi relicto electo recessere. At vbi electus omnes pænè suos recessisse perspexit, ipse quoque ascensis equis cum reliquis ad castellum perrexit. Illucescente vero die, castellum egressi, cæptum summo studio peragebant iter, cum vix tribus diei elapsis horis, militum multitudinem contra se per latus descendere

re

re montis conspiciunt, subitoq. metu turbati, & in fugam conuersi sunt. At postquam milites omnem eos capiendi spem, illis fugientibus perdiderunt, ad locum proprium sunt reuersi. Monachi autem magis fugam, quam iter pacificum accelerantes, per Cisternam, Montemq. viridem Aufidum transfretantes, primo ad ciuitatem Melphiam, deinde ad Lacum pensilem, vbi omnis Imperatoris exercitus cum Papa Innocentio residebat, aduenere.

Pontifex Nuntios Raynaldo mittit.

Sed cum Nuntij Papæ Innocentij extra castra Abbati obuiãtes dixissent, Pôtificem iussisse, vt antequam castra intraret, discalciatis pedibus cum Fratribus, qui secum erant Papæ satisfacere, & pro obedientia, quam filio Petri Leonis exhibuerant, pœnitentiam recipere, & iureiurando firmare, vt quidquid Pontifex præciperet implere morigeraret, & filium Petri Leonis cum suis refutans, anathematizaret: Raynaldus timore ductus Cæsarem appellare, & de hac re cum Imperatore consiliaturum respondit, & sic castra ingressus est. Post hæc cœpit in omnibus libertatem ostendere, & quosque venientes muneribus alligare. Moxq. antequam tentoria figerentur, missis Nuntijs, suum Imperatori aduentum notificare curauit. Tunc Imperator cum ipso, ac Fratribus pro B. Benedicti amore magnificentiam ostendit, moxq. misso à latere suo Henrico Duce Baioariæ genero suo, & Rodulfo, & Ottone Palatinis Comitibus, vt tentorium, quod iuxta Papilionem Pontificis, ipsius iussu fixum fuerat, remouerent. Illudq. iuxta suum tentorium figerent mandauit: asserens, cum Cassinensis Ecclesia per Carolum Magnum, & Pipinum, specialis camera sit Romani Imperij constituta, nequaquam iustum esse cappellanos Imperatoris (Monachos scilicet Cassinensis Ecclesiæ) ab Imperatore separari, sed iuxta eum suum tentorium figi debere, quod & factum est.

Raynaldus Cæsarem appellat.

Cæterum vbi Romanus Pontifex Cassinensem electum ab Imperatore susceptum esse cognouit, directis Cardinalibus cœpit vehementer Imperatori instare, vt iureiurando filium Petri Leonis anathematizari à Cassinensibus Monachis, & per sacramentum fidelitatem, & obedientiam Papæ Innocentio, & eius successoribus promitti faceret. Conque-

Digitized by Google

rens, cur excommunicati, & à liminibus Ecclesiæ separati ab Imperatoria essent Maiestate recepti. Renuentibus Monachis, atque dicentibus: Dominum in Euangelio, & Patrem Benedictum in Regula præcepisse ne iurarent, & se ac Priores suos nũquam iurandi consuetudinem habuisse, fidelitatem vero, neque Papæ, neque alicui se esse facturos, quippe cum sibimet ipsis fideles esse non possent, faciendo illa, quæ Deus per B. Benedictum vetuit, & dimittendo, quæ obseruare præcepit. Sicq. eo die ab Imperatore discessum est. Alio vero die Pontifex, per Aymericum Cancellarium, & Girardum, ac Guidonem Cardinales direxit, *vt aut à Monachis Cassinensibus filium Petri Leonis anathematizari faceret*, aut ab illis sicut ab excommunicatis abstineret.

Clementissimus autem, ac religiosissimus Imperator volens Pontifici iusta iubenti satisfacere, locutus cum electo, ac socijs ipsius, eos ad abiurandum, & anathematizandum filium Petri Leonis, recipiendumq. verum Pontificem Innocentium secundum, induxit: sicq. Raynaldus abiurato schismate, quod hactenus secutus fuerat, Casinum redire iussus est, cum quo misit Pontifex Balduinum Presbyterum Cardinalem, præcipiens, vt Anacletum pseudo Pontificem Petri Leonis filium à Casinensibus Monachis anathematizari faceret, ac Papæ eiusq. successoribus obedientiam ab ipsis exigeret. Quæ quidem omnia libenter fecere Casinẽses Monachi. Acta autem sunt hæc apud Casinum quarta, & quinta feria tertiæ hebdomadæ Septembris: cum iam Pontifex Innocentius cum Imperatore Lothario ad ciuitatem S. Germani peruenissent.

CAPVT CVIII.

SEQVENTI vero die ad Monasterium ascendit Imperator cum multis Prælatis, atque optimatibus, qui cum Monasterium fuissent ingressi in capitulo resederunt; in quo post peractum ab Abbate Clarcuallẽsi (*is fuit S. Bernardus, tunc tempore Clarauallensis Abbas*) sermonem, Cardinales à Pontifice missi auctorita-

Digitized by Google

auctoritate Apostolica eidem Raynaldo Casinensem Abbatiam interdixerunt. Sicq; vna cum Imperatore Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Principibus, ac Marchionibus surgentes, B. Benedicti sunt ingressi Ecclesiam: eumdemq; Raynaldum Aimericus Cancellarius, ac Peregrinus Patriarcha Aquileiensis, & Girardus Cardinalis euocantes, depositionis sententiam in eum protulerunt; & sic iussu illorum, præsente Imperatore, & vniuersis Imperij magnatibus, virgam & annulum, necnon & regulam, supra corpus sancti Patris Benedicti deposuit; & Raynaldi quidem talis rerum exitus fuit. Raynaldus deponitur anno 1137.

CAPVT CIV.

RAYNALDO, vt præfertur, deposito, Monachi de eligendo successore tractare cæperunt. Venerat autem cum Imperatore de Transalpinis partibus Guibaldus Stabulensis, propè Leodium, cœnobij Abbas: cuius sapientia, probitas, atque morum honestas cum nota esset Cassinensibus, concordibus animis eum, licet inuitum, ac reluctantem sibi in Abbatem elegerunt, qui quasi præuius futurorū loco cesserat. Misit ergo Imperator ad Guibaldum Nuncios, vt ad se ad Monasterium veniret. Quo dum veniisset, vbi Fratrum voluntatem aduertit, omninò renuere, & contradicere cæpit. Conueniunt post hæc in camera, in qua Imperator morabatur Fratres cum Richiza Augusta, & cum Peregrino Patriarcha Aquileiensi, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & vniuersi Imperij optimatibus, cæperuntq; eum opportune de tali, tantoq; negotio monere. Sed ille constanter renuens, numquam se tam grauem, tamq; immensam sarcinam susceptum affirmabat. Cernens itaque Imperator Guibaldum modis omnibus reluctare, Fratribus illum tradidit. Quem suscipientes in Cassinensi Monasterio Abbatem ordinauerunt; & ab Imperatore per Romani Imperij sceptrum, quod manu gestabat, de Cassinensi Abbatia cum omnibus possessionibus suis, sicut à temporibus antiquis Guibaldus Abbas à Cassinensibus eligitur.

Digitized by Google

tiquis vsque ad illum diem Monasterio concessa fuerant, est inuestitus.

CAPVT CX.

POST discessum autem Pontificis, & Imperatoris, Guibaldus cum Fratribus communicato consilio, Legatos ad Rogerium tunc Capuæ remorantem, destinat, pacem ab eo exquirens, & amicitiam spondens. Cuius verba Rogerius pro nihilo ducens, ineffi-caces Nuntios eius remisit: mandans se nulla ratione, nullo pacto ferre posse, vt Abbas ab Imperatore constitutus in Cassinensi cœnobio remaneret: quinimo, si aliquo modo idem Guibaldus in ipsius manibus veniret, absque dubio laqueo suspensum necaret. Tantis itaque, ac talibus minis Guibaldus perterritus, Cassinense cœnobium Landulfo de S. Ioanne ad custodiendum relinquens, quarto nonas Nouembris, inscijs Fratribus, eodem Landulfo sibi ducatum præbente, nocturno tempore recessit, dans potestatem Fratribus eligendi quem vellent.

CAPVT CXI.

Raynaldus Etruscus fit Abbas.

IAM duodecim dies à Guibaldi recessu transierant, cum Fratres conuenientes in vnum, & Spiritus sancti gratia inuocata: elegere Raynaldum eiusdem cœnobij monachum virum vtiq; habitu, incessu, & moribus honestissimum, & diuina humanaq; scientia clarum. Hic itaque nobilissimo Marsorum Comitum genere, in Valeria scilicet Prouincia, sanguinis sui lineam ducens, tertio ætatis suæ lustro, sub Oderisio secundo B. Benedicto oblatus, tanta morum suauitate, tanta honestate, ac constantia, super omnes coœuos sui temporis splenduit, vt illud Dominicum ei possit aptari: Vas electionis est mihi iste, sed ego ostendam ei quanta illum oporteat pati pro nomine meo: contra hũc namq;

Act. 9.

coniura

coniura verè gentes, & Regna; & vt ita dicam orbis terrarum contra eum surrexit: sed galea salutis, & lorica fidei indutus, & Patris Benedicti protectione munitus, aduersantium, & æmulantium insidias pro nihilo duxit.

Rogerij malignitas.

Eo etiam tempore cum Rex Rogerius ciuitates, & castra vsque ad confinia Cassinensis cœnobij recepisset, fortissimoq; atque durissimo Imperio suo iuri subditas retineret, eiq; nullo modo, nullo pacto idem Abbas, prout Rogerius volebat consentire vellet, se ciuitates, & castra, omniaq; Monasterio pertinentia demoliturum minari cæpit. Missisq; Nuntijs, hoc Abbati, Fratribus, cunctoq; populo nuntiari mandauit. Verum vt in talibus assolet, primum sæuire cæpit vulgus ignobile, deinde sæuitia in timorem mutata, suis cum omnibus, vxoribus quoque, & filijs Cassinense ad Monasterium confugerunt. Non post multum præfatus Rex paciscens cum Cassinensibus, treugam interim, vt omnes, qui ob timorem illius aufugerant cum suis ad propria reuerterentur, concessit.

CAPVT CXII.

Albertus monachi.

HIS porrò diebus erat quidem Frater in Cassinensi cœnobio Albertus nomine, natione Pelignus, ætate senex, religiosam agens vitam, adeo vt cæteris Fratribus admirationis, & compunctionis sæpe causa existeret. Is cum senio fessus in domo infirmorum maneret, & populi sua reportare cupientis tumultum auribus hausisset: quosdam ex circumstantibus, quid sibi vellet tam cõfusus populorum tumultus, interrogauit. Ad quem vnus: Num tibi, inquit, incognitum esse potest, quis, vel cur sit populorum iste tumultus cum omnibus has plagas incolentibus sit notissimũ? Cui cum ille nil horum se nosse respondisset, ait. Rex Rogerius nuper nobis minatus est se, & Cassinense Monasterium, & omnem terram adiacentem destructurum. Sed omnipotentis Dei misericordia placatus, treugam nobis concessit, & inde est tumultus iste, quem audis, cum ea, quæ ob timorem

rem

rem illius in Cassinensi Monasterio fiendo delata fuerant à populo, gaudendo reportantur.

His Frater auditis ingemuit, atque ex intimo longa trahens suspiria, hunc psalmum decantare cæpit cum lacrymis. Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta; cum versum illum quo dicitur. Emitte lucem tuam, canere cæpisset, subito (mirabile dictu) immensa corruscatio, super eum descendit, adeo vt ipse, qui iam per aliquot tempus, lumine priuatus fuerat, lumen reciperet oculorum, atque illius immensæ lucis munere *minime* fraudaretur. Nec mora conspicit ianuas Ecclesiæ *ipsius in* qua residebat patefactas (*erat Ecclesia S. Andreæ, vt habetur infra*) venerabiles vultu, habituq. viros duos ad se intrantes. Quos cum vidisset Deifico lumine circundatos expauit, nec vltra oculos leuare ausus, resedit. Tunc illi propius accedentes dixere: Surge, age Frater Alberte, Abbatiq. & Fratribus, vt pœnitentiam commissorum delictorum agere satagant edicito, discalciatisq. pedibus, Antiphonam B. Mariæ decantantes, egressi, litanias ante sacrosanctum Benedicti corpus peragant, si forte Deus vestrorum delictorum, lamentis, pœnitentiaq. immemor factus, ab his locis, tantas calamitates repellat. Tum Frater, qui essent, & quibus vocitarentur nominibus, inquisiuit. Ad hæc ille. Ego inquit sum Maurus sanctissimi Patris Benedicti discipulus. Hic vero eiusdem Patris, & ipse discipulus Placidus est, adiecitq. Hæc quæ nunc à te, vel audita, vel visa sunt, caue ne pigritia dicere, quibus tibi iussum est, prætermittas: sin alias contemptus pigritiæq. pœnam incurres. Sciasq. te ideò diuino, iustoq. iudicio, corporali lumine fuisse priuatum: quia quæ aliquando in capitulo ad agendam pœnitentiam diuina dignata est Maiestas ostendere, tui cordis arcano condidisti, nulli quæ videras pandens. Namq. idem Frater dum adhuc sub districtione cœnobialis institutionis in claustro cum Fratribus reliquis degeret, seq. ieiunijs, orationibus, vigilijs, flagrisq. in conspectu diuinæ Maiestatis quotidie mactaret; nocte quadam ingressus capitulum in spiritu rapitur, iudiciariasq. sedes in absida capituli, Domino vna cum sancta ipsius Matre consedente (sicut ibi hactenus

Psalm. 42.

Miraculũ.

Visio Alberto monacho oblata.

tenus piæ cernuntur) aspexit: tantoq. liberius diuinis cœpit intendere, quanto se ab humanis reddiderat alienum.

Cumq. tanta visione stupefactus assisteret, vidit repente sanctissimum Patrem Benedictum, Mauro, ac Placido dextera, lævaq. comitatum, in medium adeuisse Concilium, magnis vocibus omnipotentis Dei maiestatem, ita interpellare.

Oratio S. Benedicti ad Deum fusa.

Rex Regum, Creator, Redemptorq. mortalium, sine cuius nutu subsistere fragilitas humana nō valet, has oro quæstus mei voces exaudias, meumq;, quod te donante fabricā dum, perpetuoq; regendum, Monasterium suscepi, respicias; Tu enim Domine, qui cogitationes de longe conspideras, & vocas ea, quæ non sunt, tamquàm ea, quæ sunt, hunc locum mihi mortali adhuc in carne constituto, destruendum esse monstraueras, gentibusq; barbaris, quæ Fratribus præparaueram, traditurum te occulto tuo iudicio dixeras, ac restituendum in melius pollicitus fueras; quod & factum hodie cernitur. Nunc autem insurrexerunt contra hunc locum iniquissimi quidam, & execrabiles, ipsum conantes euertere. Sed & Rectores ipsius nequaquam boni Pastoris, sed rapacis lupi vestigia sequentes, oues sibi commissas voracibus dentibus laniant, Tyrannorum more; opes ad seruitium, & honorem tulum congregatas, in vsus turpissimos conuertunt; commissum sibi populum, vt lasciuientes vaccas vagari sinunt; pupillorum, & viduarum causas contemnentes, ad munera sola conuertuntur. Quem das his cladibus finem, Rex magne Polorum? His dictis Sanctus conticuit, factoq; ibi fine quieuit.

Notē hæc Abbates Cassinenses.

Cum ecce innumerabilis multitudo dæmonum furcis igneis, & vncinis armata, ante se Crescentium Marsorum Comitem habentes, adueniunt; thuribulaq; argentea magna, quæ ex Cassinensi Monasterio quidam in pignus acceperat, & quæ contra voluntatem Senioreti Abbatis recollegerat, in manibus, veluti de fornace prodirent, habētem. Quem idem Frater, cum interrogasset, cur his supplicijs afficeretur; quia maiora thuribula retinuisset, se torqueri, ait. Cæpitq; rogare Monachum, vt quæ de se viderat Berardo filio diceret, & vt supradicta thuribula Monasterio redderet,

Digitized by Google

ret, rogaret. Addens, hoc illi signum sit, quod eadem thuri-bula, & aureum calicem, ab alijs rebus dum viueret segregasset; idq; exceptis Fuscone, & Transmundo Consiliarijs suis, neminem scire. Hoc ille vbi ad se redijt, dicere dubitauit. Ex hinc iusto Dei iudicio excæcatus, & qui lumen æternum, quod viderat, talentumq; quod erogandum acceperat, noluit cæteris erogare conseruis; sed in terram, vt piger seruus, occuluit, iuste talentum proprij luminis perdidit.

Et vt ad ea, quæ omisimus reuertamur, auditis Beati viri Mauri monitis, illisq; recedentibus, lux quoque, quæ eius illustrauerat oculos, vna abscessit; adeo vt cæcus (sicut antea fuerat) remaneret. Verum ne delirus, aut mendax haberetur, nec sic quidem, quæ audierat, vel viderat, dicere voluit. Trigesimo autem die postquam hæc viderat illucescente, cum idem Frater in eodem loco, vbi prius visionem viderat, sederet (in Ecclesia scilicet S. Andreæ Apostoli) idem qui supra sanctissimus Maurus illi apparuit; & cur ea, quæ viderat, vel audierat dicere renuisset increpans, talia verba profudit. Ego quidem Frater, præcepi, vt secreta Dei, quæ tibi per me reuelata sunt, hominibus panderes; sed tu negligens, desidiæ te dedisti, vnde veluti Maiestati diuinę obnoxius, tradendus esses inextinguibilibus ignibus. Sed quia omnipotentis Domini misericordia (quę melior est super vitas) hoc tibi commissum indulget; præcipio, vt quæ à me tibi reuelata sunt, dicere vltra non moreris. Quod nisi feceris (quod absit) æternis traderis incendijs. Hæc fatus, in tenues subito Sanctus euanuit auras. Frater autem continuo surgens, Abbatem ad se euocat; & cuncta, quæ audierat, vel viderat, per ordinem pandit. Abbas autem conuocans Fratres, quæ supradictus Frater viderat, narrat. Omnesq; discalciatis pedibus, capitulum, quo resederant egressi, litanias cum fletu, & lacrymis ante Patris Benedicti corpus peregerunt. Cæterum quidam ex Fratribus, cum hæc deliramenta putarent, nullumq; præbere assensum vellent; die quadam prædictus Albertus me accersiri fecit, remq. eamdem, quo supra diximus ordine, se vidisse Sacramento firmauit. Nullos igitur hæc vlla ratione

dubitare

Digitized by Google

dubitare commoneo, ne forte incredulitatis suæ pœna plectantur, & dum me falsitatis reprehendunt, ipsi falsi testes, mentientes apud districtum examen superni Iudicis habeantur.

Hactenus Petrus Diaconus.

ADMONITIO AD LECTOREM.

IN Chronicis Casinensibus hactenus impressis, adiecta reperiuntur huic quarto libro acta quædam per modum disputationis inter S. R. E. Cardinales, & Petrum Diaconum Casinensem, coram Lothario Imperatore habita; de quibus audi iudicium Cardinalis Baronij tom. 12. Anno 1138. pag. 275. sic dicētis. Cuius acta de disputatione Cardinalium cum ipso Petro coram Lothario Imperatore, ab aliquo pro arbitrio concinnata, cum multipliciter arguantur falsitatis, indigna putamus, quæ Annalibus intexantur. Ita Deus mentienti resistit, vt quamuis vafer, & callidus sit, qui orditur telam mendacij, eius obscuret, veluti fascino intellectum, vt videre non sinat, quæ alijs sunt perspicua, vt sic inde possit redargui falsitatis. Recensentur ipsa in quarto libro Chronici Casinatis, quem Petrus posuit appendicem ad Leonem Ostiensem. Est autem illorum exordium huiusmodi. In nomine Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi, Anno ab Incarnatione eius millesimo centesimo trigesimooctauo, indictione prima, septimo idus Iulij, Anno Imperij Domini Lotharij Cæsaris septimo &c. Hucusque Cardinalis Baronius, qui in consequentibus plures crassos errores, quibus acta illa referta sunt, demonstrat.

Mihi certe, cum primum ea legi, fateor displicuisse; cum autem iterum, ac de nouo attentius perlegissem, & vniuersa, quæ

Digitized by Google

qua in eis tractantur maturius conſideraſſem, manibus, pedibusq. in ſententiam conſenſi Cardinalis Baronij, iudicauiq. à quopiam prorſus indocto, & penitus ocioſo, pro animi arbitrio (ſeu potius abſque aliquo arbitrio) fuiſſe conficta, & concinnata. Et prater rationes à Cardinale Baronio in eorum confutationem allatas, ego, qui librum ipſum manuſcriptum, in quo huiuſmodi acta continentur, diligenter inſpexi, addo ſequentes, videlicet caracterem, chartam, & atramentum eſſe valde diuerſa ab his, quibus antecedentia eiuſdē libri ſunt ſcripta; apparent etiam multo recentiora, aſſuta, & adiecta ſuperioribus. Imo qui ea voluit præcedentibus connectere, quædam eraſit, quædam verò ſuperſcripſit, tum in indice capitum eidem libro quarto Chronici præfixum: tum etiam ex fine, vt vel ſic aliqua videretur eſſe connexio, & dependentia inter vera, & ſuppoſititia. Cæterum comprehenſus eſt in aſtutia ſua, cum vniuerſa, quæ à nobis notata ſunt, & animaduerſa, facile pateant oculis intuentium. Quemadmodum igitur Cardinalis Baronius indignum iudicauit, (& meritò) eiuſmodi acta ſuis intexere Annalibus; ita & ego dignum omnino cenſui, eadem ab hoc Caſſinenſi Chronico penitus excludere, quod Lector veritatis amator æqui, boniq. conſulat, obſecro.

Breuis, ac ſuccincta Chronologia Abbatum Caſſinenſium, qui in hoc Chronico continentur.

1 *Sanctiſſimus Patriarcha, & Legiſlator Monachorum Benedictus, ſacri cœnobij Caſſinenſis Fundator, Patria Nurſinus, Caſſinum venit, ibiq. ſedem fixit, Anno quingenteſimo vigeſimonono. Obyt ibidem Anno quingenteſimo quadrageſimotertio. Præfuit huic ſacro Monaſterio annis tredecim, & aliquot inſuper menſibus. Pag. 26.*

2 *Conſtantinus Reuerendiſſimus valde vir (ſic enim eum appellat*

Digitized by Google

appellat Gregorius lib. 2. Dialog. in principio) B. P. Benedicto in regimine huius Monasterij successit. pag. 93.

3. Simplicius tertio loco, Casinensi Monasterio Praefectus est, vt docet idem S. Gregorius, vbi supra. pag. 93.

4. Vitalis quartus in Ordine Casinensi Monasterij Abbas efficitur. pag. 93.

5. Bonitus, quintus post sanctum Benedictum eidem Monasterio praefuit; quo praesidente (Anno Domini quingentesimo octogesimonono) Monasterium Casinense a Longobardis deuastatum est. pag. 93.

Ab obitu S. Patris Benedicti vsque ad Casinensis Monasterij desolationem, fluxere anni quadraginta septem, non penitus completi, quibus quatuor praedicti Abbates eiusdem coenobij moderatores extitere, non tamen constat quanto tempore quilibet ipsorum gubernacula tenuerit.

6. Petronax Brixiensis sextus post B. Benedictum Abbas, primus verò huius Monasterij restaurator, electus anno 731. praefuit annis 22. obijt anno 753. pridie nonas Maij. pag. 96. 97. 99. 107.

7. Optatus septimo loco Abbas sedit annis quatuor, obijt anno 757. pridie nonas Iunij. pag. 107.

8. Hermeris praefuit anno vno completo, obijt anno 758. decimoquinto Kalendas Augusti. pag. 108.

9. Gratianus praefuit annis quatuor, mense vno, obijt anno 762. vndecimo Kalendas Septembris. pag. 109.

10. Tomiebis praefuit annis sex, mensibus quinque, diebus viginti vno, obijt octauo Kalendas Februarij anno 769. pag. 110.

11. Poto praefuit annis quatuor, & mensibus quinque, obijt tertio Kalendas Iulij anno 773. pag. 111.

12. Theodemar praefuit annis decem & nouem, vita functus est nonis Iunij anno 792. pag. 112. & sequentibus.

13. Gisulfus ex nobili Beneuentanorum Ducum prosapia originem ducens, praefuit annis viginti vno, defunctus est nono calendas Ianuarij anno 813. pag. 119. 120.

14. Sanctus Apollinaris praefuit annis quindecim, miraculis clarus obdormiuit in Domino, quinto calendas Decembris. Anno 828. pag. 122. 124. 135.

San-

Digitized by Google

15 *Sanctus Deusdedit præfuit annis sex, spiritum Deo reddidit septimo idus Octobris anno 834. quo etiam die recolitur eius memoria ab Ecclesia catholica in Martyrologio Romano. pag. 125. 126.*

16 *Hildericus sedit diebus decem & septem, obijt anno 834. pag. 127.*

17 *Authpertus, siue Ansbertus, sedit annis tribus, naturæ debitum soluit decimo calendas Martij, Anno 837. pag. 127.*

18 *Bassatius præfuit annis decem & nouem, defunctus est decimosexto calendas Aprilis, anno 856. pag. 128. 135.*

19 *Sanctus Bertharius præfuit annis vigintiseptem, & mensibus septem, à Saracenis martyrio coronatus occubuit vndecimo calendas Nouembris, anno 884. pag. 141. 155. 226.*

Huius Abbatis vltimo anno Monasterium Casinense à Saracenis inuasum, flammisq. traditum est, nec multo post, Monasterium, quod deorsum erat, ab eisdem deuastatum, pariterq. incensum est. pag. 155.

Monachi autem, qui euadere potuerunt, Theanum cum Angelario Præposito profecti, ibidem aliquot annis permanserunt. pag. 155.

20 *Angelarius primus apud Theanum Abbas, sed vigesimus in serie Casinensium Abbatum, præfuit annis sex, vsque ad annum 890. quo tempore in Theanensem Episcopum electus est. pag. 159.*

21 *Ragemprandus præfuit annis nouem, & mensibus decem, mortuus est octauo idus Nouembris, anno 899. Theaniq. sepultus est. Huius Abbatis septimo anno, Monasterium Theanense occulto Dei iudicio combustum est. pag. 161. 163.*

22 *Leo præfuit annis quindecim, mensibus septem, obijt Theani decimosexto calendas Septembris, anno 915. Hic cepit restaurare Monasterium Casinense; vacauit Abbatia anno vno pag. 165. 166.*

23 *Ioannes primus ex Archidiacono Capuano Abbas Casinensis effectus, sedit annis decem & nouem, mensibus septem. Huius suasu Monachi Theani commorantes Capuæ profecti,*

Digitized by Google

profecti, ibi per aliquot annos habitauere. Obijt pridie calendas Aprilis anno 936. & apud Capuanum Monasterium sepultus est. pag. 169. &c.

24 *Adelpertus prefuit annis nouem, obijt Capuæ anno 944. pag. 162.*

25 *Balduinus genere Francus, prefuit annis duobus, post quos à Marino Papa Romam euocatus, ob ipsius prudentiam, atque in rebus gerendis strenuitatem Monasterio S. Pauli de Vrbe preficitur anno 946. pag. 174. 176.*

26 *Maielpotus prefuit annis sex, obijt Capuæ anno 952. pag. 177.*

27 *Aligernus vir per omnia Religiosus, atque laudabilis electus fuit Capuę anno 952. prefuit annis triginta quinque. Reduxit Monachos ad Casinense cœnobium, quod in integrum restituit, & reparauit, vbi & deinceps monachi habitauere. Obijt Cassini nono calendas Decembris anno 987. pag. 179. 182. & pag. 204.*

28 *Manso prefuit annis decem, cumq. à quibusdam impijs, ac perfidis Capuanis captus, atque oculis priuatus fuisset, Casinenses Monachi Ioannem sibi in Abbatem elegerunt anno 997. pag. 198. 201. 203.*

29 *Ioannes secundus prefuit anno vno, Abbatia se abdicauit, atque in proximam eremum secedens, reliquum vitæ suæ tempus sanctissime transegit, obijt tempore Abbatis Theobaldi. pag. 210. 211.*

30 *Ioannes tertius nobilis Beneuentanus, atque eiusdem Ecclesiæ Archidiaconus, prefuit annis duodecim, mensibus sex. Annus tertius istius Abbatis, fuit millesimus ab incarnatione Domini, vt scribit Leo lib. 2. cap. 24. fuit ergo electus anno 998. obijt decimoquinto calendas Aprilis, anno millesimo vndecimo pag. 211. 212. 221.*

Docibilis Abbas Casinensis substitutus pag. 218.

Rotundulus Abbas Casinensis certo modo pag. 222.

31 *Athenulfus Pandulfi Principis Beneuentani filius, prefuit annis vndecim, cumq. mare fuisset ingressus, vt Constantinopolim pergeret, marinis fluctibus absorptus periit anno Domini 1022. pag. 222. 225. 237.*

32 *Theobaldus prefuit annis tredecim, electus fuit quarto*

Digitized by Google

calendas Iulij anno 1022. præsentibus Benedicto Papa octauo, & sancto Henrico Imperatore; sequenti vero die natalitijs Apostolorum Petri, & Pauli dicato, præfatus Pontifex eum sacrauit. Obijt in cœnobio sancti Liberatoris tertio nonas Iunij anno 1035. ibidemq. honorifice sepultus est. vacauit Abbatia anno vno. pag. 239. 249. 258. 260. 263.

33 Basilius à Pandulfo Capuano Principe anno 1036. contra omne ius, & fas Abbas Casinensis constitutus, præfuit annis duobus; veritus autem Conradi Imperatoris aduentum, vna cum suo Pandulfo Constantinopolim fugiens locum dedit monachis eligendi sibi Abbatem. pag. 266. 280. 307.

34 Richerius Bauarus electus anno 1038. præfuit annis decem & septem, mensibus sex. Obijt apud Aternum tertio idus Decembris anno 1055. atque in Monasterio sancti Liberatoris in sepulchro sui prædecessoris Theobaldi conditus est. pag. 269 272. 279. 306.

35 Petrus præfuit anno vno, mensibus quinque, Abbatia se abdicauit feria quinta post Pentecosten anno 1057. pag. 307. 314.

36 Fridericus Regio genere ortus primum sancti Leonis Papæ noni Cancellarius, postea huius Monasterij monachus; electus fuit feria sexta post Pentecosten anno 1057. atque eodem mense à Victore secundo Cardinalis Presbyter creatus eidem in Pontificatu successit, die secunda Augusti eiusdem Anni, Stephanusq. vocatus est; præfuit mensibus decem, & clarus miraculis obijt Florentiæ quarto calendas Aprilis 1058. pag. 314. 315. 316. 320.

37 Desiderius ex nobilissima Beneuentanorum Principum progenie ortus, electus Abbas anno 1058. in ipsa solemnitate Paschali. præfuit annis vigintinouem, mensibus quatuor, diebus sexdecim, à Nicolao secundo in Ieiunijs mensis Martij anni sequentis Presbyter Cardinalis ordinatus, Gregorio septimo in Pontificatu successit, Victorq. tertius appellatus est; præfuit Ecclesiæ Dei anno vno, mensibus quatuor, diebus septem. Obijt Casini decimosexto calendas Octobris anno 1087. sepultusq. est in Capitulo Fratrum,

Digitized by Google

Fratrum, inde verò ad cappellam sancti Bertarij translatus; eius præclara gesta texuntur toto libro tertio huius Chronici.

38 *Oderisius primus Marsorum Comitis filius, à Nicolao secũdo Diaconus Cardinalis creatus anno* 1060. *deinde Abbas electus, præfuit annis decem & octo, mensibus duobus, diebus octo, obijt quarto nonas Decembris anno* 1105. *pag.* 343. 435. 456. 490.

39 *Otto ex nobili Fundensium Consulum prosapia ortus, præfuit anno vno, mensibus decem, obijt calendas Octobris anno* 1107. *pag.* 490.

40 *Sanctus Bruno Astensis primum Signiensis Episcopus, postmodum Cassinensis Monachus, præfuit annis tribus, mensibus decem, post quos à Paschali secundo Papa ad suũ Episcopatum redire iussus, Signiæ doctrina, & miraculis clarus beato fine quieuit. pag* 496. 512. 513.

41 *Girardus ex Marsorum Comitibus ortus, præfuit annis vndecim, mensibus tribus, obijt decimosexto calendas Februarij, anno* 1123. *pag.* 516.

42 *Oderisius secundus ex Sangrorum Comitum progenie, dum esset Cassinensis Præpositus, à Paschali secundo Diaconus Cardinalis creatus est: post obitum vero Girardi Abbas electus, præfuit annis tribus, mensibus quatuor, diebus quindecim, iussu Honorij secundi depositus, anno* 1123. *pag.* 557. 560. *& pag.* 569.

43 *Nicolaus Tusculanus præfuit anno vno, mense vno, diebus sexdecim, ab eodem Honorio secundo depositus est, anno* 1127. *pag.* 567. 569.

44 *Senioretus adnitente Honorio Pontifice Abbas electus, præfuit annis nouem, mensibus sex. diebus decem & nouem obijt nonis Februarij anno* 1136. *pag.* 573 588.

45 *Rainaldus Calamentanus, tumultuarie, ac seditiose electus, Anacleti Antipapæ partes sequutus est, præfuit anno vno, mensibus septem, depositus est ab Innocentio secundo mense Septembri anno* 1137. *pag.* 589. 597.

45 *Guibaldus Lotharingus depositio Rainaldo inuitus, & renitens Abbas effectus est, præfuit autem vsque ad quartũ nonas Nouembris eiusdem anni* 1137. *pag* 5 9.

Digitized by Google

47 *Rainaldus Etruscus, duodecimo post Guibaldi discessum die, vnanimi consensu Abbas efficitur, postea verò ab Innocentio secundo Cardinalis creatur. Eo iubente Petrus Diaconus librum quartum huius Chronici scripsit; quare nec Præfecturæ, nec obitus ipsius tempus ibi assignatur; ex alijs autem libris manuscriptis habetur, præfuisse annis viginti octo, & mensibus octo, obijsseq. anno 1166. idibus Iulij. pag. 453.600.*

Finis Libri Quarti.



DE

Digitized by Google

DE MONACHATV S. GREGORII MAGNI,

Sub Regula, & Instituto sanctissimi Patris Benedicti, breuis & resoluta assertio.

AVCTORE

DONNO MATTHÆO LAVRETO
Monacho eiusdem Instituti, & Abbate Sancti Saluatoris de Castellis.

Beatissimum Pontificem Gregorium Magnum monachum fuisse, nemo vnquam in dubium reuocauit, sed nec reuocare potuit, cum idem ipse pluries in suis scriptis id expresse fateatur. Fuisse vero instituti, seu ordinis sancti Patris Benedicti, multi sanctitate, ac doctrina celebres, tam antiqui, quàm moderni scriptores, testatum, ac suis scriptis consignatum reliquerunt, atque ita hactenus ab vniuersis creditum est. Primus, qui huic vetustæ, & communiter receptæ sententiæ se opposuit, fuit Cardinalis Baronius tomo septimo Annalium, Anno quingentesimo octogesimoprimo, quo in loco, Beatum Gregorium ex albo monachorum sub Regula Diui Benedicti militantium expungere, atque in alium, nescio quem, ordinem redigere conatus est. Cum autem Chronicon Cassinense in lucem edere parerem, conuentus sum, immo compulsus, ab his, qui mihi poterant imperare, vt rem hanc paulo diligentius discuterem, atque peruetustæ de monachatu sancti Gregorij sub

Digitized by Google

Beati Benedicti Regula, sententiæ suppetias ferrem: opposita vero, auctoritatibus, seu rationibus responderem, satisfaceremq. Quibus cum reluctari nequaquam possem, assensum præbui, eo libentius, quod veritatis patrocinium mihi assumere arbitratus sum: atque ideo hic in calce huius Chronici ea de re breuiter, & succincte tractare decreui.

De quibusdam prænotandis ante disputationis exordium. Caput primum.

PRO elucidatione, & intelligentia eorũq; dicenda sunt, sciendum, Ioannem Sanctæ Romanę Ecclesię Diaconum Cardinalem circa Annum Domini octingentesimum septuagesimumquartum, iussu Ioannis Papæ octaui, descripsisse sancti Gregorij vitam, quatuor libris digestam, quam ex scrinio sanctæ sedis Apostolicæ colligere, studiosè curauit. Hæc autem Gregorij vita, à Ioanne Diacono, vt præfertur, descripta fuit auctoritate præfati Pontificis approbata, publicè in officijs Ecclesiasticis lecta, atque generaliter ab vniuersis recepta: nec quisquam hactenus repertus est, qui ijs quæ in ea scripta, & asserta reperiuntur contradixerit, eaue alicuius falsitatis reprehenderit. Testatur hoc ipsum idem Baronius loco supra citato, vbi sic ait.

Tomo 7. Anno 581

Aggressuri itaque iam nos ordine temporum res mirificè gestas eiusdem sancti Gregorij recensere: quoniam contingit interdum à Ioannis Diaconi, qui vitam eius scripsit, discrepare sententia: ne hoc nimium audax alicui videri possit, cum auctor absque reprehensione (nota verba) hactenus lectus fuerit: hic primum de ipsius auctoris tempore quo scripsit, paucis agendum putamus. Docet deinde Baronius, Ioannem Diaconum, trecentis ferè annis post Gregorium libros de rebus ab eo gestis elaborasse: quibus sic statutis concludit dicens. *Sic igitur haud quisque prudens in verba auctoris dixerit esse iurandum, qui post annos, vt dixi, fermè*

Digitized by Google

mè trecentos, ea de sancto Gregorio scriptorum monumentis, posteris commendauit. Hæc Baronius.

Ex quibus liquidò constat, neminem ante ipsum Ioanni Diacono se opposuisse, nec quidquam eorum, quæ ab eo in vita Gregorij scripta sunt, reprehendisse. Et quamuis auctoritas Baronij sit plurimi facienda: in his tamen, quæ de sancto Gregorio scribit, non videtur auctoritati Ioannis Diaconi præferenda: nam regulariter loquendo, cum de rebus antiquis agitur, antiquioribus scriptoribus, potius quam iunioribus solet fides adhiberi. Cum ergo Ioannes Diaconus trecentis fermè annis post Gregorium de Gregorio scripserit, Baronius verò annis fermè mille; videtur ex hoc capite, standum potius sententiæ Ioannis antiquioris, quam Baronij iunioris, nisi firmis auctoritatibus, & rationibus suam aduersus Ioannem Assertionem probet, atque communiat.

Hoc igitur diligenter inquirendum, & inuestigandum est in hoc tractatu, num scilicet, rationes & auctoritates, quas pro sua opinione adducit Baronius, ad euertendam antiquam Ioannis de monachatu sancti Gregorij sub Regula Diui Benedicti sententiam, solidæ sint, ac firmæ, necne: quod si stabiles, & concludentes fuerint, amplectenda erit sententia ipsius, quantumcumque noua videatur: si secus, retinenda erit inueterata, & tot annorum centurijs præscripta Ioannis Diaconi assertio, nec vllo modo recedendum ab ea, quam per tot sæcula, tot viri sanctitate, ac doctrina percelebres secuti sunt, & amplexati: semper enim (vt est in prouerbio) fuit veneranda senectus, in his præcipuè, quæ ad historiam, & narrationem gestorum pertinent antiquorum.

Proponuntur quæ Baronius scribit in fauorem suæ opinionis, aduersus Ioannem Diaconum. Caput II.

DVO præcipuè sunt, quæ Baronius in Ioannis narratione falsitatis conatur arguere. Primum, quod cap. 6. lib. 1. agens de primordijs monachatus sancti Gregorij, asserit

Digitized by Google

asserit illum sub Hilarionis, & Maximiani re gimine regulari tramite militasse. Alterum quod libro quarto cap. octogesimo, ait. Porrò in exilitate Balthei, quæ vnius pollicis mensuram non excedit, speciem propositi regularis olim à sancto Benedicto statuti, cuius ipse vitam describens in Dialogo, Regulam quoque laudauerat, eum seruasse, luce clarius manifestat: præsertim cum idem venerabilis Doctor Gregorius græcam lingnam nescierit, & sui Monasterij monachos, Benedicti vtique Regulæ mancipatos, in Saxoniam destinauit. Hæc Ioannes.

Tomo 7. Anno 581

. Baronius igitur, vt hæc quæ à Ioanne dicta sunt euellat, hoc ordine, atque his verbis ratiocinatur. *Sed & in eo redarguendus est Ioannes Liaeonus, dum ait ipsum Gregorium vitam excoluisse Monasticam, primò sub Hilarione Abbate, inde verò sub Maximiano. Nam ipse diuersa his ponit, dum ait. Vitæ venerabilis Valentius (vel Valentio, siue Valentinus) qui post in hac Romana Vrbe, mihi (sicut nosti) meoq. Monasterio præfuit, prius in Valeria Prouincia suum Monasterium rexit. Qui igitur haud diu permissus est degere in Monasterio, sed inde euulsus in Diaconum ipse Gregorius est assumptus, haud alium Abbatem post Valentium habuisse institutorem, putamus. Nam quod ad Maximianum spectat, licet ipse Gregorius testetur eum eidem suo Monasterio præfuisse, non tamen addidit, & sibi, sicut de Valentio dixerat. Post Maximianum vero præfuit eidem ipsius Monasterio, Pretiosus, cuius idem Gregorius meminit. Inde autem Probus adhuc viuente Gregorio, qui de eo in constituto ad ipsum dato mentionem habet, Monasteriumq. illud titulo sanctorum Andreæ Apostoli, atque Luciæ, seu Potius Lucæ, cuius reliquias, sicut Andreæ acceperat Constantinopoli, nominatum fuisse publica, intexta constituto, acta, referant. Quo extructo, in ipsum cum ingressus est Monasterium contigisse sanctam Romulam virginem ex hac vita migrare, idem affirmat. Homil. in Euangel. 40. & lib. 4. Dial. cap. 11.*

Porrò instituto ab ipso Monasterio sancti Andreæ in Vrbe, non ex proxime positis Cassinatibus monachis (vt multi putant) quibus Longobardos fugientibus apud Lateranēsem basilicam

basilicam datum fuerat Monasterium: sed ex Prouincia Valeria, Monasterio sancti Equitij, in quo vigebant monastica instituta, petitum primum Abbatem apparet: idque non ex ipsius Gregorij loco citato tantum, sed etiam alio eiusdem, dum sancti Equitij post obitum edita miracula recenset: dumq. ex relatione eiusdem Valentij, siue Valentini sui Abbatis, quæ narrat, se accepisse testatur, vbi ait. Silere non debeo, quæ de hoc viro Abbate quondam meo Reuerendissimo Valentio narrante cognoui: suum enim Abbatem dum iterum appellat, haud alium ab eo, de quo dictum est fuisse cognosce. Porrò nullum aliud celebre eo tempore in Prouincia Valeria Monasterium fuisse reperitur, nisi sancti Equitij, ex quo primus petendus esset Abbas Monasterij ab ipso erecti, à quo & habitum ipsa Gregorius monastica conuersationis accepit, & ab eo monachorum institutis est regulis.

Videant hinc ergo, quo iure nonnulli tradant fuisse Gregorium institutionis sancti Benedicti professorem, cum sanctus Equitius ante sanctum Benedictum in dicta Prouincia Monasterium erexerit, & monachis in eo positis præfuerit: congregauerat iam ille monachos, cum sanctus Benedictus petijt eremum. Nec est enim cui magis, quam ipsi Gregorio credi possit de se testanti. Sed neque est, vt quis Valentium hunc quem sibi præfuisse Abbatem fatetur iterum ipse Gregorius, illum existimet fuisse Valentinianum, secundum numeratum post sanctum Benedictum Abbatem, primum verò Lateranensis cœnobij: nam constat diuersum fuisse Monasterium sancti Andreæ ab illo Lateranensi, vt ex diuersa etiam Abbatum serie intelligere potes. Lateranensi enim primum Valentinianus Abbas, inde Simplicius, & post eum præfuit Honoratus, vt idem Gregorius docet: in Monasterio vero sancti Andreæ, primo (vt eiusdem Gregorij testificatione diximus) Valentius, siue Valentinus, inde Maximianus, tertio loco, Pretiosus, atque postea substitutus est Probus. Sed de his modo satis.

Rursum tomo 8. Anno 604. respondens ad ea, quæ Ioannes Diaconus de Baltheo sancti Gregorij dixerat, sic ait. *Cæterum antiquitus, cum diuersi essent ordines monachorum haud memini eosdem adeo valde habitu fuisse distinctos, vt*

vel

Digitized by Google

vel ex cingulo, cuius quisque obseruantiæ esset, dignosci facile potuisset; & tomo 9. Anno 817. hæc habet Qui in his, quæ asserit, ex cingulo cognitum Gregorium vixisse vsque ad vitæ finem, obseruantia monachum, id nulli dubium esse debet. Quod autem asserat ex balthei exilitate (vt ait) conuinci fuisse monachum instituti sancti Benedicti, id minime ex hoc probari potest, cum occidentales omnes monachi eiusmodi cinguli genere vterentur. Testatur enim sanctus Fulgentius Episcopus Ruspensis, consueuisse monachos pelliceo vti cingulo, etiam in Africa. Sed & tradit Cassianus de habitu Monachorum cap. 2. non Monachorum tantum, sed Apostolicorum quoque virorum fuisse consuetudinem eiusmodi vti cinguli genere.

Hæc sunt, quæ Baronius ad euertendam Ioannis Diaconi de Monachatu sancti Gregorij sub Beati Benedicti Regula, sententiam, suamq. nouam de hac re opinationem firmandam, & stabiliendam, excogitauit argumenta.

De quodam Apologetico pro sententia Cardinalis Baronij edito. Cap. III.

ANTONIVS Gallonius Congregationis Oratorij Presbyter, vt præfatam Baronij de monachatu sancti Gregorij opinionem, à duobus Monachis Congregationis Cassinensis acriter impugnatam, propugnaret: Apologiam quandam edidit, Romæ impressam Anno 1604. in qua cum (vt ipse testatur pag. 77.) nil noui adducat ad eam sententiam corroborandam, sed solum nitatur aduersarios confutare, ideo argumentis, & rationibus à Baronio adductis dissoluendis incumbemus. Si quid autem præterea Antonius præfatus in Baronij fauorem attulerit, pariter, sed breuiter, confutabimus: nec enim intendimus dilatare philacteria, aut magnificare fimbrias, sed presse, & scholastico more, argumentis huius nouæ opinionis satisfacere curabimus, vt veritas antiquæ, & inueteratæ Ioannis Diaconi, aliorumq. asserentium Beatum Gregorium Monachum fuisse Benedictinum sarta tecta, & inconcussa permaneat.

Ante

Digitized by Google

Ante omnia vero opere pretium erit adnotare Regulam quandam à prædicto Patre Gallonio in suo Apologetico pag. 47. vniuersis iunioribus scriptoribus præfixam. Reijciens enim quandam Polydoni Virgilij, de propagatione Ordinis sancti Benedicti in Anglia, sententiam: contendit non esse admittendam, quia nulla antiquorum auctoritate fulcitur, atque hunc constituit Canonem.

Regula notanda.

Non enim recentioribus de antiquioribus testantibus fidem adhibemus, nisi quæ dicunt, vel ratione, vel antiquorum testimonio fulciatur. Alioquin si via ista aperitur, vt nouissimo cuique quælibet asserenti absque auctoritate, vel ratione probata credatur, in potestate cuiuslibet erit, quod vult asserere, & antiquitus tradita dissipare. sic ille. Regula quidem optima, sed male à pluribus obseruata: videturq. desumpta ex Diuo Gregorio Homil. 34. in Euangel. circa medium, vbi disputans vtrum omnes Angeli mittantur, necne, ita concludit. *Nos affirmare nolumus, quod apertis testimonijs non approbamus.* Subdit deinde Gallonius hæc verba. *At sic est Baronius comparatus, vt scriptis suis nullam fidem adhiberi velit, nisi antiquorum testificatione, quæ scribit affirmet, & comprobet.* Et iterum pag. 77. eadem fere repetit dicens. *Ita enim comparatus est Baronius, vt cum veritatis vindicem agat, & defensorem, quemcumque libenter audiat monitorem, summisq. gratiarum actionibus prosequatur eum, per quem ipse proficiat, cum veritatem interdum læsam, labantemq. ipsam, ita firmari contingat.* Baronius quoque ipse in præfatione ad appendicem tom. 10. Annal. sic de se dicit. *Secunda fœlicitas illa debet existimari, si quæ humana imbecillitate errata noscuntur, eadem cognita emendare: quam nos assequi cum exoptemus, ita comparati sumus, vt monitores nostros tamquam insignes colamus benefactores.*

Excutiamus ergo, iuxta tenorem præfatæ regulæ, ea quę Baronius pro sua de Monachatu sancti Gregorij opinione adducit, & quidem si probata ratione, vel antiquiorum auctoritate suffulta fuerint, admittamus, sin minus, reijciamus. Cum enim veritatis vindicem agat, & defensorem, si in humanis adhuc esset libenter audiret quemcumque monito-

monitorem, nosq. gratiarum actionibus prosequeretur, quippe qui veritatem læsam labantemq; firmare, atque stabilire contendimus. Nec putamus, defensionem pro veritate susceptam ingratam fore defuncto, quæ ita apparet placuisse viuenti.

Responsio ad primum argumentum Baronij. Cap. IV.

CONTENDIT in primis Baronius probare, Beatum Gregorium non *fuisse institutum regulis Monasticis sub magisterio* Hilarionis, & Maximiani, vt asserit Ioannes Diaconus, ratio vero eius talis est.

Credendum est potius Gregorio de se testanti, quam cuilibet alteri, sed Gregorius solum Valentium nominat Abbatem suum, ergo nullum alium habuisse credēdus est, eo vel maxime, quod haud diu permissus fuit in Monasterio degere.

Hoc argumentum non concludere, viderunt viri docti, qui à Clemente Octauo, restituendo, ac corrigendo Breuiario Romano fuere Præfecti. Cum enim in Lectionibus *legi* solitis in festiuitate B. Gregorij, alia quædam emendauerint, hæc quæ de ipsius Institutione sub magisterio Hilarionis, & Maximiani asserit Ioannes intacta omninò reliquerunt, atque in eisdem Lectionibus publice ab omnibus legi in Ecclesia Dei voluerunt. Argumentum autem à correctione Romani Breuiarij tanti facit Gallonius, (& merito) vt pag. 20. sui Apologetici inde se arbitretur conuincere erroris Ioannem Diaconum, asserentem Beatum Gregorium à Benedicto Papa creatum Diaconum Cardinalem: sic enim ait. *Cum enim in restitutione Breuiarij Romani sub Clemēte Octauo elaborata, expunctum sit nomen Benedicti Papæ, quod à Ioanne sciretur errore positum, ea expunctione, non solum Ioannis Diaconi de his sententia aboletur, sed omnium illorum, qui post Ioannis tempora floruerunt.* Tantundem Gallonius pro Baronio. Liceat nunc mihi pro Ioanne similiter argumentari. Cum in eadem Romani Breuiarij restitutione non sit expunctum nomen Hilarionis, & Maximiani,

Digitized by Google

ni, immo ibi asseratur expresse Beati Gregorij fuisse magistros, ea assertione non solum Baronij contraria de his sententia aboletur, verum etiam ipsius Gallonij, & eorum omnium, qui postea illos secuti fuerint.

Sed ad argumentum Baronij in forma respondentes, concedimus Valentium Beati Gregorij fuisse Abbatem, ex ipsius Gregorij attestatione, verum cum nusquam neget alios se habuisse Abbates, vel magistros, non oportet ad solum Valentium illius restringere institutionem. Quod autem pro confirmatione subiungit Baronius, Gregorium videlicet haud diu permissum fuisse in Monasterio degere falsum omnino esse censeo, quia eidem Gregorio penitus aduersatur. Ipse enim libro quarto registri epist. 45. asserit Marinianum, quem constituerat Episcopum Rauennatem, diu secum in Monasterio conuersatum fuisse. Quod etiam concedit Baronius tom. 8. Anno quingentesimo nonagesimo quinto. Rursus lib. 3. Dialog. cap 33. *Eleutherius, inquit, Pater Monasterij Beati Euangelistæ Marci, quod in Spoletanæ vrbis pomerijs situm est, diu mecum est in hac vrbe, in meo Monasterio conuersatus.* Et infra eodem capite referens sanitatem sibi à Deo precibus eiusdem Eleutherij impetratam, sic ait. *Cumq in dispositione Monasterij mens occupata fuisset, obliuiscebar funditus ægritudinis meæ.* Ex quibus aperte constat, Beatum Gregorium, & diu in Monasterio permansisse, & Abbatem eiusdem sui Monasterij, antequam Constantinopolim proficisceretur, extitisse, vt capite sequenti docebimus. Quæ cum ita sint, veram putamus sententiam Ioannis Diacôni asserentis, Gregorium tempore Benedicti Papæ, qui Pelagium præcessit, fuisse iam Monachum.

Gregorius diu in Monasterio vixit.

Nec argumentum, quod adducit Baronius in cõtrarium, quidquam probat. Arguit enim sic. Gregorius ipse testatur quo tempore Laurentius Iunior electus fuit Archiepiscopus Mediolanensis, se fuisse verbis præfectum; sed Laurentius electus fuit Anno Domini quingẽtesimo octogesimoprimo, qui fuit quartus Pontificatus Pelagij, ergo ante hunc annum non potuit esse monachus. Ad hoc argumentum respondeo negando Laurentium non fuisse electum ante annum quingentesi-

Lib. 3. Epist. 2.

Digitized by Google

genteſimum octogeſimumprimum. Probat Baronius auctoritate (vt ait) omnium qui res Eccleſiæ Mediolanenſis proſecuti ſunt. Si vero quæras quot, & qui ſint omnes iſti, duos tantummodo profert recentiſſimos ſcriptores, videlicet Panuinum, & Galeſinum, qui noſtris diebus ſcripſerunt. Quibus (iuxta regulam nobis præſcriptam) fidem non adhibemus, quia cum ſint adeò noui, recentesq; ſcriptores; & de rebus valde antiquis agant, nec ſuam aſſertionem antiquiorum auctoritate, aut aliqua probata ratione, confirment: non eſt cur propter eos à Ioannis Diaconi, immo ab ipſius Gregorij ſententia diſcedamus: cum idem ipſe Baronius in multis alijs, & peculiariter in ijs, *quæ de Epiſcopis* Eccleſiæ Mediolanenſis ſcribunt, alicubi ab eorum ſententia recedat. Teneamus ergo ex eiuſdem Gregorij teſtificatione, ipſum diu in Monaſterio deguiſſe, antequam à Benedicto, ſiue Pelagio Diaconus S.R.E. crearetur, atque Conſtantinopolim mitteretur: habuiſſeq; præter Valentium alios Patres, ſiue educatores in monaſtica diſciplina, vt Ioannes Diaconus teſtatur, & retinet Breuiarium Romanum nouiſſime correctum, & emendatum.

Martyrologium ad diem 20. Nouēb. K.

Huic noſtræ aſſertioni adſtipulatur idem Baronius tom. 8. Anno quingenteſimo nonageſimoquarto ad finem, dum aſſerit, Maximianum fuiſſe Diui Gregorij Patrem, & educatorem in monaſtica diſciplina. Verba ipſius ſunt. *Hoc eodem anno Maximianus ille vir ſanctiſſimus Abbas olim Monaſterij ſancti Gregorij, eiusq. Pater, & educator in monaſtica diſciplina, ac poſtea ab eo creatus Epiſcopus Syracuſanus (de quo ſuperius ſæpè) hoc inquam anno, menſe Nouembri, ex hac luce migrauit.* Habuit ergo Beatus Gregorius, præter Valentium, alium Patrem, & educatorem in monaſtica diſciplina, vt diſertis verbis aſſerit ipſe Baronius. Nec tamen inde colligas, Maximianum Abbatem fuiſſe ſancti Gregorij, ſucceſſit enim Gregorio in regimine Monaſterij, non præceſſit: vocatur autem Gregorij Pater, quod magiſter, & inſtitutor illius in monaſtica diſciplina fuerit.

De Hilarione vero cenſeo, illum fuiſſe magiſtrum, & inſtitutorem ſancti Gregorij, vt docet Ioannes Diaconus, & retinet

Digitized by Google

vetinet Breuiarium Romanum nuper correctum: verum verò fuerit Abbas Monasterij sancti Gregorij, nolo temere definire. Quis autem ipse fuerit, ignoro. Similiter, verum in scriptis Ioannis Diaconi, loco Valentionis irrepserit nomen Hilarionis (vt quidam viri docti non improbabiliter asserunt, & fieri sæpius in aliorum scriptis videmus) quia nescio, decidere non præsumo.

Sed esto, concedamus Baronio, non diu permansisse in Monasterio Gregorium, numquid propterea nō poterat eodem tempore Valentius Abbas esse Monasterij sancti Gregorij, & Hilarion, ac Maximianus eiusdem Gregorij magistri, & institutores in monastica disciplina? Certè argumentum Baronij, quod ab auctoritate negatiuè procedit, contrarium minimè concludit.

Proponitur, & dissoluitur secundum argumentum Cardinalis Baronij. Cap. V.

EXIT deinde Baronius seriem Abbatum Monasterij sancti Gregorij, & Monasterij Lateranensis, quod tempore Beati Gregorij Caffinates monachi incolebant, ex quorum diuersa serie tam ipse, quam Gallonius videntur probare voluisse Beatum Gregorium monachum Benedictinum non fuisse. Ostendam ergo in texenda horum Abbatum serie plures commissos fuisse errores, argumentumq; ab eius diuersitate sumptum, nihil aduersum nos concludere.

Numerat Baronius inter Abbates Monasterij sancti Gregorij, Pretiosum, qui non Abbas, sed tantum Præpositus, (vulgo Prior) fuit: sic enim eum vocat Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 55. In Monasterio vero sancti Gregorij, Abbas erat diuersus à Præposito, vt patet ex eodem Gregorio lib. 9. epist. 38. & 42. Quod etiam fatetur Gallonius pag. 85. Quod si Præpositus idem erat, qui Abbas, non debuit profecto in hac Abbatum serie prætermitti sanctus Augustinus Anglorum Apostolus, qui & ipse eiusdem Monasterij Præpositus fuit,

Digitized by Google

fuit, vt ſcribit Gregorius lib. 9. epiſt. 114. Probum autem quem quarto loco enumerat, fuiſſe Abbatem concedo, Monaſterij vero ſancti Gregorij, nego. Nec enim vſquam à Gregorio vocatur Abbas Monaſterij mei, quemadmodum cæteri; ſed Abbas Monaſterij ſanctorum Andreæ, & Luciæ, quod Baronius nititur transformare in Monaſterium ſancti Gregorij, ſupponendo Lucam pro Lucia. Sed prius probandum erat Monaſterium ſancti Gregorij vnum & idem cum illo ſanctorum Andreæ, & Luciæ fuiſſe, vt rectè Probum in Abbatum illius ſerie annumerare potuiſſet. Præerat etiam Monaſterio ſancti Gregorij tempore quo *Dialogorum libros* ſcripſit, Petrus quidam, vt teſtatur idem Gregorius lib. 4. cap. 47. meminit etiam Gregorius lib. 7. epiſt. 13. cuiuſdam Candidi Monaſterij ſui Abbatis, & epiſt. 125. cuiuſdam Cyriaci, pariter eiuſdem Monaſterij Abbatis, qui omnes in hac ſerie à Baronio prætermiſſi ſunt. Quin & ipſe Gregorius (qui proculdubio Abbas ſui Monaſterij fuit) debuit in hac ſerie inter alios Abbates connumerari. Certe Baronius tomo 7. Anno 584. & Gallonius pag. 17. ſui Apologetici, non ſolum fatentur, ſed probant Beatum Gregorium Abbatem fuiſſe ſui Monaſterij, quamuis errent in tempore Præfecturæ ipſius, afferentes illum Abbatem fuiſſe poſt reditum è Conſtantinopoli, vſque ad electionem ſuam in ſummum Pontificem. Quod nullo modo ſtare poteſt, præerat enim eo tempore Monaſterio ſancti Gregorij Maximianus, vt expreſſe teſtatur idem Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 36. vbi ſic ait. *Neque hoc ſilendum puto, quod omnipotens Deus ſuper Maximianum famulum ſuum, nunc Syracuſanum Epiſcopum, tunc autem mei Monaſterij Patrem, dignatus eſt monſtrare miraculum. Nam dum iuſſione Pontificis mei in Conſtantinopolitanæ vrbis palatio reſponſis Eccleſiaſticis deſeruirem: illuc ad me idem venerabilis Maximianus, charitate exigente, cum fratribus venit. Qui cum ad Monaſterium meum Romam rediret, &c.*

Gregorius fuit Abbas ſui Monaſterij.

Ex quibus liquidò conſtat Maximianum eo tempore Abbatem Monaſterij ſancti Gregorij extitiſſe, quo ipſe Gregorius Conſtantinopoli reſpõſis Eccleſiaſticis deſeruiebat: in qua Præfectura perſeuerauit donec à Beato Gregorio Syracuſanus

Digitized by Google

facusanus Episcopus ordinatus est. Non ergo fuit Gregorius sui Monasterij Abbas post reditum è Constantinopoli vsque ad electionem suam in summum Pontificem, vt auctores isti volunt, sed antequam Constantinopolim proficisceretur: quod optime fieri potuit, cum diu in Monasterio (vt ipsemet testatur) conuersatus fuerit. Perpendat igitur Lector, quot errores in hac breui Abbatum serie recensenda commissi sunt: nec deinceps miretur, si in quibusdam alijs erratum fuisse perspexerit: sæpe namq; falluntur homines etiam oculatissimi.

Nec minus erratum est in recensenda serie Abbatum Lateranensis Monasterij, in qua asseritur Valentinianum primum Abbatem Lateranensem, fuisse secũdum post sanctum Benedictum: Gregorius namq; in proemio lib. 1. Dialog. Constantinum facit secundum post Beatum Benedictum Abbatem. Deinde Baronius post Valentinianum constituit Simplicium Lateranensis cœnobij Abbatem, cum iuxta Gregorium, vbi supra, fuerit tertius Casinensis Abbas, vt nos latè probauimus in libello de existentia corporis sancti Benedicti apud Casinum. Asserit præterea Baronius præfuisse tertio loco eidem Lateranensi cœnobio Honoratum, cum Gregorius, vbi supra expresse dicat, Honoratum eo tempore, quo ipse Dialogorum librum scribebat. præfuisse Monasterio Sublacensi; & Faustus in vita sancti Mauri asserat, tertium Lateranensis Monasterij Abbatem fuisse Theodorum.

Sed concedamus vltro his auctoribus horum Abbatum seriem verissimam esse, rectèq; procedere, quid inde probare contendunt? Ex diuersa, inquiunt, serie Abbatum vtriusque Monasterij, apparet Beatum Gregorium non fuisse monachum Benedictinum, cum non fuerit monachus Lateranensis cœnobij, quod incolebant Benedictini; sed alterius omnino diuersi. Hoc argumentum probat quidem diuersa fuisse duo illa Monasteria, non autem diuersi fuisse instituti, & regulæ. Imo neque probat Valentium non fuisse Valentinianum Lateranensis cœnobij Abbatem, cum facile potuerit ex vno Monasterio in aliud transferri.

Digitized by Google

Proponitur, & soluitur tertium Baronij argumentum. Cap. VI.

EX his, quæ præcedenti capite scripta sunt apparet bonum aliquando dormitare Homerum, cum sapius adducat Gregorium pro se loquentem, cum tamen ille diuersum omninò scribat, in præsenti quoque disputatione, cum Beatus Gregorius nusquam dixerit se fuisse ordinis sancti Equitij monachum, ità illum inducunt pro se testantem Baronius, & Gallonius, ac si hoc ipsum apertissimis verbis affirmasset: Quod an ita sit, modo à nobis assumitur examinandum.

Tomo 7. anno 581. Baronius, vt probet Beatum Gregorium non fuisse monachum Benedictinum, sed sancti Equitij, in hunc modum ratiocinatur. Primus Monasterij sancti Gregorij Abbas fuit Valentius, sed hic fuit assumptus ex Prouincia Valeria, Monasterio sancti Equitij, ergo non fuit Benedictinus. Quod si Valentius Benedictinus non fuit, nec Gregorius, qui ab illo fuit Regulis monasticis imbutus.

Sunt nonnulla in hoc argumento, quæ iure possunt in dubium reuocari, quæq; ad veritatem historiæ pertinent. Primum vtrum Valentius fuerit primus Monasterij sancti Gregorij Abbas. Cum enim id Gregorius nusquam asserat, nec antiquorum auctoritas, aut probata ratio conuincat, non cogimur credere Valentium fuisse primum Abbatem Monasterij sancti Gregorij. Et ideo nego Valentium fuisse primum Abbatem Monasterij sancti Gregorij, vt supponit argumentum Baronij. Secundo dubitatur num Valentius fuerit assumptus in Abbatem Monasterij sancti Gregorij ex Prouincia Valeria: quamuis enim aliquando fuerit Abbas cuiusdam Monasterij in prædicta Prouincia constituti, tamen quo tempore Præfectus fuit Monasterio sancti Gregorij, cœnobium illud suum à Longobardis fuerat deuastatũ, iuxta eiusdem Baronij computationem, qui Monasterium Valentij euersum asserit Annoquingentesimo septuagesimotertio, Monasterium vero sancti Gregorij erectum fuisse

Tomo 7. Annal.

ſt anno quingenteſimo octogeſimo, vel octogeſimoprimo, annis videlicet ſeptem, vel octo poſt euerſionem Monaſterij Valentij. Quo tempore Valentius, non in Prouincia Valeria, in qua Longobardorum furor, & rabies graſſabatur, ſed Romæ commoratus eſt, vbi familiaritatem cum Beato Gregorio contraxit, eiq; narrauit miracula illa, quæ ipſe refert lib. 1. Dialog. cap. 4. ad finem, & lib. 4. cap. 21. Habitaſſe vero toto illo tempore Valentium in Monaſterio Lateranenſi cum monachis Benedictinis, eo quod eiuſdem eſſet Regulæ, & inſtituti, atque ex inde ad regimen, & Præfecturam Monaſterij ſancti Gregorij aſſumptum fuiſſe, probabiliſſimum eſt, immò fere certum, & euidens, vt inferius patebit. Nego igitur, Valentium aſſumptum fuiſſe ad regimen Monaſterij ſancti Gregorij ex Prouincia Valeria, ſed ex Monaſterio Laterauenſi.

Tertium, quod non ſolum in dubium reuocamus, verum etiam expreſſe negamus, quia falſum eſſe cenſemus, illud eſt: Valentium ex Monaſterio ſancti Equitij fuiſſe aſſumptũ ad Præfecturam Monaſterij ſancti Gregorij. Hoc inquam penitus, & omninò negamus, quouſque auctoritate antiquorum, aut ratione probata id nobis certum, exploratũq; reddat. Quod quidem Baronius efficere conatus eſt, ſed an illud præſtiterit modo diſcutiendum eſt.

Argumentatur ergo auctoritate deſumpta ex lib. 1. Dialog. Beati Gregorij cap. 4. ad finem, vbi refert Gregorius ſe accepiſſe à prædicto Valentio Abbate ſuo quoddam miraculum in Monaſterio ſancti Equitij, poſt obitum eiuſdem Sancti, in defenſionem monachorum ſui Monaſterij, aduerſus Longobardos patratum, ex cuius narratione infert Baronius, Valentium fuiſſe Monaſterij ſancti Equitij monachum. Verum concluſio prætenſa, ex huiuſmodi narratione nullo modo inferri poteſt. Vt enim aſſerit Gregorius, miraculum illud publicè in Eccleſia exhibitum, non ſolum monachis illius Monaſterij, ſed & multis alijs innotuit: ergo ex huius miraculi narratione non ſequitur Valentium Monaſterij ſancti Equitij monachum extitiſſe. Quod ſi hoc modo argumentari licet, argumentabor ego ſic. Narrauit idem Valentius Beato Gregorio 3. lib. Dialog. cap. 22. aliud

Digitized by Google

miraculum à quodam venerabili Sacerdote in eadem Prouincia Valeria post obitum factum, ergo Valentius fuit huius Sacerdotis discipulus. Si negaueris hanc consequentiam negabo & ego illam superioris argumenti, vtraque enim eodem pede claudicat. Auctoritas ergo illa, ex 1. lib. Dialog. Gregorij desumpta, nihil iuuat ad probandum Valentium fuisse Monasterij sancti Equitij monachum: nisi velimus asserere, quotquot alicuius Sancti gesta, vel miracula narrant, illius Sancti esse discipulos: quod quam falsum, & absurdum sit, nemo non videt.

Ratio vero qua vtitur Baronius ad idem probandum, talis est. Valentius Monasterij sancti Gregorij Abbas assumptus est ex Prouincia Valeria, sed tunc in ea nullum aliud celebre Monasterium extabat præter illud sancti Equitij, ergo ex illo assumptus est Valentius.

Huic argumento respondeo primum, negando consequētiam. Gregorius enim ad conferendas dignitates Ecclesiasticas, non celebritatem loci, sed probitatem, & honestatem personæ promouendæ requirebat: vt patet ex eodem Gregorio lib. 4. epist. 43. & lib. 6. epist. 10. & lib. 7. epist. 93. & lib. 9. epist. 22. Quid enim prodest ad regimen animarum manere siue morari in loco celebri, nisi virtute, & sanctitate polleas? Aut quid obest degere in loco humili, & abiecto, si vita, & moribus fueris celebris, atque conspicuus? Non ergo assumptus est Valentius ad Præfecturam Monasteri sancti Gregorij, eo quod in loco celebri moraretur, sed quia monastica religione, omniq; virtutum genere polleret, & clarus haberetur.

Secundò respondeo negando minorem, videlicet eo tempore in Prouincia Valeria nullum aliud celebre Monasterium extitisse præter illud sancti Equitij. Gregorius namq; Homil. 35. in Euangel. meminit cuiusdam Monasterij iuxta Reatinæ vrbis mœnia constituti (quæ proculdubio in Prouincia Valeria sita est) cuius Abbas vocabatur Stephanus vir valde sanctus, & virtute patientiæ singularis. Præterea Monasterium illud in quo primum sanctus Benedictus à monachis summis precibus exoratus Abbatis officio functus est, vt habetur lib. 2. Dialog. cap. 3. Quem postea eiusdem

Monaste-

Digitized by Google

Monasterij monachi veneno tollere conati sunt, in Prouincia Valeria situm erat, vt patet intuenti locum, vbi ipsius vestigia hactenus ostenduntur: nec arbitror fuisse ex his, quæ sancto Equitio parebant. Immò & illa duodecim Monasteria, quæ referente Gregorio vbi supra, Beatus Benedictus apud Sublacum construxit, si rectè fines Prouinciæ Valeriæ perpendas, intra ipsam fuisse reperies. Sed & ipsum Valentij Monasterium diuersum omninò fuit à Monasterio sancti Equitij, vt ex eiusdem Gregorij relatione constat. Agens namq; Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 4. de Monasterij sancti Equitij inuasione, refert Longobardos, qui illud inuaserant, à spiritibus immundis arreptos, nihil mali monachis illius Monasterij inferre potuisse. Cum autem postea lib. 4. cap. 21. De Monasterio Valentij à Longobardis itidem inuaso agit, duos illius monachos in cuiusdam arboris ramis suspensos, atque necatos asserit. Ex attestatione igitur Gregorij Monasterium Valentij, diuersum erat à Monasterio sancti Equitij. Sed respondet Gallonius pag. 90. Monasterium Valētij non fuisse illud sancti Equitij primarium, sed vnum ex eis, quæ sancto Equitio parebant: idq; supposuisse Baronium tanquam certum, & exploratum. Ego vero dico, hoc non debuisse supponi, sed probari. Licet enim Gregorius dixerit sanctum Equitium multorum Monasteriorum in Valeria Prouincia Patrem fuisse, tamen cum numquam dixerit omnium, non bene infertur: Monasterium Valentij erat in Prouincia Valeria, ergo erat vnum ex ijs, quæ sancto Equitio parebant. Quod etiam ex modo loquēdi ipsius Gregorij facile colligere possumus. Sic enim ait libr. 4. Dialog. cap. 21. *Vitæ venerabilis Valentius qui post in hac Romana vrbe, mihi meoq. Monasterio præfuit, prius in Valeria Prouincia suum Monasterium rexit:* suum dixit, vt Monasterium illud ipsius Valentij, & non alterius esse monstraret: sicq; ab alijs eiusdem Prouinciæ Monasterijs discerneret. Eodem modo loquendi vtitur Gregorius plerisque in locis dum agit de Monasterio Romæ à se cōstructo, quod semper suum Monasterium vocat, quamuis non fungeretur Abbatis officio. Ita & Monasterium in quo Valentius Abbas fuerat, suum nuncupauit, quasi diceret, Valentium illud

Valentij Monasterium.

Digitized by Google

erexisse, ipsiusq; Fundatorem fuisse. Si autem Gregorius indicare voluisset Valentium sancti Equitij monachum extitisse, vel ipsius Monasterium vnum fuisse ex ijs, quæ sancto Equitio parebant, opportebat id in primis exprimere. Quod cum nec ipse Gregorius, nec quisquam ex antiquis scriptoribus illud asserat, nec ratio probata conuincat, non est adhibenda fides neotericis scriptoribus, asserentibus, contra regulam ab ipsis traditam, & alijs præscriptam, Valentium monachum fuisse sancti Equitij, Monasteriumq; illius vnum ex ijs, quæ sancto Equitio parebant extitisse.

Ex his, quæ dicta sunt, manifestè apparet multa fuisse in Prouincia Valeria, Monasteria, præter ea, quæ sub sancti Equitij cura, & obedientia degebant. Immò probabilissimum est, ac ferè euidens, fuisse in eadem Prouincia, multo ante erectionem Monasterij sancti Gregorij in vrbe, plura Monasteria sub Regula, & instituto sancti Benedicti, siue fuerint ab eo fundata, siue vltro se ipsius Regulæ subdiderint. Asserit enim Martyrologium Romanum die 21. Martij Beatum Benedictum monasticam disciplinam in Occidente penè collapsam restituisse, atque mirificè propagasse: constat præterea, eundem sanctissimum Patrem discipulos suos, causa propagandæ Religionis monasticæ, in Prouincias remotas misisse, vt Placidum in Siciliam, Maurum in Gallias, & alios in Hispaniam. In Italia etiam, tamquam in propria sibi reseruata Prouincia, multorum Fundator extitit sanctorum cœnobiorum, multaq; Domino acquisiuit millia perfectorum monachorum, vt asserit Beatus Maurus relatus à Fausto in vita ipsius. Cum ergo hæc ita se habeant, improbabile profecto, & valde improbabile est, solam Prouinciam Valeriam, adeò vicinam, atque locis, in quibus Beatus Benedictus vixit contiguam, expertem fuisse huius restaurationis, & propagationis. Vnde censeo ante erectionem Monasterij sancti Gregorij, non solum extitisse in Prouincia Valeria aliquot Monasteria à Beato Benedicto, seu eius discipulis fundata, verum etiam alia multa prius existentia, Regulæ sancti Patris Benedicti se vltro subdidisse: inter quæ, si affirmauero vnum fuisse Monasterium sancti Equitij cum omnibus sibi subiectis, rem valde probabi-

Martyrologiũ Romanum.

probabilem asseram, quam Bernardus Abbas Monasterij sancti Honorati prope Fundanam ciuitatem, qui illis temporibus vixit, plane confirmat, in quadam Epistola ad Simplicium tertium Monasterij Cassinensis Abbatem, in qua sic ait.

Epistola Abbatis Fundani.

Experientia compertum est multorum Rectorum mores varias viuendi normas in Monasterijs peperisse. Hinc factum est, vt iam omnia Monasteria Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tusciæ, Liguriæ, & aliarum Prouinciarum Italiæ certam, & rectam Regulam viuendi, quam sanctissimus, & Deo acceptissimus Benedictus magister tuus instituit seruare decreuerint, &c. Quam Epistolam ab impugnationibus Galloni defensam inuenies in libello nostro de existentia corporis sancti Benedicti apud Cassinum cap. 6. & 7.

Neq; vllo modo probro dandum est monachis illis, quod relicta priori, & antiquiori norma, & modo viuendi, sancti Benedicti institutionem susceperint: quin potius eos laude dignos esse censemus, quod Regulæ sanctissimæ, & discretissimæ colla submiserint; & iuxta Apostoli consilium, æmulati fuerint charismata meliora, quemadmodum plura alia celeberrima, & sanctitate conspicua Monasteria fecisse cōstat: vt Monasterium Turonense, à sancto Martino, & Lyrinense, à sancto Honorato, ante sancti Benedicti tempora fundata: quorum monachi Regulam Benedictinam susceperunt, proprijs institutis dimissis. Romæ etiam Monasterium monialium sanctæ Mariæ in Campo Martio, primum sanctimoniales græcæ, sub Regula sancti Basilij incoluerunt, quibus successerunt Romanæ Virgines, quæ ibidem non sub Regula sancti Basilij, sed sub institutis sancti Benedicti hactenus perseuerant. Idem contigit Neapoli in Monasterio sancti Gregorij Armeni, quod vulgo sancti Ligorij appellatur. Videndus Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die 11. Iunij. Quod si in ijs Monasterijs, in quibus certa Regula habebatur, illa omissa, sancti Benedicti institutio est recepta, quid mirum si monachi sancti Equitij, quibus ille nullam propriam, & peculiarem descripserat Regulam, habita notitia Regulæ sancti Benedicti, eam fuerint amplexati?

Digitized by Google

Cum igitur Beatus Gregorius nusquam asserat Valentiæ Abbatem suum, discipulum sancti Equitij extitisse, aut alicui ex Monasterijs eidē subiectis præfuisse; & Baronius vniuersam structuram de monachatu sancti Gregorij, sub Beati Equitij Regula, super hoc fundamentum construere, & stabilire conetur, eo diruto, atque conuulso, vniuersa moles desuper imposita, funditus corruat necesse est.

Vtrum Beatus Gregorius fuerit Regulæ sancti Basilij Professor. Cap. VII.

SENTENTIA quam hactenus impugnauimus, de monachatu sancti Gregorij sub Regula sancti Equitij, adeò improbabilis est, ac solidis destituta fundamentis, vt Antonius Gallonius, qui eam ex professo susceperat defendendam, tandem reiecerit, quamuis aliam non magis probabilem astruere conatus sit, videlicet, sanctum Equitium subditos sibi monachos, Diui Basilij regulis informasse, ac perinde sanctum Gregorium ab illis idem institutum didicisse. Audiamus, obsecro eumdem Gallonium suis proprijs verbis loquentem, atque hoc suum adinuentum probantem: sic enim ait pag. 108. sui Apologetici.

Gallonij ratiocinatio.

Dicere non prætermittam in antiquioribus sedibus sancti Equitij, in ipsa ciuitate Aquila, vsque hodie perseuerare Monasterium monialium titulo sancti Basilij, & in eo eiusdem Regula obseruantiam, quod illud fuisse existimatur, cuius cum meminit sanctus Gregorius, sub cura sancti Equitij fuisse tradit. Quibus etiam appareat sanctum Equitium subiectos sibi monachos ad eiusdem sancti Basilij Regulas informasse, & sanctum Gregorium ab illis idem institutum didicisse. sic Gallonius.

Monasterium sancti Basilij in ciuitate Aquila

Qui profecto in his, quæ de Monasterio sancti Basilij in ciuitate Aquila constituto asserit, valde hallucinatur. Est quidem in ea ciuitate quoddam nobile Monasterium monialium titulo sancti Basilij, in quo à sui primæua institutione Regula sancti Benedicti seruatur. Hoc autem nullo mo-

do

do poteſt eſſe illud, cuius cum meminit ſanctus Gregorius, ſub cura ſancti Equitij fuiſſe tradit. Conſtat enim quodam publico inſtrumento, quod in eodem Monaſterio aſſeruatur, prædictum cœnobium fundatum fuiſſe à quibuſdam fœminis religioſis, tempore Ioannis Papæ vigeſimiſecundi, Anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo, indictione tertia, die quinta menſis Iunij. A tempore vero quo floruit ſanctus Equitius, vſque ad huius Monaſterij erectionem, fluxerunt anni circiter octingenti. Nequit ergo eſſe illud, quod ſanctus Gregorius aſſerit ſub cura ſancti Equitij fuiſſe. Quod ſi eſſet exinde probaretur monachos ſancti Equitij imbutos fuiſſe Regulis Diui Benedicti, & non Baſilij, cum idē Monaſterium ab exordio ſuæ fundationis, non Baſilij, ſed Benedicti Regulam ſeruaſſe noſcatur.

His circa veritatem hiſtoriæ illius Monaſterij poſitis, expendamus, quam vim habeat Gallonij ratiocinatio ad probādum ſanctum Gregorium fuiſſe Regulæ ſancti Baſilij profeſſorem. In ciuitate, inquit, Aquila eſt quoddam Monaſterium monialium ſub titulo, ac Regula ſancti Baſilij. Sub titulo, concedo, ſub Regula, nego. Sed eſto, vt aſſeris. Quid inde? ſubdit. Hoc illud eſſe exiſtimatur, quod Beatus Gregorius aſſerit ſub cura ſancti Equitij fuiſſe. Quo fundamento nititur iſta tua exiſtimatio? Sicut enim gratis à te aſſeritur, ita recte à nobis negatur, cum præfatum Monaſterium nouum ſit, vt oſtendimus. Sed hoc vltro tibi conceſſo. Quid ſubinde inferre intendis? Addit: quibus appareat, ſanctum Equitium ſubiectos ſibi monachos ad eiuſdem ſancti Baſilij Regulas informaſſe. Hæc apparentia, & ſuperior exiſtimatio, eiuſdem farinæ ſunt, multa ſiquidem ſunt hodie Monaſteria alterius inſtituti, & Regulæ, quam ab exordio, & primæua inſtitutione fuere, vt docuimus ſupra de Monaſterio Lyrinenſi, Turonenſi, & alijs. Vnde iſtiuſmodi collectio non valet. Hoc cœnobium hodie obſeruat ſancti Baſilij Regulam; ergo ab initio ſuæ fundationis eam obſeruauit. Si enim huiuſmodi valeret diſcurſus, actum eſſet de cauſa iſta, & nobis adiudicāda, cum præfatum Monaſterium Regulam ſancti Benedicti obſeruet. Sed concedimus tibi gratis ſanctum Equitium monachos ſibi ſubiectos ſancti Baſilij Regulis

Digitized by Google

lis imbuisse: vnde, obsecro, infers sanctum Gregorium ab illis idem institutum accepisse? Petis profecto principium, & quod in primis probandum erat (Gregorium scilicet à monachis sancti Equitij regularibus disciplinis fuisse instructum) tanquam certum, & exploratum supponis, eo solo fundamẽto innixus, quod ita tibi videatur. Faceſſant isthęc. Si tibi fidem adhiberi optabas, opportebat te (iuxta Regulam à te traditam) auctoritatem antiquorum, vel rationem aliquam probatam adducere, quod cum non feceris, tuo te iuditio, ac sententia condemnamus. Hoc vnum ex his verbis tuis libenter accipimus (quia verum esse censemus) nempe, Beatum Gregorium non fuisse Regulis sancti Equitij informatum, cum nullam Regulam monasticam ipse condiderit.

De Cingulo sancti Gregorij. Cap. VIII.

IN octauo, & nono Annalium tomo, nititur Baronius illi rationi respondere, qua Ioannes Diaconus, ex balthei, seu cinguli Gregoriani exilitate, probat Beatum Gregorium monachum fuisse Benedictinum; cuius quidem responsio, sicut & illa, quam reddit Gallonius pag. 109. non videtur esse sufficiens. Quamuis enim concedamus omnes in vniuersum monachos cingulo, vel baltheo fuisse vsos, negamus tamẽ huiusmodi cinctoria fuisse omnia eiusdem materiæ, seu formæ; sed quosdam funibus, vt mõdo Franciscani. Alios zona pellicea, vt nunc Augustiniani fuisse præcinctos. Hõc ita esse constat ex cap. 22. Regulæ sancti Benedicti, vbi S. Pater decernit, vt monachi cingulis, aut funibus sint præcincti. Quemadmodum ergo nunc Fratres Ordinis sancti Augustini, illa sua peculiari, & lata, qua vtuntur zona, ab alijs distinguuntur Religiosis, ita & tunc monachi Benedictini balthei exilitate (vt ait Ioannes Diaconus) à cæteris distinguebantur. Cumq; hoc discrimen, temporibus illis, fuerit omnibus cognitum, & exploratum, optimè potuit Ioannes dicere, huiusmodi balthei exilitate luce clarius innotuisse

notuiſſe, Beatum Gregorium ſeruaſſe propoſitum vitæ regularis à ſancto Benedicto traditæ.

Ex his, quæ hactenus diſputata ſunt apparet opinionem Baronij de monachatu ſancti Gregorij ſub regula ſancti Equitij eſſe nouam, atque ab ipſo primitus aſſertam, abſque vlla antiquorum auctoritate, vel ratione probata. Neque enim Gregorius aſſeruit aliquando de ſe, vel de monachis ſui Monaſterij, militaſſe ſub regula ſancti Equitij, vel ſancti Baſilij, immo nuſquam harum meminit regularum: vnde nec Baronius aliquem ſancti Gregorij locum pro ſe adducere potuit. Solum inuenimus Gregorium aſſeruiſſe, Valentium Abbatem ſuum, antequam Monaſterio ſancti Gregorij præficeretur, ſuum in Prouincia Valeria monaſterium rexiſſe. Ex quo nullo modo inferri poteſt, Valentium ſancti Equitij, vel ſancti Baſilij monachum extitiſſe. Non ergo reſilire debemus ab antiqua, & recepta de monachatu ſancti Gregorij ſub regula ſancti Benedicti ſententia, cum (vt inferius patebit) antiquorum auctoritate, & ratione probata ſuffulta ſit, & roborata.

Aliæ probationes pro monachatu ſancti Gregorij ſub regula ſancti Benedicti. Cap. IX.

PROBAT præterea Ioannes Diaconus quadam validiſſima ratione, Gregorium monachum extitiſſe Benedictinum, ex eo, quod monachi ab eo in Angliã miſſi fuerint inſtituti Benedictini profeſſores. Miramur autẽ valde Baronium huic rationi nuſquam occurriſſe: quod ideò fortè facere omiſit, quia ratus ſufficienter probaſſe Beatum Gregorium non fuiſſe monachum Benedictinum, conſequenter probatum cenſuit monachos ab eo in Angliam miſſos, (vtpotè Monaſterij Gregoriani alumnos) non fuiſſe eiuſdem ſancti Benedicti Regulæ profeſſores. Hæc enim duo inter ſe adeò ſunt annexa, & connexa, vt vnum ex altero pendeat. Conſtito namq; monachos à Beato Gregorio in Angliam miſſos Ordinis fuiſſe ſancti Benedicti, ſtatim ſequitur ipſum Grego-

Monachi Benedictini Angliã ad fid. in conuerſe-tunt.

Digitized by Google

Gregorium eiusdem fuisse instituti, cum fuerit eiusdem Monasterij monachus. Vidit hanc dependentiam, & connexionem Antonius Gallonius in præfato Apologetico, pag. 58. vbi de his agens, sic ait.

Dicimus non diuidendam hanc quæstionem à primaria de qua agitur, sed eamdem esse cum illa, nempe, an sanctus Gregorius fuerit monachus sancti Benedicti, cum satis constet ex Monasterio sancti Gregorij, Augustinum, & alios collegas in Angliam missos, esse progressos. Quamobrem, si sancti Benedicti Gregorius monachus fuit, certum est eiusdem Ordinis suos misisse in Angliam monachos, si non fuit, stultum est dicere missos suos monachos fuisse alterius ordinis, cuius ipse non erat. Tantundem Gallonius, cui & nos hac in parte suffragamur, & assentimur, dicimusq; cardinem huius disputationis in hoc puncto versari. Vtrum monachi à Beato Gregorio in Angliam missi fuerint ordinis sancti Benedicti, vt Ioannes Diaconus testatur: quod si constiterit, eo ipso Gregorius inter monachos Benedictinos erit adnumerandus.

Argumentum Gallonij.

Nititur itaq; Pater Gallonius probare Augustinum, & socios in Angliam missos non fuisse instituti Benedictini, vt sic ab eodem instituto sanctum excludat Gregorium. Argumentatur autem his verbis pag. 59. *Atque primum ex Augustini consultatione de his ad sanctum Gregorium scribentis, & Gregorij ad eum respondentis argumentum accipiamus. Est ista interrogatio Augustini. Quæro Pater Beatissime de Episcopis qualiter cum suis Clericis conuersentur. Respondit ita inter alia ad ista, Gregorius. In Ecclesia Anglorum, quæ auctore Deo, nuper ad fidem perducta est, hanc debes instituere conuersationem, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Hæc ad interrogationem Augustini, præter hæc nihili amplius. Cui, si fuisset ipse Gregorius sancti Benedicti monachus, & eiusdem Patris Regulam Anglicanis Clericis præscribendam in Angliam intulisset, eamq. ab eisdem obseruari voluisset: haud satis sufficienter ab eodem Gregorio responsum videri potuisset, vt tantum seruarentur ab eis, quæ in*

Digitized by Google

in Ecclesia primitiua Apostolorum tempore seruabantur, nimirum, quod omnia inter eos communia essent: sed addi necesse fuisset, vt præter hæc, sancti Benedicti Regulam eisdem seruandam proponeret. sic ratiocinatur Gallonius.

Argumentum hoc, vt ex se patet, nullam habet vim ad probandum Augustinum, & socios, à Beato Gregorio in Angliam missos, non fuisse monachos Benedictinos: siquidem Augustinus non quæsiuit, qualiter monachi in suis Monasterijs conuersari deberent: neq; enim hoc poterat ignorare, qui fuerat Præpositus monasterij sancti Gregorij, & Regulis monasticis apprime imbutus; sed solum quæsiuit de Episcopis, qualiter cum suis Clericis viuere, & conuersari deberent: cui Gregorius respondit, vt supra. Quod si ex eo colligere velis Augustinum, & collegas nō fuisse monachos Benedictinos, quod Beatus Gregorius non proposuit eis regulam sancti Benedicti seruandam: poteris etiam inde colligere nullius Regulæ fuisse, quia nullam peculiarem illis seruandam proposuit: cum tamen constet euidenter fuisse monasterij sancti Gregorij monachos, vt ipse Gregorius sæpius in suis testatur Epistolis, & Gallonius, vbi supra confitetur. Nullam igitur monasticam regulam illis, de quibus consulebat Augustinus, seruandam proposuit Gregorius: quia cum non essent monachi, sed clerici, nulla regula monastica illis iure poterat præscribi. Nec est cur Gallonius clericos transformet in monachos, nec è contra, sed vtrique in suo ordine persistentes, regulas sibi præscriptas obseruent: Clerici, apostolicam regulam à Gregorio in sua responsione propositam: monachi vero, & hanc, & illam quam in professione sui ordinis promiserunt. **Respõsio.**

Arguit secundo Pater Gallonius aduersus eandem Ioannis Diaconi sententiam pag. 105. & sequentibus: sed cum nimis longa, & prolixa sit eius argumentatio, nos eam succinctè, & fideliter ad formam, & modum argumentandi scholasticum redigemus. Venerabilis, inquit, Beda, qui luculenter prosecutus est historiam rerum Ecclesiæ Anglicanæ, cum ab eo frequentissima fiat mentio monachismi in Angliam iugiter propagati, nusquam tamen de sancto Benedicto, vel Benedictinis monachis vllus sermo: signum ergo **Secundi argumen- Gallonij.**

go euidens est, tempore venerabilis Bedæ non fuisse adhuc introductum in Angliam ordinem monasticum, iuxta regulam sancti Benedicti. Præterea sanctus Benedictus Anglus, qui fuit Abbas venerabilis Bedæ, diuersa Monasteria in Italia, & alijs Prouincijs peragrauit, vt monastica disceret instituta, quæ alios docere posset, vt asserit Beda in sermone de eodem sancto Benedicto. Similiter Beatus Bonifacius monachus, & ipse Anglus, si Regulam sancti Benedicti pre manibus habuisset, atque in Anglia nota fuisset, non misisset Cassinum Sturmum discipulum suum monachum Anglicanum, sub regulari obseruantia educatum, ad discendum, quod iam in Patria à pueritia didicisset. sic Gallonius.

Tertium argumentum Gallonii.

Hæc argumenta non solum contra regulam sancti Benedicti, sed etiam contra omnes regulas monasticas, procedunt. Nam venerabilis Beda, sicut non meminit expressè regulæ sancti Benedicti, ita nec asseruit monachos illos, à quibus ordo monasticus in Angliam est introductus, & propagatus, fuisse Regulæ sancti Basilij, Pachomij, vel alterius Sancti peculiariter addictos: cum tamen certo certius constet eos, & monachos fuisse, & alicuius Regulæ professores. Argumenta ergo ista, quæ procedunt ab auctoritate negatiuè, nihil probant. Si autem modus iste argumentandi parti aduersæ placet, & validus esse censetur, facile concludam pro nostra sententia, quod intendo. Argumentabor enim sic. Sanctus Gregorius summa cum laude meminit Regulæ sancti Benedicti, non autem Regulæ sancti Basilij, nec sancti Equitij, fuit ergo monachus sancti Benedicti.

Ad secundum argumentum Gallonij.

Ad illud de sancto Benedicto Anglo respondeo: illum non fuisse monachum Anglicanum, sed Angliam reliquisse antequam monachus fieret: sic enim de illo scribit venerabilis Beda in sermone de eodem sancto. *Derelictis omnibus secutus est Christum, quando spretis eis, quæ in ministerio regali acquisierat, vel acquirere valebat, cum esset nobilis natu, ad Beatorum Apostolorum limina peregrinaturus aduolauit, vt quia rudis adhuc in gente Anglorum fides, & Ecclesiarum institutio florebat, ibi potius perfectam viuendi formam sumeret, vbi per summos Christi Apostolos totius Ecclesiæ caput eminet eximium. Ibi ergo eruditus in Christo, ibi-*

S. Benedictus Anglus.

Venerabilis Beda.

lis

Digitized by Google

lis in partibus attonsus, ibi est monasterialibus imbutus institutis: ibidem totum vitæ suæ cursum erat exacturus, si non Apostolica Domini Papæ prohiberet auctoritas. Hæc Beda. Ex quibus constat floruisse tunc Ecclesiarum institutionem in Anglia, voluisse nihilominus sanctum istum Benedictum ad Beatorum Apostolorum limina peregrinari, vt inde perfectam viuendi formam sumeret, vnde Ecclesiæ Anglicanæ eam se accepisse gloriabantur. Fuisse autem hunc sanctum Benedictum monachum Benedictinum asserunt Matthæus Vuestmonasterienſis, ad annum septingentesimumtertium, & Florentius Vuigornienſis ad annum sexcentesimum sexagesimumquintum. Cumq; prius Biscopus vocaretur; postea ab auctore ordinis, cui se deuouit, Benedicti nomen accepit.

Similiter respondendum est ad illud de sancto Bonifacio, misisse videlicet Cassinum Sturmum discipulum suum, non vt regulam sancti Benedicti, quam in suo Monasterio iampridem fuerat professus, addisceret, sed vt in Monasterio sancti Patris Benedicti, quod tunc, sub Petronacis regimine, magna florebat sanctitate, experiretur, probaretq; modum, & formam, quam prædicti Monasterij monachi, in seruanda sancta regula tenebant. Ita docet Baronius tomo nono anno septingentesimo vigesimoquinto. *Sanctus Bonifatius*, inquit, *vt quam exactissimam monasticam disciplinã Germaniæ populis traderet, ab ipso fonte eam haurire curauit: nimirum ex domo ipsa prima atque primaria sancti Benedicti Abbatis, hoc est, ex Monasterio Cassinate, cuius rei gratia misit illuc Sturmum discipulum suum, vt aliquandiu illic moratus, disceret cultum perfectissimum monasticæ vitæ, quamuis ipse Bonifacius à puero monasticis fuisset imbutus institutis in Anglia.* Hæc Baronius. Videndus Surius tomo quinto, die vigesimaoctaua Septembris, in vita sanctæ Liobæ virginis cap. 10. Similiter sancti Adelardus, Ludgerus, & alij quamplurimi, postquam in Gallia, & Germania multa fuissent erecta Monasteria sub beati Benedicti Regula, Cassinense cœnobium adierunt, vt inde tamquam ex quodam limpidissimo Religionis monasticæ fonte haurirent, non quidem regulam ipsam, quam tenebant, sed optimum modum

Ad tertiũ argumentum de S. Bonifacio

Cassinense Monasterium.

Digitized by Google

dum eam seruandi, qui apud Cassinum vigebat. Argumenta ergo Gallonij non probant monachos à Beato Gregorio in Angliam missos non fuisse Benedictinos, sed nec Regulam eiusdem sancti Patris illis temporibus fuisse Anglis incognitam.

Ostenditur monachos à Beato Gregorio in Angliam missos fuisse Ordinis sancti Benedicti. Caput X.

QVAMVIS ad retinendam Ioannis Diaconi sententiam asserentis monachos à Beato Gregorio in Angliam missos fuisse Ordinis sancti Benedicti, sufficeret ostendisse, ac demonstrasse, argumenta aduersus eam inducta non concludere: nihilominus, vt veritas, quam defendimus magis, ac magis eluceseat, operæ pretium me facturum putaui, si præter dissolutionem argumentorum partis aduersæ, aliquid in medium proferrem ad corroborandam, & fulciendam Ioannis Diaconi, quam nos sequimur, assertionem: fulti, & innixi auctoritate certa antiquorum, & ratione probata, & efficaci, iuxta regulam à Gallonio superius nobis præscriptam.

Venerabilis Beda.

Refert venerabilis Beda lib. 2. Historiæ Anglicanæ, tempore Bonifacij Papę Quarti Romam venisse Mellitum Londoniæ Episcopum, de necessarijs Ecclesiæ Anglicanæ causis tractaturum: atque eumdem Bonifacium Papam Synodum congregasse, de vita, & quiete monachorum ordinaturum: inter quos ipse etiam Mellitus assedit, vt quæq; essent regulariter decreta, sua quoque auctoritate subscribens, confirmaret, atque in Brittaniam rediens, Anglorum Ecclesiæ mandata obseruanda secum deferret. Quod quidem Concilium asserit celebratum anno 8. Imperij Phocæ, indictione decimatertia, die tertio Kalendarum Martiarum. Baronius tomo 8. Annalium pag. 214. Asserit celebratum esse hoc cõcilium Anno Domini sexcentesimo decimo, Pontificatus eiusdem Bonifacij Papæ anno quarto, qui fuit quintus, vel sextus

Digitized by Google

sextus ab obitu sancti Gregorij Magni. Tomo etiam Conciliorum tertio pag. 59. ante initium eiusdem Concilij habentur ea, quæ ex venerabili Beda retulimus: post quæ sequitur decretum ipsius Concilij, tenoris sequentis.

Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissime quidem, zelo magis amaritudinis, quam dilectionis inflammati, asserentes monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo viuunt, Sacerdotalis officij potentia indignos, neque pœnitentiam, neque christianitatem largiri, neque absoluere posse per Sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem: sed omninò falluntur. & infra. *Neque enim Beatus Benedictus Monachorum Præceptor almificus, huius rei aliquo modo fuit interdictor, sed eos sæcularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo.* Refertur hic canon totidem verbis à Gratiano 16. q 1. cap. sunt nonnulli. Decretum Concilij sub Bonifacio IV. Gratianus.

Ex actis huius Concilij, adiunctis ijs, quæ Beda refert; apparet exortam fuisse in Anglia controuersiam inter Clericos sæculares, & Monachos, super ministerijs Ecclesiasticis obeundis, contendentibus clericis, non posse monachos ad Sacerdotalis officij culmen ascendere, neque sacramenta ministrare: cuius rei gratia Mellitus Romam venit. Hanc controuersiam, vt dirimeret Pontifex, Concilium præfatum coadunauit; cui & ipse Mellitus interfuit, vt quæ fuissent decreta subscriberet, ac in Britanniam rediens Anglicanæ Ecclesiæ seruanda deferret. Cum autem in eo Concilio nullum aliud, præter hoc circa monachos, decretum fuerit statutum, seu promulgatum, euidenter apparet Concilium illud, vel solum, vel præcipue propter hanc causam fuisse congregatum. Vnde Beda, vbi supra, tantum asserit, Bonifacium Concilium congregasse, vt de vita, & quiete monachorum disponeret, & ordinaret: qua de re Mellitus in Angliam rediens nullum aliud decretum huius Concilij, præter istud, secum deferre potuit: modo ex huius Concilij actis argumentor sic in confirmationem sententiæ Ioannis Diaconi.

Concilium hoc fuit congregatum solum, vel præcipue propter Ecclesiæ Anglicanæ monachos, quos à muneribus Ecclesiasticis excludere nitebantur clerici. Decretum au-

Digitized by Google

tem Concilij super ea controuersia, tale fuit. Liceat monachis fungi Sacerdotio, & alijs huic officio annexis. Ratio vero à Patribus Concilij adducta, hæc est. Quia Beatus Benedictus monachorum Præceptor almificus, hoc eis non interdixit. Quid obsecro iuuaret hoc decretum monachos Anglicanos, aut quid ponderis haberet ratio illi adiecta, si non fuissent alumni sancti Benedicti? Quid, inquam, ad monachos alterius instituti pertinet, quid sanctus Benedictus suis monachis concesserit, vel interdixerit? Sicut enim monachi Benedictini legibus aliorum ordinum non tenentur, ita nec monachi alterius professionis regulis sancti Benedicti sunt astricti. Ne ergo cogamur dicere Patres illius Concilij, vna cum summo Pontifice, futilem, & ineptam sui decreti reddidisse rationem, fatendum omnino est monachos Anglicanos, ad quos Mellitus hoc decretum obseruandum detulit, regulæ sancti Benedicti fuisse subiectos. Profecto si monachi illi non fuissent Benedictini, quando Mellitus in Angliam reuersus, hoc decretum tam illis, quã clericis Ecclesiæ Anglicanę ex parte Concilij obseruandum proposuit, & intimauit, potuissent clerici illi aduersus tale decretum legitimè se opponere, dicereq; . Cum isti non sint monachi Benedictini, non est pars illis in decreto isto. Quid enim refert vtrum sanctus Benedictus concesserit, aut non interdixerit suis monachis sacerdotium, cum isti ad ipsius gregem non pertineant? Quis modo non rideret, sed potius irrideret, si cuipiam interroganti. An liceat religiosis sancti Francisci de Obseruantia redditus, & prouentus possidere, responderet alter, licet: & rationem dicti sui reddens subiungeret: Quia Beatus Benedictus hoc illis non interdixit? Exibilanda profecto ab omnibus ratio ista foret, cum illi religiosi sancti Benedicti regulis non subdantur. Cum igitur summus Pontifex, & Patres Concilij decernunt, licere monachis fungi sacerdotio, & cæteris muneribus Ecclesiasticis, quia hoc eis non interdixit Beatus Benedictus monachorum Pater almificus: satis superq; declarant monachos illos Ordinis sancti Benedicti extitisse. Nec possumus dicere Patres Concilij ignorasse, cuius instituti essent monachi Anglicanæ Ecclesiæ, maximè cum inter illos sederet

Digitized by Google

ret Mellitus eiusdem Ecclesiæ monachus, & Episcopus. Cū ergo à Patribus Concilij sanctus Benedictus illorum monachorum Præceptor appelletur, sequitur ex communi huius Concilij Patrum consensu, monachos Ecclesiæ Anglicanæ fuisse Benedictinos, rationemq; huius decreti legitimam, & optimam esse. Exinde vero necessario infertur sanctum Gregorium fuisse monachum Benedictinum, siquidem monachi illi Anglicani eius discipuli erant, ipsiusq; Monasterij alumni, vt plurimis in locis testatur idem Gregorius, & fatetur Gallonius pag. 58.

Proponitur, & soluitur obiectio quædam Gallonij aduersus ea, quæ cap. præcedenti sunt dicta.
Caput XI.

PATER Gallonius pag. 84. sui Apologetici, vt ea, quæ præcedenti capite tradita sunt eneruet, ait: desiderari in canone à nobis citato quædam verba, quæ apud Iuonem Carnotensem, & quosdam alios decretorum collectores, in eo leguntur; quæ si huic decreto inserantur, robur, & vim argumenti nostri euacuant. Verba vero inserenda dicit esse ista. *Nam si hac ex causa veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ sedis compar Beatus Gregorius monastico cultu pollens, ad summum nullatenus apicem conscenderet; Augustinus quoque eiusdem sanctissimi Gregorij discipulus Anglorum prædicator egregius, ac Pannoniensis Martinus Beatissimus, cuius sanctitatis famam longe, lateq. diffusam totus personat mundus, aliq. quamplurimi sanctissimi, pretiosissimo monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo Pontificali subarrarentur, sed quia monachi fuerunt prædictis vti prohiberentur. Neque enim Benedictus monachorum Præceptor almificus huiusmodi rei aliquo modo fuit interdictor.*

Hæc verba si legantur in isto canone (vt vult Gallonius) non poterimus ex eo deducere, quod intendimus, videlicet Gregorium, Augustinum, & socios fuisse monachos sancti

Digitized by Google

Benedicti, cum ibi nominetur sanctus Martinus multo antiquior Benedicto, quique monachus eius esse nequiuit. Sicut ergo ex isto canone probare non possumus, sanctum Martinum fuisse monachum Benedictinum, ita nec Gregorium, Augustinum, & socios in Angliam missos. Et quemadmodum ratio huic decreto apposita nullo modo probat sanctum Martinum regulam sancti Benedicti obseruasse, ita ex ea probari nequit Gregorium, & Augustinum fuisse eiusdem instituti professores.

Ad obiectionem responsio.

Ad hoc argumentum dico primum, nihil efficere contra nos, qui decretum illud allegauimus, sicut habetur in tertio tomo Conciliorum, & in Decreto 16. q. 1. quibus in locis Gregorius, Augustinus, & Martinus nullatenus nominantur. Sed admissa lectione, quam prætendit Gallonius, respondeo: nullo modo minui per illam, aut labefactari discursum, & argumentationem à nobis superius factam. Nos enim ex vi, & ratione huius decreti non intendimus directè, & per se probare tres illos sanctissimos Pontifices in eo nominatos fuisse monachos Benedictinos: sed tantum Ecclesiæ Anglicanę monachos ad quos illud dirigebatur decretum, & propter quos, & eorum quietem fuerat statutum, & ordinatum, fuisse instituti Benedictini, propter rationem à nobis superius allatam. Et quamuis ex ratione huius decreti non probetur sanctum Martinum Turonensem fuisse monachum Benedictinum, quia inter ipsum, & monachos Anglicanos nulla erat connexio, & dependentia: probatur tamen ex ea sanctum Gregorium, & Augustinum, Mellitum & socios, Anglicanæ Ecclesiæ monachos; fuisse Benedictinos, cum constet eos omnes eiusdem Monasterij, & Regulæ fuisse alumnos.

S. Martinus Bracharensis Episcopus

Respondetur præterea, negando Martinum, de quo loquitur decretum Concilij fuisse Episcopum Turonensem (vt arbitratur Gallonius) sed Martinum Archiepiscopum Bracharensem, qui floruit temporibus Pelagij Primi, & Ioannis Tertij. interfuitq; primo Bracharensi Concilio, & præfuit secundo, vt habetur tomo tertio Conciliorum.

Greg. Turonensis.

Fuisse autem Martinum hunc Pannonienſem, testantur multi, qui de ipso scribunt. In primis Gregorius Turonensis libro

bro quinto Historiæ Francorum cap. 37. sic ait. *Hoc eodem tempore sanctus Martinus Gallicienſis Epiſcopus obijt, magnum populo illi faciente plãctum. Hic Pannoniæ ortus fuit, & exinde ad viſitanda loca ſancta in Orientem properans, in tantum ſe litteris imbuit, vt nulli ſecundus ſuis temporibus haberetur; & exinde in Galliciam venit, vbi cum Beati Martini reliquiæ portarentur, Epiſcopus ordinatur. In quo Sacerdotio impletis plus minus triginta annis, plenus virtutibus migrauit ad Dominum.*

Venantius quoque Fortunatus Pictauienſis Epiſcopus, qui tempore eiuſdem Martini floruit, ſic de eo cecinit. Venãtius Fortunatus.

Martino ſeruata nouo, Gallicia plaude,
Sortis Apoſtolicæ, vir tuus iſte fuit.
Qui virtute Petrum præbet tibi, dogmate Paulum,
Hinc Iacobi tribuens, inde Ioannis opem,
Pannoniæ, vt perhibent, veniens è parte Quiritum,
Eſt magis effectus Gallica vera ſalus.

Aymoinus etiam libro tertio Historiæ Francorum cap. 38. *Eatempeſtate*, inquit, *Beatus Martinus Gallicienſis migrauit ad Dominum. Hic Pannoniæ oriundus, loca ſacra in Oriente circumiens, abunde ſe illic litteris imbuit.* Sanctus vero Isidorus libro de viris illustribus cap. 22. ita de illo ſcribit. *Martinus Dumienſis Monaſterij ſanctiſſimus Pontifex, ex Orientis partibus nauigans, Galliciam venit: ibiq. vniuerſis ab Ariana impietate ad fidem catholicam conuerſis, Sueuorum populis regulam fidei, & religionis conſtituit, Eccleſias informauit, Monaſteria condidit, copioſaq. præcepta piæ inſtitutionis compoſuit, &c.* Ioannes Pereſius Segobienſis Epiſcopus, qui librum Isidori de viris illustribus suis ſcholijs illuſtrauit, in ſcholio huius capitis duo carmina ab eodem ſancto Martino de ſe ipſo compoſita adducit, videlicet. Aymoinus. S. Isidorus.

Pannonijs genitus, tranſcendens æquora vaſta
Gallecia in gremium diuinis nutibus actus.

Denique Baronius tomo ſeptimo, Anno quingenteſimo octogeſimotertio, de ipſo hæc ſcribit. *Sicut nomen, & patriam, ita & ſanctitatem Martini Turonenſis adeptus eſt;* & infra. *Dies autem quo tantus vir ex hac vita ad cœlum* Baronius.

migrauit, celebri solemnitate anniuersario cultu refulget ad decimumtertium Kalendas Aprilis. Quo in loco tenet eundem esse Martinum Gallicienſem, Dumienſem, & Bracharenſem: quem in Martyrologio ad diem vigesimamprimam Iunij in tres Martinos diuiserat. Vocatur autem Gallicienſis eo, quod Prouinciam illam ad fidem catholicam, ab Ariana impietate reuocauit. Dumienſis vero, quia Abbas eius Monasterij extitit: Bracharenſis denique, quia Archiepiſcopus illius ſedis effectus, ibi diem clauſit extremum. Agunt de eo Sigebertus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cap. 19. Trithemius lib. 2. de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti cap. 13. Necnon & vniuerſi ferè ſcriptores, qui res Hiſpanicas proſecuti ſunt.

Ex his omnibus conſtat ſanctum Martinum, de quo agimus, virum fuiſſe ſanctiſſimum, doctiſſimum, totiq; chriſtiano orbi notiſſimum. Quibus ſic conſtitutis, dicimus. Quando ſacrum Concilium in ſuo illo decreto, poſt Gregorium, & Auguſtinum, ſanctum Martinum nominauit, non de Beato Martino Turonenſi, ſed de hoc ſecundo Martino, quem Venantius nouum Martinum appellat, qui fuit Pannonienſis, & Epiſcopus Gallicienſis, ſeu Bracharenſis, loquutum fuiſſe. Hoc autem, ita eſſe ex ipſius decreti contextu, atque ratione ſatis euidenter apparet. Nam quorſum, obſecro, poſt nominatum ſanctum Martinum Turonenſem ſubnecterent Patres Concilij verba illa: Neque enim Benedictus monachorum Præceptor almificus, huius rei aliquo modo fuit interdictor? Numquid ſanctus Martinus Turonenſis, qui multis annis Beatum præceſſerat Benedictum, poterat aliquo modo regulis, aut legibus Benedicti ligari, vel abſolui? Verum quia Concilium adduxerat in exemplũ, & confirmationem ſui Statuti tres illos ſanctos Pontifices, Gregorium, Auguſtinum, & Martinum, de quo agimus, qui omnes ex ordine ſancti Benedicti ad Pontificalem fuerant dignitatem aſſumpti: vt doceret nihil propterea fuiſſe factum, ſeu attentatum contra regulam, & inſtitutum, quod profeſſi fuerant, optime conſequenterq; ſubiunxit: Neque enim Benedictus monachorum Pater almificus huiuſmodi rei fuit interdictor. Maneat ergo firmum, & fixum Gregorium,

Digitized by Google

num, Augustinum, & Martinum in præfato decreto nominatos, necnon & monachos Anglicanos, propter quos decretum illud fuit promulgatum, Benedictini ordinis extitisse, ac perfide liberè, & licitè potuisse vniuersa munia Ecclesiastica obire: quia Benedictus eorum Præceptor almificus hoc eis non interdixit.

Proponitur grauissimum sancti Aldelmi Episcopi testimonium in fauorem nostræ sententiæ. Caput XII.

VT ea, quæ duobus præcedentibus capitibus asseruimus, monachos scilicet Anglicanæ Ecclesiæ fuisse instituti Benedictini, magis, ac magis corroborentur, confirmentur, solidenturq;; ecce producimus in medium testem omni exceptione maiorem, sanctum Aldelmum Episcopum, cuius memoriam recolit Ecclesia catholica in suo Martyrologio die 25. Maij, de quo agit venerabilis Beda lib. 5. Historiæ Anglicanæ cap. 19. Fuit sanctus Aldelmus Anglus nobilissimus, regia stirpe natus: adolescens vitam monasticam in Monasterio Moldunensi est amplexus, inde Presbyter ordinatus, & Abbas eiusdem Monasterij constitutus, tandem Episcopus Schireburnensis creatus, migrauit ad Dominum anno septingentesimonono. Hæc ex Beda, qui asserit eum fuisse virum vndequaque doctissimum, scripsisseq; librum eximium de laudibus virginitatis, in quo promiscuè celebrat, & laudat plerosq; sanctos tam viros, quam fœminas: quem librum ad exemplum sedulij geminato opere, versibus exametris, & prosa composuit, cuius quidem libri sæpius meminit Baronius in notis ad Martyrologium. Floruit autem hic sanctissimus, ac doctissimus Pater eo sæculo, quo Augustinus, Mellitus, & alij monachi à Beato Gregorio missi, Christi fidem in Anglia disseminarunt, atque monachismum introduxerunt, potuitq; cognoscere aliquos ex discipulis sancti Gregorij. Fuit ergo sanctus Aldelmus oculatus testis eorum, quæ de monachatu monachorum Anglicanæ S. Aldelmus.

canæ Ecclesiæ sub regula sancti Benedicti scribit. Cumq; in eo tot qualitates, & conditiones optimi testis concurrant, minime dubito, testem omni exceptione maiorem, eum appellare. Primum ratione professionis, quia monachus, & de monachis agens: deinde ratione dignitatis, quia Abbas, & Episcopus: tertio ratione probitatis, quia sanctus ab vniuersali Ecclesia receptus: quarto ratione eruditionis, quia vndequaque doctissimus, vt ait Beda: quinto ratione patriæ originis, quia Britannus, & de rebus Britanniæ scribens: sexto denique ratione temporis, quia quæ suo sæculo contigerunt litteris mandauit, ad posterosq; transmisit, ita vt dicere valeat. Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur. Cuius assertio sufficere debet ad plenam nostræ sententiæ probationem.

S. Benedicti Encomium.

Hic itaq; talis, ac tantus vir, in eo libro quem scripsit de laudibus virginitatis, siue de laudibus virginum, agens de Beato Patre Benedicto, mirificè eum extollit, multisq; encomijs ornat; sed quod ad rem præsentem attinet, sic inter alia de ipso canit.

Primus, qui statuit nostræ certamina vitæ
Qualiter optatam teneant cœnobia normam,
Quoque modo properet directo tramite sanctus
Ad superum scandens cælorum culmina cultor.

Et infra.

Huius alumnorum numero glomerantur ouantes,
Quos gerit in gremio fœcunda Britannia ciues,
A quo iam nobis baptismi gratia fluxit,
Atque magistrorum veneranda caterua cucurrit.

Citauit hos versus cum pluribus alijs ante hos sexcentos annos Aymoinus Florlacensis in quodam sermone habito in festo sancti Benedicti, quem reperies in bibliotheca Floriacensi opera Ioānis à Bosco Celestini edita Lugduni apud Horatium Cardon, Anno Domini 1605. pag. 293. Extant præterea ex membranis manuscriptis Monasterij sāti Galli in Eluetia desumpti prędicti versus, tomo quinto antiquæ lectionis Henrici Canisij in editione Lugdunensi pag. 292. in editione Ingolstadiensi pag. 822.

Duo sunt tituli, quibus Beatus Aldelmus sanctissimum Patrem

Patrem Benedictum exornat, & laudat. Primus est, monastica institutio, quod nempe ipse fuerit primus, qui per sui ordinis monachos, normam monasticæ religionis in Angliam inuexerit: erat enim, vt dictum est, Beatus Aldelmus Anglicanæ Ecclesiæ monachus, & loquitur in his versibus de se, & de alijs eiusdem instituti religiosis, quos asserit à Beato Benedicto accepisse: qualiter optatam teneant cœnobia normam, eumdemq; extitisse: qui primo statuit nostræ certamina vitæ. Videbat ipse Monasteria Anglicana à sanctis primis monachis Beati Gregorij discipulis nouiter erecta, eaq; sub Regula sancti Benedicti constituta esse cernebat, inter quæ vnum erat cœnobium Moldunienſe, vbi ipse sanctus Aldelmus monachum agebat. De his ergo cœnobijs, quæ tunc in Anglia sanctitate, ac monastica disciplina fulgebant, agens sanctus Aldelmus, asserit Beatum Benedictum auctorem, & institutorem vitæ ipsorum fuisse, dum canit.

Primus, qui statuit nostræ certamina vitæ,
Qualiter optatam teneant cœnobia normam.

Secundo laudibus effert Beatum Benedictum, quod ab ipso baptismi gratiam receperit Britannia, quodq; magistri, qui eam ad fidem catholicam perduxerunt, fuerint huius Beatissimi Patris alumni. Id asserit expresse quatuor vltimis versibus à nobis superius adductis, videlicet.

Huius alumnorum numero glomeramur ouantes &c.

Hi autem, qui Britanniam, seu Angliam ad Christi fidem perduxerunt, & à quibus ciues Britanni baptismi gratiam susceperunt, fuere Augustinus, Mellitus, alijq; monachi à Beato Gregorio ex suo Monasterio illuc directi, atque trãsmissi, vt idem Gregorius sæpius testatur, & apud omnes est in confesso. Eos cum dicat sanctus Aldelmus, alumnos fuisse Beati Benedicti, euidenter docet ipsius extitisse ordinis, & instituti. Cumq; rursus asserat accepisse Britannos à Beato Benedicto baptismi gratiam, atque magistrorum venerandam cateruam: hoc enim apertè dicit duobus vltimis versibus, scilicet.

Augustinus, & socij fuerũt monachi Benedicti ni.

A quo iam nobis baptismi gratia fluxit,
Atque magistrorum veneranda caterua cucurrit.

Constan-

Digitized by Google

Constanter affirmat Augustinum, Mellitum, & socios fuisse monachos sancti Benedicti, per quos tamquam per discipulos, & alumnos, Britannis gratia baptismi à Beato fluxit Benedicto, atque ab eodem, per sanctum Gregorium eiusdem instituti monachum, venerandum accepit tam fidei, quàm monasticæ religionis magistrorum cateruam. Hæc autem omnia, ideo refert sanctus Aldelmus in Beati Benedicti laudem, & honorem, quia quæ filiorum sunt in gloriam Patris redundare noscuntur.

Præterea sanctus Aldelmus in eodem libro de laudibus virginum, agit de sancto Basilio, & eius Regula, sed breuiter admodum; sancti vero Equitij, nec meminit quidem. Qui ergo fieri potuit, vt monachi Anglicani illius temporis fuerint instituti sancti Basilij, aut sancti Equitij? Postremo traditio perpetua Ecclesiæ Anglicanæ (cui in his, quæ ad ipsam pertinent, videtur omninò standum) à priscis illis temporibus vsque ad nos deriuata, incunctanter tenet, Anglo Saxones à monachis Benedictinis ad Christum conuersos. Huic autem traditioni, nullum scriptorem Anglum, neque exteræ nationis, reperi contradicentem ante Baronium, qui primus de monachatu sancti Gregorij sententiam toti antiquitati repugnantem asseruit.

Errat ergo Pater Gallonius, & Iongius à veritate discedit, dum asserit Ioannem Diaconum vnum, & primum auctorem, inuentorem, & assertorem monachatus sancti Gregorij, & discipulorum eius sub regula sancti Benedicti, extitisse. Sic enim ait pag. 79. sui Apologetici. *Fuit vnus, & primus Ioannes Diaconus, qui ita ab antiquitate resilijt;* & iterum pag. 104. *Fuit, inquit, hoc argumentum Ioannis Diaconi, qui primus, post annos fermè trecentos, auctor inuentus est, & assertor monachatus sancti Gregorij sub Regula sancti Benedicti.* Hoc inquam falsum est, nam Ioannes sequutus est sanctum Aldelmum, & Concilium sub Bonifacio congregatum, de quo superius actum est. Sed liceat, obsecro, mihi dicere. Fuit vnus & primus Baronius, qui ita ab antiquitate resilijt, & post annos fermè mille auctor inuentus est, & assertor monachatus sancti Gregorij sub Regula sancti Equitij, sibi & omnibus hactenus incognita.

Errat

Errat præterea Gallonius dum pag. 107. tamquam omnibus exploratum asserit, nec viuente Beda, nec Bonifacio, adhuc in Angliam sancti Benedicti Regulam allatam, neque à monachis receptam; sed Ioannes, inquit, Diaconus, falsa ductus coniectura, id primus asseruit, & alij ipsum incautè sequentes, eodem cum ipso errore lapsi, affirmarunt. Incautè profecto loquutus est Gallonius: ex his enim, quæ superius dicta sunt liquido constat, ante tempora, Ioannis Diaconi, Bonifacij, & Bedæ fuisse cognitam, & seruatam à monachis Regulam sancti Benedicti in Anglia, quod sanctus Aldelmus multo antiquior Ioanne expressè asserit, & ante ipsum Bonifacius Papa, & Patres in Synodo superius allegata, congregati, qui floruerunt exordio nascentis Ecclesiæ Anglicanæ, idem docuerunt. Post Ioannem etiam multi sanctitate, & doctrina illustres scriptores id ipsum affirmarunt: inter quos (vt cæteros omittamus) fuit sanctus Thomas opusculo 17. cap. 16. quem non credo incautè loquutum fuisse, sed veritatem ipsam expressisse, cum Baronius nullum pro se proferre potuerit antiquum scriptorem, qui ipsius suffragetur opinioni. Gregorius enim, quem sibi fauere gloriatur, nihil vmquam dixit, quod ipsius sententiam iuuare, aut confirmare possit. S. Thomas.

Errat denique tertio dum pag. 78. de sententia Ioannis Diaconi loquens, ita pronuntiat. *Proscribenda est Ioannis Diaconi primi vestræ sententiæ auctoris assertio, quæ nullas habeat ab antiquitate traduces.* Hoc, inquam, non satis cautè dictum est: nam sententia Ioannis, optimè ab antiquitate traducitur, ex Concilio videlicet Bonifacij, & attestatione sancti Aldelmi, qui ducentis annis Ioannem Diaconũ præcessit. Proscribenda potius noua contraria sententia, quæ nullas habet ab antiquitate traduces. Retinenda verò inueterata illa Ioannis Diaconi de monachatu sancti Gregorij sub Beati Benedicti Regula, in quam copiosè originarij fontes influunt antiquitatis.

Quod autem opinio de monachatu sancti Gregorij sub diuersa Regula à Benedictina, noua omninò sit, & nullum habeat stabile, & firmum antiquitatis fundamentum, non solum ex eo apparet, quod nec Baronius, nec Gallonius in

sui

sui fauorem aliquem antiquorum scriptorum adducere potuerunt, verum etiam ex eo, quod nec ipsi inter se conueniunt. Hæc autem discordia, euidens signum est nouitatis, ne dicam falsitatis: quæ cum non habeat certum, ac tutum locum, seu Asylum, quo se recipere, & tueri, nec firmum, solum super quod pedes suos stabilire possit, cogit vnumquemque ipsorum in viam suam declinare: inde est, quod alter Equitianum, alter vero Basilianum monachum Gregorium facit.

Claudamus tandem caput istud quadam argumentatione ex verbis ipsius Gallonij pag. 78. desumpta. *Habet*, inquit, *nouitas illa crimen, vel criminis suspicionem non vitat, quæ à nulla deducitur antiquitate: laudanda vero, & amplectenda, fouenda, atque arctius retinenda, si à vetustatis fonte deriuari intelligatur, quæ non nouitas adinuenta, sed antiquitas restituta sit potius appellanda.* Optimè profecto dicit, sed pro nobis, contra se, nolens sententiam profert. Si enim nouitas illa, quæ à nulla deducitur antiquitate, habet crimen, vel criminis suspicionem non vitat, profecto assertio ipsius de monachatu sancti Gregorij sub Regula sancti Equitij, vel sancti Basilij, quæ à nulla deducitur antiquitate, crimen habet, vel criminis suspicionem non vitat. Assertio verò Ioannis Diaconi de monachatu sancti Gregorij sub Regula sancti Benedicti, laudanda, amplectenda, fouenda, atque arctius retinenda, cum à vetustatis fonte deriuata ex dictis euidenter appareat.

Proponuntur aliæ rationes pro monachatu sancti Gregorij sub Regula sancti Benedicti. Caput XIII.

QVONIAM Baronius, & Gallonius suis scriptis persuadere conati sunt nouam hãc ipsorum de monachatu sancti Gregorij sub Regula sancti Equitij, vel sancti Basilij assertionem, ex eiusdem Beati Gregorij scriptis desumptisse, cum tamen apud Gregorium, nec tenuè quidem vestigium inueniri possit, ex quo saltem

Digitized by Google

saltem apparenter colligi liceat, ipsum seu Valentium Abbatem suum sub Regula sancti Equitij, vel sancti Basilij aliquando militasse, vt à nobis superius satis, superq; ostensum est: ideo operæ pretium me facturum existimo, si lectori proponam nonnulla, quæ ex gestis, & scriptis ipsius sancti Gregorij, in fauorem nostræ sententiæ videntur deduci posse: vt exinde appareat, Gregorium non contrariæ, sed nostræ sententiæ fautorem esse, ac Patronum.

Obseruandum autem in primis (quod obseruatione dignissimum censeo) quosuis cuiuscumque instituti monachos, tenacissimos esse gloriæ, & honoris Patris, & institutoris sui: vnde quoties se offert occasio eum miris laudibus ornant, ipsiusq; actiones, & gesta laudare, extollere, ac magnificare non desistunt. Huic nostræ obseruationi adstipulatur Baronius tomo octauo, Anno sexcentesimo sexagesimoquarto, dicens. Videmus exemplis, quosuis etiam regularis disciplinæ solutissimos monachos, sui ipsorum institutoris memoriæ tenacissimos esse, vt pro ea conseruanda parati sint vitam quoque profundere. Addimus nos esse etiam cupidissimos dilatationis, & propagationis ordinis sui. Nec enim religiosi vnius Ordinis Monasteria ædificant, nisi pro se ipsis, vnusquisque propria sui Ordinis curat: priuilegia, indulta, gratias, fauores, & exemptiones pro maiori gloria, amplitudine, & decore sui ordinis quærunt: cæteros vero ordines, tamquam ad se non pertinentes, negligunt.

His politis, tamquam per se notis, & manifestis, videamus cui Ordini fauerit Gregorius, quem laudauerit, cuius propagationem curauerit, vt inde elicere valeamus, cuius Ordinis ipse fuerit. Et vt à Patre, & institutore Ordinis incipiamus: Consueuerunt, qui aliorum Sanctorum gesta narrant, in Patroni sui laudibus non esse contracti, sed illius encomia vberius, ac plenius prosequi, vt & suum filialem affectum, & pietatem in optimum Patrem, & magistrum ostendant, necnon deuotionem, & amorem omnium filiorum eius in communem parentem acuant, & accendant. Hoc autem in spiritualis sui parentis illustribus exemplis recensendis, in primis Gregorium facere oportuit. Cum enim

enim septem Monasteria ædificasset, sex in Sicilia, septimum in Vrbe, in quibus plurimi diuinis obsequijs mancipati erant: quid illis ad vitam spiritualem, & monasticam disciplinam diligenter confectandam, vtilius præstare potuisset, quam si illius vitam, exempla, & mores mentis oculis perspicienda eis proposuisset, cuius regulam, & monastica instituta, & illis seruanda tradidisset, & ipse postmodum exequenda suscepisset? Quamuis enim omnia Sanctorum exempla miræ virtutis sint, ac energiæ ad vitam, & mores optimè formandos, & componendos: tamen maiorem quamdam vim, & efficaciam habent illa, quæ à proprio spirituali Patre filijs tradita esse noscuntur: dum illis ostenditur ipsum per illam vitæ viam præcessisse, ad quam ingrediendam alios verbis, & scriptis instigauit, & erudiuit. Qualiter autem, & in cuius personam istud Gregorius præstiterit, modo videndum est.

Notum omnibus est, ac manifestum, Beatum Gregorium scripsisse in libris Dialogi Patrum Italicorum gesta, ad instantiam, & petitionem monachorum suorum: vt ipse scribit Maximiano Episcopo Syracusano Epistola 30. lib. 2. dicens. *Fratres mei, qui mecum familiariter viuunt, omni modo me compellunt, aliqua de miraculis Patrum, quæ in Italia facta audiuimus, sub breuitate scribere.* Inter cæteros autem Patres lib. 1. Dialog. cap. 4. scribit de sancto Equitio: cuius cum Petrus Beati Gregorij collocutor, cuperet vitam, & mores plenius nosse, idque à Gregorio precibus postulasset, huiusmodi ab eo responsum accepit. *Ne vitæ eius cognitione frauderis, bene hanc Reuerendissimus vir Albinus Reatinæ Antistes Ecclesiæ cognouit; & adhuc supersunt multi, qui scire potuerunt.*

Sanctus Equitius.

Perpendat mecum, obsecro, Lector, quare Gregorius ipse, Petri desiderio minimè satisfecit. Cur ad Albinum Reatinum Episcopum ipsum ablegauit? Cur, inquam, Gregorius gesta, & acta sancti Equitij non reseruit, neque suis scriptis posteritati legenda, & imitanda proposuit? Certe nihil aliud possumus aptius respondere, quam non illa nouisse, & ideo non potuisse scribere, quod ignorabat: propterea; Petrum ad Albinum Episcopum, qui ea probe cognouerat,

Digitized by Google

gnouerat, remisisse. Sed dico, nonne Valentius sancti Gregorij Abbas, fuit Beati Equitij discipulus? Qui ergo fieri potuit, vt gesta Patris, & institutoris sanctissimi, Gregorio discipulo suo non referauerit? Neque ipse Gregorius discere curauerit? Vnum tantum miraculum à Beato Equitio patratum narrauit Valentius Gregorio, reliqua pauca, quæ de ipso scribit, ab alijs se accepisse testatur. Profecto si amborum Pater, & magister fuisset sanctus Equitius, oportebat eos in primis optime nosse gesta, & exempla præclara sanctissimi sui Parentis, & institutoris, eaq; scriptis consignata, monachis (propter quos Dialogorum libros scribebat Gregorius) tradere, vt ad illius normam & exemplar vitam, moresq; suos informare studuissent. Cum igitur, nec Valentius Gregorio, nec Gregorius suis monachis, acta sancti Equitij propalare curauerint; sed cupientes illa scire, ad Albinum Reatinæ Ecclesiæ antistitem, remiserint: euidens est neutrum ipsorum fuisse Beati Equitij discipulum, nec tamquam eorum instituti auctorem ab eis habitum, & reputatum.

Sancti vero Benedicti, qualis ab ineunte ætate fuerit vita, qualis in progressu, qualem denique, quamq; admirandum habuerit exitum, dulcissima facundia vbertim promulgauit, atque prosequutus est: integrumq; librum in ea recensenda consumpsit. Nec quidquam valet responsio Gallonij pag. 104. dicentis, ideo Gregorium pauca de sancto Equitio narrasse, quia paucos de illo habuit relatores: cum enim ipse Gregorius asserat, Albinum Reatinæ Ecclesiæ Præsulem, vitam sancti Equitij bene cognitam, ac perspectam habuisse: poterat facilimo negotio illum ad se vocare, vel per litteras cum illo agere, vt descriptam diligenter sancti Equitij vitam, ad se transmitteret: quemadmodum in prænotata Epistola scripsit Maximiano Syracusano Episcopo multo longius dissito, vt quæ de miraculis Patrum Italicorum, & peculiariter de Donno Nonnoso, nosset, sibi sub celeritate transmittere curaret. Cur non ita scripsit Albino Reatino antistiti pro cognoscendis B. Equitij gestis? Quia non fuit illi animus, acta illius scribendi: ideoq; neglexit illa conquirere, & inuestigare. S. Benedictus.

Præterea

Præterea, intentio Gregorij in describendis Dialogorum libris, fuit (vt ipse in prælegata Epistola ad Maximianum testatur) aliqua de miraculis Patrum Italicorum sub breuitate scribere. Hanc autem breuitatem in Equitio, & alijs Patribus obseruauit. Cum autem ad describendas res mirandas sancti Benedicti ventum est, intentionem mutauit, vitamq; illius diffuse, toto secundo libro Dialogi, prosequutus est, cum sancto Equitio, vnum tantum ex duodecim capitulis primi libri attribuerit; vt vel hinc appareat, Gregorium filiali amore, quo in parentem, & institutorem suum flagrabat Benedictum, impulsum, vitam ipsius, non stricte, neque contracte, vt aliorum Sanctorum, sed late, ac diffuse descripsisse. Econtra vero, cum tam facile potuerit vitam sancti Equitij ad plenum cognoscere, & euulgare, nec tamen voluerit; apparet defuisse animum Gregorio illam cognoscendi, & euulgandi: ac per consequens non agnouisse, nec habuisse sanctum Equitium tamquam parentem, & auctorem Ordinis, & instituti, sub quo Gregorius ipse militabat.

Regula S. Benedicti.

Vlterius, sanctus Gregorius nusquam meminit Regulæ sancti Equitij: cuius in primis mentionem facere oportebat, vt discipulis tanti Patris nota esset institutio, & norma viuendi ab ipso tradita. Regulam vero sancti Benedicti summè laudauit, commendauitq; lib. 2. Dialog. cap. 36. dicens. *Scripsit monachorum Regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam, &c.* Et super caput nonum libri primi Regum pag. 153. iuxta Romanam editionem, vocat sanctum Benedictum, arctissimæ vitæ magistrum optimum, & summæ veritatis discipulum eruditum: adducitq; ibidem, locum quemdam ex cap. 58. Regulæ eiusdem sancti desumptum. Certè (nisi mea me fallit memoria) neminem vnquam Gregorius in suis scriptis magistrum appellauit, præter vnum Benedictum hoc in loco: cumq; occasione Regulæ ipsius allegandæ, hoc illum titulo decorauerit, apertè satis insinuauit, se illius fuisse discipulum.

Denique, solam sancti Benedicti Regulam in Synodo approbauit, & confirmauit, ac per diuersas Italiæ partes, & vbicunque latinæ litteræ legerentur, præcepit, vt diligentissimè

Digitized by Google

ctissimè obseruarent, quicumque ad conuersionis gratiam accessuri essent, vsque in finem mundi. Hanc autem approbationem, & confirmationem factam fuisse, anno Domini quingentesimo nonagesimoquinto, refert Baronius tom. 8. pag. 91. Sequenti vero anno sanctus Gregorius monachos discipulos suos in Angliam destinauit.

Ex quibus manifeste apparet, sanctum Gregorium, eo tempore voluisse Apostolica auctoritate Diui Benedicti regulam communire, & roborare, quo sanctus Augustinus, & alij monachi ipsius collegæ, in Angliam, ad disseminandam fidem catholicam in illis regionibus, erant profecturi: quatenus, vna cum religione christiana, monasticam disciplinam, iuxta Regulæ sanctissimi Patris, & magistri sui Benedicti præscriptum, & normam, illuc introducerent. Quod & fecerunt: nec enim vllo modo credendum est, sancti Gregorij discipulos, diuersam regulam, & modum viuendi nouiter ad conuersionem venientibus tradidisse, ab ea, quam ipsi didicerant, & Gregorius eorum Pater, & magister laudauerat, approbauerat, atque ab vniuersis seruari præceperat.

Ex dictis planè constat Beatum Gregorium filiali quodam, ac peculiari amore, & dilectione, erga sanctum Benedictum, & eius Ordinem affectum fuisse: institutum, ac normam viuendi ab eo traditam eximiè commendasse, Apostolica auctoritate confirmasse, atque ab vniuersis, qui ad conuersionem venirent seruari voluisse: ac perinde (iuxta obseruationes superius positas) monachum Benedictinum fuisse. Nec poterit Pater Gallonius hunc nostrum diseursum reprehendere, seu inficiari, cum ipse pag. 45. sui Apologetici similiter ratiocinetur. Postquam enim retulit laudes, & encomia, quibus Cardinalis Baronius sanctum Benedictum, eiusq; ordinem pleriſque in locis suorum Annalium decorauit, atque ornauit, ista subnectit. *Nisi scirem Baronium fuisse nostræ Congregationis Presbyterum, asserrem fuisse Benedictinum, cum his, & alijs præclaris elogijs, Benedictinos, cum datur occasio, prædicet.* Optima profecto, & apposita ad rem, de qua agimus argumentatio, iuxta quam, ex ipsius Gallonij sententia, concludo, Beatum

Digitized by Google

Gregorium monachum fuisse Benedictinum, non autem Equitianum: siquidem summis laudibus, & elogijs plurimis, Diuum Benedictum, Regulam, & institutum ipsius extollit, prædicat, commendatq; : Regulæ vero sancti Equitij nusquam meminit, atque ita omnino tenendum esse, censeo.

Candidum Lectorem, obsecro, vt quæ à nobis in hoc tractatu scripta sunt, primum attente, ac simpliciter legat, omni priuato affectu semoto, postea vero de controuersia ipsa libere sententiam proferat. Ego enim paratissimus sum, non solum sacrosanctæ Ecclesiæ certo, & infallibili iudicio; verum etiam cuiuscumque melius sentientis, & iudicantis, arbitrio, me submittere, sicuti ex nunc submitto. Vale.

FINIS.

Imprimatur.

Alexander Boschius Vicarius Generalis.

M. Cornelius Tirobosscus Prædicatorum Ordinis Curiæ Theologus.

NEAPOLI,
Ex Typographia Tarquinij Longhi. MDCXVI.

Digitized by Google

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Quæ in hoc volumine continentur.

Abbatum Cassinensium series, & chronologia. pag. 606.

Abbatum Cassinensium dignitas, auctoritas, & iurisdictio, pag. 24. 25. 312. 522. 531.

S. Adalbertus Episcopus, & martyr Cassinum venit, pag. 205. 206.

Adam monachus Cassin. sanctus, pag. 245. 260.

Agapitus secundus Papa, pag. 176. 177.

Agnes Imperatrix Cassinum venit, pag. 372.

Alax Archiepiscopus Beneuentanus, pag. 220.

Albericus Marsorum Episcopus, pag. 202.

Albericus Diaconus monachus Cassin. pag. 380.

S. Aldelmus monachus Angliæ Episcopus, pag. 647.

Aldemarius monachus Cassin. sanctus, pag. 413.

Alfanus Archiepiscopus Salernitanus, pag. 319. 331. 334. 381.

S. Alferius primus Abbas Monasterij Cauensis, pag. 330.

Alexander secundus Papa, pag. 309. 352. 369. 382. Cassinum venit.

Alexius Constantinopolitanus Imperator, pag. 403. 471. 483. 491. 519.

Almannus monachus Cassin. sanctus, pag. 527.

S. Amicus monachus Cassin. pag. 452.

Angelus monachus Cassin. sanctus, pag. 440.

S. Antoninus Surrentinus monachus Cassin. pag. 100.

Antonius, & Constantinus monachi Cassin. sancti, pag. 536.

Antiochia capitur à christianis, pag. 482.

Digitized by Google

Arduinus Græcos ab Apulia, & Calabria expulit, pag. 275. 277.
S. Athanasius Episcopus Neapolitanus, pag. 151. 152.
Athanasius iunior Episcopus Neapolitanus, pag. 151. 152.
Azzo monachus Casin. sanctus. pag. 229. 231.
Azzo alius monachus Casin. sanctus, pa .23.
Baioariæ Dux, pag. 590. 592.
Baleares Insulę à fidelibus expugnantur, pag. 528.
Bambergensis Ecclesia erigitur, pag. 244.
Bareso Sardorum Rex, pag. 355. 540.
Basilius Constantinopolitanus Imperator, pag. 236.
Basilius Protospatharius Imperialis, pag. 178.
Belgrinus Colonien sis Archiepiscopus, pag. 237.

Sanctus Pater Benedictus.

EIus patria, & parentes, pag. 3.4.
Quoto anno ætatis Eremum petiit, pag. 6.7.
Chronologia totius vitę eius, pag. 26.
Arctissimum vitæ genus arripuit, & seruauit, pag. 4.5. 25. 26.
Arctissimæ vitæ magister optimus à sancto Gregorio vocatur, pag. 61.
Omnium iustorum spiritu plenus fuit, pag. 18.
Florentius Presbyter illum persequitur, pag. 17.
Inuidię Florentij cedit, pag. 18.
Dei iussu Casinum migrat, pag. 19.20.21.87.89.
Casinum perueniens quadraginta diebus in oratione permansit, Idola contriuit, aras subuertit, lucos succendit, pag. 20.22.23.
Munus prędicandi à Deo immediate suscepit, pag. 23.
Apostolus iure merito nuncupandus, pag. 23.
Infidelium multitudinem ad fidem conuertit, pag. 39.
Prophetię spiritu pollet, pag. 28.29. *&c.*
Fratres suos ad prędicandum mittit, pag. 39.
Totilam Gothorum Regem reprehendit, pag. 30. 31.
Sacerdos fuit, pag. 45.
Raptus eius mirabilis, pag. 56.

Digitized by Google

An viderit diuinam essentiam, pag 58.
Regulam monachorum scripsit, pag 59.
Eius regula valde commendata, & laudata, pag.59.60.
Diuinus legislator vocatus. pag.60.197.
Eius regula prima ab Ecclesia approbata, pag.63.
Ipsius obitus gloriosus. pag 64.65.88.
Corpus eius apud Casinum requiescit, pag.90.240.245.364. 462.
Quedam ipsius laudes, & encomia, pag 18.70.91.648.
Ipsius ordinis mirifica propagatio, pag.8.13.62.88.91.93.99.
Ordo S.B illustrium virorum feraciss imus, pag. 92.
Conqueritur de suis monachis, pag 283.603.
Miracula innumera post eius obitum ipsius meritis patrata, pag. 37. 69. 115. 141.239.246.260.264.271.282.384.385. 389. 412.420. 421. 442. 443. 444.445.448.495.517.529. 553. 583.
S.Benedictus Anglus Ordinis sancti Benedicti, pag.638.
Benedictus Papa tertius, pag. 188.
Benedictus Papa octauus, pag.217.225.Casinum venit,pag. 239.256.
Benedictus nonus, pag.291.293.

Beneuentum, & Beneuentani Principes.

ANtharit Longobardorum Rex Beneuetum caput multarum Prouintiarum constituit, pag 99.
Zoto primus Dux Beneuentanus, pag.99.164.
Gisulfus Beneuentanus Dux, plurima bona Monasterio Casinensi concesit, pag 101.163.185.
Arichis primus Princeps appellatus, pag.109.114.
Grimoaldus Princeps, pag.115.120.
Grimoaldus alter Princeps, pag.121.
Sico Princeps pag.122.
Sichardus Princeps, pag.128.129.
Beneuentani Principatus diuisio pag.129.138.
Radelchis Beneuentanus Princeps, pag.129.138.
Adelchis, siue Radelchis Princeps, pag.137.150.
Aio Princeps, pag.159.

Digitized by Google

Beneuentani Principatus translatio à Longobardis ad Grecos, pag. 164.
Gubernatur per Duces ab Imperatore Constantinopolitano missos, pag. 154.
Guido Dux Imperatoris Latini, expulit inde Græcos, pag. 164,
Beneuentanorum Principum post Guidonem successio, pag. 164.
Beneuentani pro corpore S. Bartholomæi Apostoli, corpus S. Paulini Nolani, Ottoni tertio tradiderunt, pag. 213.
Pandulfus Princeps Beneuentanus, pag. 222.
Beneuentum qualiter in ditionem Romanæ Ecclesiæ peruenit, pag. 244. 299.
Beneuentani excommunicantur à Papa, pag. 296. 592.
Landulfus Beneuentanus Princeps, pag. 329. 368.
Beneuentana Synodus sub Victore tertio, pag. 432.
S. Berardus Episcopus Aprutinus monachus Cassinas, pag. 548.
S. Bernardus Abbas Clareuallis Cassinum venit, pag. 598.
Berengarius Italiæ Rex, pag. 179. 180.
Boamundus Roberti Ducis filius, pag. 470. 472. 498. 509.
Bolanus Catapanus Imperialis, pag. 235. 236. 248. 257.
S. Bonifacius Episcopus Moguntinus, & martyr, Ordinis S. Benedicti, pag. 639.
S. Bonifacius alius cum S. Romualdo Cassinum venit, pag. 28
Caietæ Duces, pag. 154. 234 287. 339. 392. 525.
Callistus Papa secundus, pag. 536. 541. *Cassinum venit, pag.* 560.
Capitanata Prouintia, vnde dicta, pag. 248.
Cappella S. Crucis in latere Cassini montis constructa, pag. 30. 37.

Capua, & Capuanus Principatus.

PRimus Capuanus Princeps Siconolfus, pag. 130. 131. 138
Capuanæ Vrbis destructio, pag. 130. 140.
Capuæ nouæ ædificatio, pag. 139.

Capuani

Digitized by Google

Capuani Episcopum suum nequiter expellunt, pag. 153.
Pandenolfus Capuanus Princeps, pag. 154.
Atenulfus Princeps, pag. 165. 168.
Landulfus, & Atenulfus fratres Principes, pag. 169. 171.
Capuana Ecclesia erigitur in Archiepiscopalem, pag. 194.
Ladenulfus Princeps cum matre Aloara, pag. 195.
Pandulfus Princeps, pag. 197. 198.
Laidulfus Princeps, pag. 201.
Landulfus Princeps, pag 201. *filius Principis Beneuentani.*
Ademarius Princeps. pag. 201.
Pandulfus Princeps pessimus, pag. 225. 236. *vinctus abducitur in Germaniam à S. Henrico Imperatore, pag.* 238 *in cuius locum instituitur Capuanus Princeps Pandulfus Theanensis Comes, pag.* 238. 256. 257.
Pandulfus à vinculis solutus Capuanum Principatum inuadit, & multa mala facit, pag. 257. 258. 259. 287. 295. *Eius mors, & æterna damnatio, pag.* 261. 263. 298.
Guaimarius Salernitanus fit Princeps Capuanus, pag. 270. 295.
Pandulfus iunior Capuanus Princeps, pag. 304.
Richardus Princeps, pag. 344. 345. 358. 368.
Iordanus Princeps, pag 346. 396. 397. 398. 418. 469.
Richardus Princeps, pag. 469. 489. 491.
Capuanorum rebellio, pag. 469.
Robertus Princeps, pag. 491. 524. 538.
Robertus Princeps. pag. 538. 569.
Capuana ciuitatis incendium, pag. 547.
Iordanus Princeps. pag. 572. 575.
Robertus Princeps Capuanus, pag. 575. 576.
Carolus Mannus Rex fit monachus Casinas, pag. 104.
Carolus Magnus Italiam venit, Casinense Monasterium visitat, pag. 113. 114. 118.
Christophorus Papa fit monachus, pag. 165.
Clemens Papa secundus, pag. 292. 294.

Comitatus, & Comites diuersi.

Alisanus Comes, pag. 188. 526.
Aprutinus Comitatus, pag. 188. 199. 216. 254. 286.

Digitized by Google

Aquinenſis Comitatus, pag. 202. 204. 235, 278. 280. 480. 498.
Auerſanus Comitatus, pag. 257. 270. 275. 277. 295.
Bouianenſes Comites, pag. 478.
Caiazzanorum Comitatus, pag. 489.
Ciccani, & Signiæ comites, pag. 227.
Compſanus comes, pag. 124. 129.
Comitiſſa Iſelgarda, pag 156. 158.
Iſernienſes comites, pag. 194.
Larinenſes comites, pag. 286.
Leſinenſes comites, pag. 215. 416.
Marſorum Comites, pag. 144. 180. 192. 195. 200. 213. 214. 218. 273. 305. 343. 350. 418. 419. 485.
Minlanenſes comites, pag 349.
Comites de Moliſio, pag. 490. 576.
Comites de Morono, pag. 274.
Pennenſis comitatus pag. 148. 149. 158. 193. 199. 200. 216. 394
Comes de Petra abundanti, pag. 189.
Comites de Pontecurvo, pag. 349. 479.
Comites de Præſenzano, pag. 256. 500. 528.
Sangrorum comites, pag. 469. 486. 557.
Comites de Sexto, pag. 278. 559.
Comites Sorani, pag. 189. 349.
Teleſinus comitatus, pag 481.
Termulenſis comitatus, pag 225. 250.
Theanenſis comitatus, pag. 183. 199. 232. 278. 289.
Theatinus comitatus, pag. 143. 195. 302. 305. 310.
Traiectenſis comitatus, pag. 231. 318. 416. 418.
Tuſculanus comitatus, pag 321.
Valuenſis comitatus, pag. 190. 361. 388.
Venafrani comites, pag. 235. 349. 416. 465. 481.
Concilij Romani ſub Bonifacio IV. decretum, pag. 640.
Conradus Imperator Caſinum venit, pag. 257. 267. 268.
Conſtantinus Africanus monachus Caſin. pag. 381.
Conſtantia Francorum Regis filia, pag. 521.
Corona B. Mariæ à quo primum excogitata, pag. 472.
S Cunegundis virgo, S. Henrici Imperatoris vxor, pag. 244.
Damaſus ſecundus Papa, pag. 294. 296.
Dedicatio Eccleſiæ Caſin. celeberrima, pag. 367.

S. Domi-

Digitized by Google

S. Dominicus Soranus monachus, pag. 263. 264. 387.
Draco Normannorum comes, pag. 277. 295.
Ecclesiæ Romanæ labores, & schismata, pag. 291. 292. 321. 352. 424. 429. 430. 506. 535. 576.
Episcoporum aduersus monachos querela, pag. 557.
Exempla ambientium Ecclesiasticas dignitates pag. 202. 207. 219.
Expeditio pro recuperanda terra sancta, pag. 470.
Faustus S. Benedicti discipulus, sanctus, pag. 78. 94.
Felix monachus Casin. sanctus, pag. 440.
Formosus Papa, pag. 159. 161.
Fortunatus Casin. Episcopus, pag. 24.
Fridericus Leonis noni Cancellarius, pag. 302. 304.
Gebizo monachus Casin. sanctus, pag. 399.
Gelasius secundus Papa monachus Casin. pag. 534 536. Antea S. R. E. Cancellarius, pag. 465 529. 531.
S. Germanus Capuanus Episcopus, pag 56.
S. Germani ciuitas, pag. 119. 141. 226. 236. 528. 566. 570.
Gisulfus Salernitanus Princeps, pag. 299. 341. 368. 395.
Gothfridus Tusciæ Marchio, pag 358.
Gothfredus & Balduinus frater eius, pag. 471. 483.
S. Gregorius Magnus scripsit vitam S. Benedicti, pag. 1. Regulam ipsius laudauit, pag. 59. Eamdem approbauit, & professus est, pag. 64. 613. &c.
Gregorius tertius Monasterij Casin. restaurationem procurauit, pag. 96. 98.
Gregorius Papa sextus pag. 291. 294.
Gregorius septimus, pag. 383. 392. 402. 409. 410. 422. Casinum venit.
Gregorius monachus Casin. sanctus, pag. 407. 408.
Gregorij Cardinalis ad monachos Casin oratio, pag 568.
Guaimarius Salernitanus Princeps, pag. 151. fit monachus Casinæ. pag. 154.
Guaimarius alter, pag. 166. 169.
Guaimarius tertius, pag. 224. 270. 278. 295. 299.
Guaimarius quartus, pag. 329.
Guarinus Regis Rogerij Cancellarius, pag. 577.
Guido Italiæ Rex, pag. 179.

Digitized by Google

Guinizo Hispanus monachus Cassin. sanctus, pag. 398. 400.
Gulielmus Tancredi Normannorum comes, pag. 277.
Gulielmus Dux Rogerij filius, pag. 517. 521. 522. 575.
Gunnarius Sardorum nobilissimus, pag 540.
S. Henricus Imperator, pag 225. 226. Cassinum venit, pag. 239. 242. 243.
Henricus Conradi filius, pag. 272. 291. Cassinum venit, pag. 295. 310. vbi error in margine irrepsit, vt pro tertio, sit positum quartus.
Henricus quartus, pag. 402. 403. 409. 430. 484. 491.
Henricus quintus, pag. 484. 491. 500. 504. 506. 532. 564.
Hildebrandus, qui & Gregorius VII. pag. 303. 320. 340. 352. 361.
Honorius secundus Papa pag. 560. 562. 565. Cassinum venit.
S. Hugo Abbas Cluniacensis Cassinum venit, pag. 407.
Hugo Italiæ Rex, pag 180.
Hugo de Albaspina, pag. 517.
Humbertus Episcopus Silvæ candidæ, siue S. Rufinæ, pag. 302. 311. 313. 332. 337.
Hunifridus Normannorum comes, pag. 277. 301.
S. Ianuarius Neapolitanæ Vrbis Protector, pag. 396.
Ianuarius monachus Cassin. sanctus, pag. 400.
Ianulæ arcis constructio, pag. 183. 528. 567.
Iaquintus monachus pag. 326. 332. 343.
Ieiunium æstiuum quatuor temporum, pag. 315.
Ierosolyma capitur à christianis, pag. 482. 483.
Innocentius secundus Papa, pag. 576.
Ioannes Papa octauus, pag. 151.
Ioannes nonus, pag. 161.
Ioannes decimus, pag. 169. 172.
Ioannes vndecimus pag. 179.
Ioannes decimusquintus, pag 182.
Ioannes Diaconus vitam S. Gregorij scripsit, pag. 614.
Ioannes Apulus monachus Cassin. sanctus, pag. 308.
Ioannes Veneticus monachus Cassin. sanctus, pag. 442.
Ioannes alius monachus Cassin. sanctus, pag. 449.
Ioannes Consul, & Dux Neapolitanus, pag. 173.
Lambertus Italiæ Rex, pag. 180.

Digitized by Google

Landulfus Princeps Salernitus, pag.215.
Leo Papa tertius, pag.121.
Leo Papa quartus, pag.136.
Leo sextus, pag 172.
Leo nonus, pag.295.296. Casinum venit, pag.298.300.301.
332.596.
Leo Ostiensis huius Chronici scriptor, pag.79.392.506.514.
Ligni sanctæ Crucis portio, pag.196.412.
Lintheum quo Christus Dominus extersit pedes discipulorum
pag 228.
Liucius siue Lucius monachus Casin. pag.223.
Longobardi. pag.93.99.164.
Lotharius Regnum Francorum diuisit, pag.127.138.
Lotharius Italiæ Rex, pag.180.
Lotharius Imperator, pag.565.577.593. Casinum venit.
Ludouicus Pius Imperator, pag.125.
Ludouicus Imperator Casinum venit, pag.145.146.147.
Ludouicus Italiæ Rex, pag.180.
Maiellæ montis eremitæ, pag.331.
Mancusus monachus Casin pag.438.
Marcus Poeta S. Benedicti discipulus, pag.22.90.91.
Mare dulce factum, pag.188.
Marinus Papa secundus, pag.174.
S. Martinus Episcopus Bracharensis monachus, pag.644.
Mattilda Tuscia Comitissa, pag.401.419.423.428.484.490.
S. Matthæi Apostoli brachium pag.414.547.
Matthæus Episcopus Albanensis, pag.573 574.
S. Maximianus Diui Gregorij institutor, pag.622.
Melus & Dattus illustres viri, pag.234.236.
Michael Constantinopolitanus Imperator, pag. 387.
Mirabile signum in altari S. Benedicti de Capua, pag.171.
S. Maurus discipulus S. Benedicti, pag.13.16.62.65.66.77.
87.88.132 133.252.
Maio monachus Casinas, pag.460.

Monachi, & Monasterium Cassinense.

MOnasterium Casinense à S. Benedicto fundatum, pag.
1.27.28.87.

A Longo-

Digitized by Google

INDEX.

A Longobardis destructum, pag. 34. 93.
Quanto tempore mansit desolatum, pag. 93. 97. 98.
Desolationis tempore monachi ibi manebant, pag. 96.
A quo & quando restauratum, pag. 96. 97. 369.
Successit in locum Episcopatus Cassin. pag. 24.
Non est intra fines alicuius Diœcesis, pag. 24.
Eius laudes, & encomia pag. 99. 100 197. 354. 370. 462. 558. 639.
Monachi Cæsinenses ad diuersas Prouincias mittuntur, pag. 95. 114. 167. 290. 355. 560.
Monachi Cassin. martyrio coronati, pag. 74. 95. 155. 167.
Monachorum Cassinensium ad dignitates Ecclesiasticas promotio, pag. 315. 340 343. 359. 465. 514. 515. 528. 560.
Monachi ducenti martyrio coronati. pag. 126.
Monasterium sancti Petri de Caradigna in Hispania, pag 62. 126.
Monasterium sancti Vincentij ad Vulturnum, pag. 96. 118. 144. 170. 527.
Monasterium sanctæ Sophiæ in Beneuento, pag. 104. 109. 175. 328. 392.
Monasterium Plumbariolæ, pag 107.
Monasterium sancti Liberatoris, pag. 156. 249. 400. 448.
Monasterium Theanense, pag. 155. 163.
Monasterium Capuanum pag. 170. 175. 177. 452.
Monasterium sanctæ Mariæ de Albaneta, pag. 223.
Monasterium Insulæ Tremitensis. pag. 304. 331. 360.
Monasterium sancti Michaelis Vallis lucis, pag. 198. 226.
Monasterium sancti Angeli de Barregio, pag. 148. 175. 187.
Monasterium sancti Pauli de Vrbe, pag. 175. 245.
Monasterium sanctæ Crucis in Ierusalem de Vrbe, pag. 297.
Monasterium sanctissimæ Trinitatis Cauensis, pag. 223. 329. 330.
Monasterium sancti Petri de Auellana pag 387.
Monasterium sanctæ Euphemiæ in comitatu Theatino, pag. 348.
Monasterium sancti Clementis iuxta flumen Piscariæ, pag. 148. 361.

Monaste-

Digitized by Google

Monasterium sancti Ioannis in Venere, pag. 304.336.
Monasterium sanctę Scholastica in comitatu Pennensi, pag. 158. 304.
Monasterium sancti Saluatoris de Castellis, pag. 549.
Neapolis capitur à Pandulfo Principe Capuano, pag. 257.
Nicolaus secundus Papa, pag. 340.
Nicolaus Picingli Saracenos debellat, pag. 169.
S. Nilus Abbas Casinum venit, pag. 196.205.206.
Normanni, pag. 233.234.275.276.277.
S. Odilo Abbas Cluniacensis Casinum venit, pag. 251.
Olibanus Galliarum comes monachus Casin. pag. 209.
Otto monachus Casinas, sanctus, pag. 530.
Otto primus Imperator, pag. 180. 18 l. 187.
Otto secundus, pag. 194.
Otto tertius, pag. 195.199.212. *Casinum venit, pag.* 213.
Paschalis solemnitas variè olim celebrata, pag. 66.
Paschalis secundus, pag. 485.499.509.518.527.534. *casinum venit.*
Paulinus, & Augustinus sancti Benedicti discipuli, sancti, pag 488.
Paulus Diaconus Longobardus Casinensis monachus, pag. 116.117.
Paulus alius monachus casinensis sanctus, pag. 255.
S. Petrus Apostolus Casinum venit, pag. 429.
Petrus Damiani Casinum venit, pag. 321.353.
Petrus Eremita Ordinis S. Benedicti, pag. 471.472.
Petrus Diaconus casinensis, pag. 539.
Pipinus Francorum Rex, pag. 107.108.
Pisani casinenses monachos spoliant, pag. 356.358.
Pisana Ecclesia erigitur in Archiepiscopalem, pag. 535.
Sanctus Placidus discipulus Diui Benedicti, pag. 13.62.73. 87.88.
Pontiscurui oppidum, pag. 149.273.489.528.
Pontius Abbas Cluniacensis Casinum venit, pag. 531.555.
Rachis Longobardorum Rex monachus casinas, pag. 106.
Rainerius monachus casinas, sanctus, pag. 450.
Randitius monachus casinas, sanctus, pag. 407.
Regula à modernis scriptoribus seruanda, pag. 619.

Reli-

Digitized by Google

Religio decidit, vbi minima contemnuntur, pag.72.
Robertus Anglorum Rex, pag.534.
Robertus Guiscardus Dux, pag. 277. 337. 344. 394. 401. 413.
Rodulfus Italiæ Rex, pag.179.
Rodulfus Normannorum Comes, pag.281.287.289.
Rogerius Calabriæ Dux, pag.416.427.469.486.500.509.
Rogerius Siciliæ Comes, pag.521.522.575.576. fit rex 578. 601.
S.Romanus Beato Benedicto in specu ministrauit, pag.5.
S.Romualdus Cassinum visitat, pag.208.
S.Saluius monachus Cassinas, pag.158.
Saracenorum in Italia gesta pag.125.130.134.336.137.138 143.147.151.154.166.169.
Saraceni in Africa debellantur, pag.431.
Sancti duodecim Fratres martyres, pag.109.
Sergius secundus Papa, pag. 134.
Sergius monachus Cassinas, sanctus, pag.530.
Sergius Dux Neapolitanus à proprio fratre exacatur, pag. 151.
Sergius alter Dux Neapolitanus, pag.257.260.261.368.
Sancta Scholastica Virgo soror Beati Benedicti, pag. 54.55. 584.
Sanctus Seuerus Episcopus Cassinensis, pag. 24. 251. 390. 540.
Sicelgaita Roberti Ducis vxor, pag.415.416.467.576.
Soles duo apparuerunt, pag.188.
Stephanus secundus, & tertius Papa, pag.107.108.
Stephanus nonus monachus Cassinas, pag.317.320.
Sanctus Stephanus Vngariæ Rex, pag.290.
Stephanus Veneticus monachus Cassinas, sanctus, pag.441.
Stellæ de cœlo cadere visæ sunt, pag.470.559.
Tarracinensium votum S Benedicto factum, pag.200.
Terræmotus per diuersa loca, pag. 137. 196. 214. 377. 533. 537.
Todinus nequissimus seruus pag.258.259.266.268.
Torchytorius Sardiniæ Rex, pag.357.540.
Translatio S.Benedicti, pag.242.463.493.

Digitized by Google

INDEX.

Translatio S. Bartholomæi Apostoli, pag. 128.
Translatio S. Matthæi Apostoli, & Euangelistæ, pag. 188.
Translatio S. Ianuarij Episcopi, & martyris, pag. 124.
Translatio S. Nicolai Episcopi, pag. 428.
Translatio S. Germani Capuani Episcopi, pag. 149.
Victor secundus Papa, pag. 303. 316.
Victor tertius monachus Cassinas, pag. 426. 428. 431. 432. 435. 437.
Visiones, & apparitiones diuersæ, pag. 212. 219. 243. 245. 247 334. 409. 429. 537. 538. 582. 586. 587.
Vngari Capuanum territorium deuastant, pag. 172. 173.
Vrbanus Papa secundus, pag. 459. 461. 485. Cassinum venit.
S. Zacharias Papa Cassinum venit, pag. 97. 98. 102.


FINIS.

UNIVERSIDAD DE CEVILLA
BIBLIOTECA
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google